UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Prvdentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda, Tractatvs

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2273.

G. III
18.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE PRVDENTIA ET CÆTERIS IN CONFESSARIO

requisitis ad ritè fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,

TRACTATVS.

Nunc primùm in lucem editus.

Auctore VALERIO REGINALDO *Burgundo Vsiensi, Societatis* IESV *Theologo.*

Lib. Coll. Soc. Jesu Paderborn. A. 1611.

Additus est totius operis Index tum rerum, tum sententiarum præcipuarum, quæ in eo continentur.

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO DOMINO, D. PETRO ANDREÆ DE LEBERON, Episcopo, & Comiti Valentino, & Diensi, Horatius Cardon Bibliopola Lugdunensis S.

QVOD *Philosophorum maximus Socrates, Antistes Reuerendissime, fecisse dicitur, vt Philosophiam ante illum in cœlis, & cœlestibus rebus quodammodo vagantem, ad hæc humana & ad mores hominum componendos necessariam traduxerit, hoc nescio si verius de his Theologis dici possit, qui moralem Theologiam, vel maximè illustrandam; & casus Conscientiæ, vt vocant, examinandos, dissoluendósque susceperunt, Sacram nempe philosophiam, altissimis illis mysterijs, qualia sunt quæ de Deo, Trino & vno, & simi-*

* *libus;*

libus; hi explicant Theologi, qui Scholastici nominantur, ad morales istas quæstiones, quas maximè Confessarijs scire conuenit, transferre omni animi contentione voluerunt. Quòd si nobiles illi Theologi de Christiana Religione bene meriti sunt, qui omnes ingenij sui vires in his præstantissimis nostræ Religionis mysterijs enodandis expenderũt: hi sanè non minimam apud homines laudem merentur, qui difficultates istas morales, quæ iter ad cœlum pandunt, examinare, & ad diuinæ legis trutinam ponderare omni studio, & ope contendunt. In his ergo quæstionibus moralibus explicandis, & si plurimi ætate nostra Theologi, & iuris vtriusque consultissimi plurimùm operæ, & studij posuerint: Patres tamen Societatis Iesu, hoc quasi proprium pensum nouis subinde operibus reddere, idque ab ipsa quodammodo nascente Societate videntur suscepisse. Vix enim è cunis illa educta erat, cùm R. P. Ioannes Polancus, quo cum B. P. Ignatio Loiolæ magna interceßit familiaritas, libellum vtilissimum, Directorium Confessariorum nuncupatum, conscripsit, quo Societatis illius Confessarij ad suũ munus rite, decentérque obeundum instruerentur, simúlque pœnitentes ad expiandam per Confessionem rite conscientiam dirigerentur. In hoc Scriptorum genere postremò numerari potest P. Valerius Reginaldus, qui in luce Dolanæ Academiæ

hanc

hanc Theologiæ moralis partem magna cum laude professus, hoc opus de Prudentia Confessarij cæterisque virtutibus ad eius officium piè religioséque obeundum necessarijs, magno iudicio, & pietate conscripsit, nec longè aberit, cùm aliud maioris molis, & ponderis opus, Praxim fori pœnitentialis nominatum idem auctor emittet, sed de hoc aliâs. Nunc verò cùm ipse parcus, & auctor ad me suum hunc partum sine parente fiduciario, cui esset commendatum miserit, ego qui alterius parentis vices gero, non potui non curam habere, de tali patre fiduciario prouidendo, qui pro pietate, & dignitate sua, hunc communem partum protegeret, & apud Confessarios sua maximè auctoritate commendaret. Cúmque mentis oculos huc illúcque conuertissem, tu Antistes dignissime, maximè idoneus visus es, qui pro tua beneuolentia, & singulari humanitate munus hoc suscipere & sustinere facilè posses. Tu enim is es, qui hunc vniuersum Ordinem magno amore complecteris, magno studio contra religionis nostræ Catholicæ aduersarios protegis, & maxima tua in Delphinatu toto auctoritate defendis. Tu is es, qui Academiam Turnoniam in tua Diœcesi florentissimam vnicè foues, complecteris, & ex ea quasi ex equo quodam Troiano manipulares copias educis, quæ nunc in tuam ciuitatem, nunc in alias vicinas vrbes, & oppida, huc illuc ve discurrentes

rentes truculentas feras, quæ Dominicum agrum depopulantur, longè arcent, & aliquando prædas quas illæ ore laniare, & discerpere cogitabant, auferunt, & auellunt. Tu denique is es, qui alterum tuæ pastorali curæ gregem commissum, qui in ciuitate tua Dia sedem habet, per huius Societatis verbi diuini administros aliquot iam annos studes ad matris Ecclesiæ caulas adducere, & ab erroribus, quibus iam olim imbutus fuerat, abducere. Nec clam te est, quàm in Delphinatu pauci sint hodie sacerdotes, qui Confessariorum munus rectè exercere valeant, qui cùm huic operi tuum nomen præfixum legerint, non dubium est, confestim illos ad hoc opus euoluendum conuolaturos, ex quo illi & meliores, & ad opus suum exercendum aptiores euadent. Accipe igitur, Antistes dignissime, & Comes præstantissime, hoc officinæ nostræ volumen nouum, quod posteris meum erga te studium, obseruantiam, & reuerentiam Gallis præsertim sacerdotibus & Confessarijs in omnem testabitur æternitatem. Vale.

AD

AD PIVM LECTOREM PRÆFATIO.



OPvs à nobis inscriptum, *Praxis fori pœnitentialis*, non nisi prolixum esse potuit, ob rerum in eo tractandarum tam multitudinem, quàm varietatẽ. Ne igitur expertes illius pleríque fierent, prolixitatẽ ipsam fastidientes, aut pecuniæ, vel otij penuriam obtendentes, visum est in eorum gratiam seorsim edere, quæ ad Confessarij prudentiam pertinent, tamquam eidem peculiariter necessa-

ria ad ſacrum miniſterium ſuum, debitè, fructuoſéque obeundum. Neque enim ad id illi ſufficit competens ſciétia, ſed adhuc opus eſt prudentia: eâque tum Paternâ ad pœnitentem tamquam Deo mortuum, ad ſpiritalem vitam diſponendum, adhibita induſtria, qua neque indulgentior ſit, neque ſeuerior, quàm par eſt; tum etiam Medicâ, ad eundem Pœnitentem curandum, tamquam ſaucium plagis impoſitis relictum ſemiuiuum; ſic adhibitis remediis accommodatis, vt ea vitentur, quibus morbus augetur potius, quàm curetur: tum pręterea Magiſtrali, ad ipſum quoque Pœnitentem, tamquam peregrinum deuium reducendum ad viam ſalutis; ac de ea ſedulò, pro captu ipſius, informandum: tum demum iudiciali ad proferendam in eum ipſum tanquam reum in vinculis poſitum, ſententiam rectam, æquam, & tempeſtiuam; atque adeo

vitan

vitandum periculum ſoluendi ligandum,aut ligandi ſoluendum in ſuam, ac ſui pœnitentis extremã perniciem. Vnde patet nobis ſummopere commendatam eſſe debere cognitionem pertinentium ad vnamquamque talem prudentiam : quæ cognitio à nobis pingui Minerua quidem hîc traditur, ſed nihilominùs magnifaciendа eo ſaltem nomine, quòd inſtituatur, dirigatúrque ad opus eximiæ tum dignitatis, tum vtilitatis : quo ſcilicet Confeſſarius, tamquam Chriſti Ieſu Regis Regum, & Dòmini dominantium gerens vices, miſerum peccatorem ex Diaboli filio æternis ſuppliciis obnoxio,Dei filiũ, regni cœleſtis hæredem facit, quaſi in ſacroſanctum ſanguinis eiuſdem Chriſti theſaurum immiſſis manibus, ad abluéndam à peccatorum ſordibus animam,& imaginem Dei in ea reſtituendam nitori ſuo cum ingenti cœleſtium ciuium

gaudio, dicente Domino Luc. 15. *Gaudium est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Vale in Christo, méque apud illum precibus adiuua: vt hoc, quod offero opusculum, tamquam minutum à paupere vidua missum in Ecclesiæ suæ gazophylacium; acceptum habere dignetur.

THEOLO

THEOLOGORVM APPROBATIO.

EGo Benedictus Martellangeus eiusdem Societatis, & in eodem Collegio professor casuum conscientiæ, perlecto eodem libro, *De Prudentia Confessarij, & alijs ad Confessarij officium requisitis*, idem censeo.

B. MARTELLANGEVS.

EGo Petrus Maturus Societatis IESV Theologus, in Collegio Lugdunẽsi, fidem facio librum inscriptum *De Prudentia & cæteris in Confessario requisitis, vt ritè fructuoseque diuini sui ministerij munus exercere valeat. Auctore P. Valerio Reginaldo Burgundo Vsiensi Societatis Iesu Theologo*, à me accuratè fuisse perlectum : in quo nihil à me est fidei Catholicæ, & Ecclesiæ Romanæ dogmatibus contrarium deprehensum, imò verò hoc opus vtilissimum fore tam pœnitentibus, quàm Confessariis iudico. Lugduni 28. Septemb. 1610.

Ita censeo, P. MATVRVS.

R. D. D. Antonij Emanuelis Chalomi huius libri imprimendi facultas.

ANTONIVS Emanuel Chalomus in prefectura Lugdunensi Consiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiscopatu Lugdunensi Vicarius Generalis: opus hoc à Patre Val. Reginaldo, &c. compositum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus. Lugduni 15. Octob. 1610.

CHALOM V. G.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautum est, ne quis in suo regno, aliísve locis ditioni suæ suppositis, intra proximos annos decem à die concessionis præsentium inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmve quouis modo ac ratione conetur, librum, qui inscribitur, *De Prudentia & cæteris in Confessario requisitis, vt ritè fructuoséque diuini sui ministerij munus exercere valeat. Auctore Valerio Reginaldo Burgundo Vsiensi Societatis Iesu Theologo*, &c. vno Horatio Cardon, Bibliopola Lugdunensi, excepto, cuíve ipse concesserit: Sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lutetiæ, die 17. Iulij, anno 1609.

Sic signatum,

De mandato Regis.

PERREAV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Lugdunensi.

LVDOVICVS Michaelis Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo Henrico III. die x. mensis Maij, anni 1585. Et Henrico IV. 20. Decembris 1606. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absquè illorum permissione imprimant; permittit Horatio Cardon, Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum *De Prudentia, & cæteris in Confessario requisitis, vt ritè fructuoseque diuini sui ministerij munus obire valeat. Auctore Valerio Reginaldo Burgundo Vsiensi, Societatis Iesu Theologo.* ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 10. Maij. 1610.

LVD. MICHAELIS.

INDEX CAPITVM HVIVS TRACTATVS,

QVORVM SVMMARIA singulis capitibus præfixa sunt.

CAPVT I.

DE prudentia Confessarij in audienda confessione pœnitentis.

CAP. II.

De prudentia Confessarij in interrogando pœnitente.

CAP. III.

De interrogationibus pœnitenti faciendis à Confessario.

CAP. IV.

De prudentia Confessarij in adhortando

hortando & monendo pœnitente.

CAP. V.

De Confeſſarij prudentia in diſponendo pœnitente ad contritionem ſeu odium & deteſtationem ſuorum peccatorum.

CAP. VI.

De Confeſſarij prudentia in dirigendo pœnitente ad cõtritionem executioni mandandum.

CAP. VII.

De ratione exercendi contritionem.

CAP. VIII.

De prudentia Confeſſarij in expẽdendo pœnitentis propoſito nõ peccandi de cætero, iuuandíque ipſum aduerſus recidiuum.

CAP. IX.

CAP. IX.

De prudentia ac ratione iudicandi de iis de quibus pœnitens confitetur, sintne peccata mortalia, an non.

Pars prima capitis, in qua traduntur nonnulla de peccato mortali & veniali.

Pars altera capitis, in qua traduntur regulæ iudicandæ de peccato sitne mortale an veniale ex suo genere.

Tertia pars capitis, in qua traduntur documenta per quæ cognoscendum est, quæ lex humana obliget ad peccatum mortale.

Quarta pars capitis, in qua traduntur reliquæ regulæ iudicandi de peccato num sit mortale aut veniale, cum quibusdam additionibus eodem spectantibus.

CAP. X.

De prudentia Confessarij in tranquillan

quillando pœnitentis animo agitato ſcrupulis.

CAP. XI.

De ſpeciali ratione tranquillandi animum certis quibuſdam ſcrupulis agitatum.

CAP. XII.

De Confeſſarij prudentia in agendo cum pœnitente, quem vt ſcrupulis, ſic & Dei timore carere aduertit.

CAP. XIII.

De prudentia in iuuando pœnitente, tum remediis aduerſus prauas ſuas propẽſiones, tum adiumentis ad progreſſum faciendum in Dei gratia & virtutibus.

CAP. XIV.

De prudentia in erudiendo rudi in fide, ac neſciente viam ſalutis.

CAP.

CAP. XV.

De disposítionibus necessáriis in anima ad tenendam salutis viam, à Confessário tamquam spiritali patre inculcandis pœnitenti.

CAP. XVI.

De ratione tenendi viam salutis, prout pœnitens potest à Confessário de illa moneri ac instrui.

CAP. XVII.

De iudiciali prudentia Confessárij in satisfactione pœnitenti imponenda.

CAP. XVIII.

De prudentia Confessárij in arbitranda, seu taxanda, satisfactione sacramentali.

CAP. XIX.

De remediorum, & pœnitentiarum varieta

varietate accommodata varietati peccatorum capitalium.

CAP. XX.

De diminutione & mutatione satisfactionis impositæ à Confessario, & acceptatæ à pœnitente.

CAP. XXI.

De iudiciali prudentia Confessarij in absoluendo pœnitente, ac de modo absoluendi, & difficultatibus quæ in executione talis muneris occurrentes anxietatem pariunt.

CAP. XXII.

De prudentia Confessarij in prouidendo, ne munus suum exequatur non idoneus ad illud tamquam carens conditione aliqua necessaria: puta potestate, aut vsu potestatis, aut scientia, aut bonitate, aut Episcopali approbatione.

TOTIVS

TOTIVS LIBRI ARGVMENTVM.

QVM in iudicio pœnitentialis fori non tam agatur, vt pœnitẽs tamquam reus puniatur, quàm vt emendetur, iuxta illud à Domino dictum Ioan. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum:* a Confessarius in illo exercendo sustinet partes non modò Iudicis, sed etiam Medici: sicut peccata non modò sunt reatus, & debita; sed etiam læthales morbi, & grauissima vulnera animæ inflicta: Idcirco vltra scientiam iudicialem b seu requisitam ad sententiam ferendam in pœnitentiali foro, necessaria est illi scientia medica, prout Nauar. c appellat: idem significans quod alij, cùm dicunt præter scientiam speculatiuam, requiri in Confessario practicam; aut præter scientiam, requiri prudentiam. Id quod habetur ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœniten. & remiss. cùm in §. sacerdos. sic dicitur. d *Sacerdos autẽ sit discretus, & cautus; vt more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere: diuersis experimen-*

a Confessarius exercet partes Iudicis & Medici.

b De qua postea in part. 3. c. 22. paucis.

c De pœnit. dist. 6. cap. 1. §. caueat. nu. 32.

d Confessarius vt prudens Medicus se gerere debet.

tis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Ex quibus verbis licet adhuc intelligere eã de qua agimus, ſiue ſcientiam medicinalem, ſiue ſcientiam practicam, ſiue prudentiam, generaliter conſiſtere in induſtria, qua debet Cõfeſſarius cum Pœnitente tractare, dum munera miniſterij ſui exequitur in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ; atque adeo ipſam eſſe variam, pro eorumdem munerum varietate: quæ qualis ſit, ſic accipe cùm in ipſa adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ Confeſſarius obeat munus tum Iudicis à Chriſto conſtituti in pœnitentiali foro; tum patris ſpiritalis, vt Chriſti adiutoris ad faciendos ex filiis diaboli, filios Dei: ſeu, vt habet Euange-
Ioan. 1. liſta, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt:* tum etiam Medici animarum ad eas conſeruandas & promouendas in diuina gratia & virtutibus, tamquam vita & ſanitate ſpiritali: tum demum Magiſtri qui eaſdem dirigit in vita ipſa ſpiritali.

Ex officio Iudicis incumbit illi primariò quidẽ, munus abſoluendi à peccatis, & ligãdi ad pœnam pro eis imponendã in ſatisfactionẽ: ſecundariò verò, ſeu in ordine ad primariũ prædictũ incũbit illi, primò munus audiendi confeſſionem Pœnitentis, ſecundò munus eumdem Pœnitentem interrogationibus iuuandi, ad plenè & integrè aperiendam conſcientiam ſuam, totúmque animæ ſuæ ſtatum patefaciendum.

Munus Cõfeſſarij vt patris ſpiritualis.

Ex officio autem Patris ſpiritualis incumbit illi primò munus adhortandi, & monẽdi Pœnitẽtem, Secũdò munus eum diſponendi ad contritionem, deteſtationémve peccatorum ſuorum, Tertiò munus excitandi ipſum ad eamdem deteſtationem mandan

mandandã executioni, ac instruẽdi de ratione qua mandanda est. Quartò munus expẽdendi propositum ipsius nõ peccandi de cætero, eíque prouidendi de remediis aduersus relapsum in peccatum.

Ex officio porro Medici animarum, incumbit illi primò munus diiudicandi de iis, de quibus pœnitens cõfitetur; num sint mortalia, an venialia. Secundò munus tranquillandi animum pœnitentis agitatum scrupulis: aut contra perniciosè vacuum non modò scrupulis, sed etiam Dei timore perterrendo, præsertim inculcatione pœnarum inferni maximarum. Tertiò munus ipsum muniẽdi præsidiis, accommodans conseruandæ augendæque spiritalis sanitatis.

Et quatenus est Medicus spiritualis.

Ex officio denique Magistri incumbit illi munus erudiendi rudẽ in fide, informãdíque ipsum in via salutis, & dispositionibus ad eam tenendã necessariis in anima, déque ratione eã tenẽdi. Pro qua munerũ varietate, ex qua pendet prudẽtiæ nobis propositæ varietas, variis capitibus libũ hunc distinguemus, seruato ordine, quo Confessarius, in praxi fori pœnitẽtialis munera sua exequi consueuit. Primum ergo erit de prudentia Confessarij in audiẽda confessione pœnitẽtis. Secũdũ de prudẽtia in eodẽ pœnitente interrogãdo. Tertiũ de interrogationibus eidem faciendis à Confessario. Quartum de prudentia in adhortando, ac monendo Pœnitente. Quintum de prudentia in eodem disponendo ad contritionem, detestationémve suorum peccatorum. Sextum de prudentia in excitando illo ad eam ipsam exequendam. Septimum de ratione qua contritio mandanda est executioni. Octauum de prudentia expendendi in Pœnitente, proposi-

tum non peccandi, de cætero, iuuandíque illum aduerſus recidiuum. Nonum de prudentia ſeu ratione iudicandi, an peccata, de quibus pœnitens confitetur, mortalia ſint, nécne. Decimum & Vndecimum, de prudentia in tranquillando eiuſdem pœnitentis animum ſcrupulis agitatum. Duodecimum de prudentia in agendo cum eo ipſo Pœnitente, cùm deprehenditur ſicut ſcrupulis, ita & Dei timore careret. Decimumtertium de prudentia in illo iuuando remediis, aduerſus prauas ſuas propenſiones, & adiumẽtis ad progreſſum faciendum in Dei gratia, & virtutibus. Decimumquartum de prudentia in erudiẽdo rudi in fide, nec ſatis ſciente viam ſalutis. Decimumquintum de diſpoſitionibus ad tenendum viam ſalùtis, quibus imbuenda eſt anima. Decimumſextum de ratione tenendi eamdem viam. Decimumſeptimum de Confeſſarij iudiciali prudentia in ſatisfactione Pœnitenti imponenda. Decimumoctauum de prudentia in eadem ſatisfactione taxanda. Decimumnonum de remediorum & ſatisfactionum varietate, peccatorum varietati accommodanda. Vigeſimum de diminutione & mutatione ſatisfactionis impoſitæ Pœnitenti, & ab ipſo acceptatæ. Vigeſimumprimũ de Cõfeſſarij iudiciali prudentia in abſoluendo, ac de modo abſoluẽdi, & difficultatibus, quæ in executione talis muneris occurrentes, anxietatem pariunt. Vigeſimumſecundum de prudentia Confeſſarij in prouidendo ne id ipſum munus exequatur ad illud non idoneus: cui ſubiicietur breuis appendix ad antedicta, de ratione illis ipſis vtendi.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De prudentia Confessarij in audienda confessione Pœnitentis.

SVMMARIVM.

1. *Animi præparatio, cum qua debet Confessarius ad tanti momenti opus accedere, quódque tam sibi, quàm Pœnitenti gratiam Spiritus sancti implorare debeat.* 2. *De seueritate cum suauitate miscenda, in audienda confessione.* 3. *Accendere debet Confessarius in se desiderium salutis animarum, & quo modo.* 4. *Curare debet, vt Pœnitens decenter se habeat.* 5. *Cunctantem in aggrediendo confessionem monere debet, vt ea quo magis conscientiam suam grauant, quàm primùm proponat, ad manifestationem status animæ suæ.* 6. *Vitandus inter confitendum mutuus Confessarij, & Pœnitentis aspectus.* 7. *Vitandum etiam signum externum interioris abominationis peccatorum quæ in confessione audiuntur.* 8. *Ratio agendi cum Pœnitente dicente sua peccata in confessione.* 9. *De supplendis defectibus illius.* 10. *Modus perducendi illum ad omnia peccata sua detegenda, cùm existimatur aliqua celare.* 11. *Attendendum, an aliquid dicat vnde intelligatur aliquas præcedentes confessiones fecisse inualidas.*

12. *Paucipotiùs seriò, quàm multi perfunctoriè pœnitentes audiendi: ijq; cæteris proponendi, qui maximè indigent, aut maioris momenti sunt.*

1. Cõfessarius forti animo esse debet.

AD hanc prudẽtiam pertinet 1. vt Cõfessarius forti animo ad opus tanti momenti exequendum accedat: vitam etiam ipsam Christi imitatione paratus profundere potiùs, quàm officio suo dèesse in hac templi Dei repurgatione à peccato: per quod vt per idolum quoddam abominabile polluitur, fitque dæmonis habitatio, in ipsius Dei grauissimam iniuriã, & animæ Christi perfusæ sanguine summam perniciem: neque adeò fidat sibi, etiam post diligentem operam positam in paranda necessaria scientia, vt non præmuniat se oratione antequàm audiat confitentem. Debet igitur per illud Psalm. 50. *Cor mundũ crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis*; vel illud, *Veni sancte Spiritus, &c.* aliúdve simile, implorare sancti Spiritus assistentiam in tam arduo negotio sic necessariam, vt nisi Deus suâ gratiâ assistat, nullæ vires, & industriæ humanæ sufficiant ad ipsum fructuosè perficiendum, iuxta Eccles. 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit:* & illud in priori ad Corinth. cap. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Quibus verbis significatur, exteriorem hominis correptionem nihil operari, nisi Dei tamquam excitatoris interioris concursus accedat. Implorare autem debet assistentiam eam, vt necessariam tum sibi, vt intelligitur ex eo quòd Dominus discipulis imponens onus istud audiendi con

confessiones, Ioan. 20. priùs dixerit : *Accipite Spiritum sanctum* ; quàm, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: tum etiam confitenti, cuius confessio procedere, imperarive debet ab interiori contritione: quæ Dei donum est, & Spiritus sancti impulsus: etiam imperfecta ea, quæ dicitur attritio, vt definitum est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. Confessarius igitur, (prout habet Polancus in directorio) *a* accedens ad audiendas confessiones, primùm omnium per orationem eleuata mente ad Deum, debet ab eo humiliter petere gratiam, pœnitentibus quidem, vt verè ad ipsum redeant, sacramentique finem consequantur; sibi verò, vt rectè suo ministerio fungatur, nec ob vllam occasionem occurrentem, veritatem deserat, aut ab eo, quod agẽdum est, desistat; neque sua negligentia impediat efficaciam sanguinis Christi, ac diuinæ suæ liberalitatis influxum in Pœnitentem, summáque bonitas, & potentia ipsius suppleat defectus instrumenti sui vilis. De qua re videri potest Nauarr. *b* simulq; notari, quanti ea momenti sit ex eo intelligi, quòd si deprauata iudicia in foro externo tantopere reprehendantur, multò magis ea reprehendenda sint in foro interno: vtpote concernente animam, in cuius æterna salute plus innumeris partibus positum est, quàm in omnibus temporalibus bonis.

a Ca. 1. art. 1.

b in Enchir. cap 10. in principio.

Pertinet secundò illud, quod Nauar. *c* tangit, vt paterna quædam, & spiritualis grauitas in Confessario ipso eluceat; vt aut nihil videatur in vultu, & gestibus, vel motibus corporis; neque audiatur in voce, quod non deceat virum maturum, & qui meminit se locum tenere Dei, à quo sit constitutus Iudex in causa maximi omnium momenti. Susci-

2.

c in sequ. num. 2.

piat nihilominùs Pœnitentem beneuolè, paratus ipſum iuuare, ſecúmque onus portare; atque adeo dulcedinem in affectione habeat, pietatem in alterius diſcrimine, diſcretionem in varietate, prout præſcribitur in cap. 1. de pœnit. diſtinct. 6. §. cognito. & inculcant verſus hi, quos idem Nauar. refert ex D. Thoma.

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuauis,
Prudens, diſcretus, mitis, pius, atque benignus.

Quamquam, vt debet cauere, ne terrorem incutiat ei, quem conſolari oportet; ita & ne clementia vtatur erga eum, quem acriter increpare conuenit; ſic enim incurreret in peccatum Heli grauiſſimè reprehenſum, ſeueriſſiméque punitum à Deo, 1. Regum cap. 2. Præterea cùm familiaritas nimia pariat contemptum, debet Confeſſarius ſe auſterum potiùs, quàm familiarem exhibere in audiendis confeſſionibus, præſertim fœminarum, vt Polancus expreſſit in Direct. *d* & Dominum noſtrum exemplo ſuo docuiſſe, ex eo intelligitur, quòd Matri ſanctiſſimæ in nuptiis familiariter vini defectum denuntianti, verbis illis ſatis ſeueris reſponderit; *Quid mihi & tibi mulier?* Ioan. 2. quódque numquam ei à maleuolis exprobrata ſit amicitia mulierum, ſicut amicitia peccatorum, & Publicanorum: quod ſanè illi minimè omiſiſſent, ſi in ea florenti ætate notaſſent non vxoratum familiariter cum mulieribus tractantem, ſicut cum Publicanis, & peccatoribus. Adde quòd diſcipuli ipſius, Ioan. 4. *mirati ſint, quòd cum muliere loqueretur,* tamquam de re ſcilicet inuſitata. Cæterùm debet obſecrare potiùs, quàm aſperè increpare: ſenes quidem tamquam patres vel matres, iuuenes verò tamquam fratres aut

d Cap. 1. art. 4.

aut ſorores in omni caſtitate.

Pertinet tertiò quod Polancus etiam expreſſit: *e* vt Confeſſarius renouet deſiderium ſalutis animarum,& diuini honoris: atque in toto confeſſionis decurſu charitatem exerceat in Pœnitentem: ex qua principaliter acceptare debet officium audiendi confeſſiones: non item ob lucrum,vel fauorem vel curioſitatem principaliter (in quo peccaret mortaliter ex Nauarro) *f* multò verò minus ob carnalem voluptatem,in quo mortaliter peccaret, etiamſi minus principaliter tantùm,eam turpitudinem de ſe mortalem intenderet.

e in ſequen. cap.2. art.1. Cõfeſſarius deſiderium ſalutis animarũ in ſe renouet.

f in fine citati cap. 10.

Excitet igitur, & retineat compaſſionis affectum erga peccatorem,longè deteriùs habentem,eo,qui Lucæ 10. in latrones incidiſſe dicitur:oculiſq; mentis intueatur in eo Dei imaginem,quæ perfuſa Chriſti ſanguine reſtituta fuerit diuinæ gratiæ,ac formoſiſſima effecta, ſed per commiſſum peccatum mortale, turpiſſima reddita, iuxta illud Ezechielis 16. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Ad illam autem priſtino nitori reſtituendam, conſideret à Chriſto Domino miſericorditer inſtitutum eſſe ſingulare hoc remedium, per quod peccata delentur, & ex filiis tenebrarum fiunt filij lucis;ſolutis laqueis quibus à diabolo captiui tenebantur ad ipſius voluntatem, iuxta Apoſtolum in poſteriori ad Timoth. cap. 2.in fine. Meminerit quoque aſſiduè Confeſſarius, quæ ſint in hoc negotio ſuæ partes; ſeipſum reputando, tum vt ſtabularium illum Euangelicum,ad quem miſericordiſſimus Samaritanus impoſitum iumento ſaucium ſemiuiuum adduxerit curandum, cum pollicitatione compenſationis omnium, quæ ſupererogauerit: tum etiam vt ſpe-

Luc.10.

culatorem illum datum domui Israel,ad quem diriguntur illa verba Ezech. 3. *Si dicēte me ad impium, morte morieris, nō annunciaueris ei,neque locutus fueris,vt auertatur à sua via impia,& viuat;ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio,& ille non fuerit auersus ab impietate sua, & à via sua impia,ipse quidem in iniquitate sua morietur,tu autem liberasti animam tuam.* Quibus considerationibus adhuc roborabitur Confessarius ipse ad sustinendas patienter varias molestias, & tædia, quæ contingunt in audiendis confessionibus; partim ob horrenda & fœdissima peccata, quæ narrantur, partim ob graues, & intricatos casus, qui occurrunt, partim ob periculum errandi in re tanti momenti, partim ob ingeniorum, quæ tractantur, varietatem & duritiem, necnon ob exiguam præparationem, cum qua non rarò peccatores ad confessionem faciendam accedunt, qua in re defectum supplere spectat ad Confessarij munus.

4. Pertinet quartò quod post Nauarrum & Polancum proponit Iacobus à Graphiis,*g* vt Cōfessarius aduertat an Pœnitens (quem sibi subiectum cognoscat oportet) decenter se habeat: nempe an vtrumque genu flectat, an caput aperiat, an ita se componat, vt non Sacerdotis faciem,sed Crucifixi imaginem intueri velle videatur. Quæ omnia si viderit ipsum sua sponte facere,laudet Deum; sin secus,monere debet vt faciat, vtque secum reputet se non coram homine peccatore, sed coram Deo altissimo constitutum esse,à quo debeat cum summa humilitate,& reuerentia, veniam peccatorum suorum

g lib.1. decisionum aurearum cap. 24.num.2.

tum postulare; tum (si tam rudis sit vt nesciat) doceat illum se signo crucis munire, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* cum eóque dicat confessionem generalem vsque ad verba *Mea culpa.* Quamquam postremum istud non est necessarium, vt Nauar. monet. *h*

Pertinet quintò *i* vt si Pœnitens nõ incipiat statim confiteri, ipsum admoneat vt omnia sua peccata, quorum memoriam habet, & de quibus conscientia magis ipsum remordet, quæque sibi in extremis constituto, à dæmone obiici coram cœlesti iudice maximè timeret, statim exponat; culpam imputando sibi soli, aut certè potiùs & principaliùs, quàm cœlo, vel dæmoni, vel carni, vel sodalibus, vel naturali complexioni; circumstãtiásque necessarias ita declaret, vt non stet per ipsum quo minus à confessario, perinde atque à semetipso intelligatur animæ suæ status.

5.

h in cit. cap. 10. num. 5.

i Hoc Nauarrus ibidẽ subiungit. Confitens sua ipse peccata confiteatur.

Pertinet sextò *k* vt nec qui confitetur faciem Confessarij, nec Cõfessarius faciem confitentis intueatur, (præcipuè in confessionibus mulierum) sed Pœnitente constituto ad latus, si nihil fuerit intermedium, quod præbendo ei aurem aspectum mutuum prohibeat, manu ab eodem latere apposita maxilla excludatur faciei aspectus. Sic autem exterius constitutus Confessarius, interius mente ad Deum eleuata tacitè oret, vt diuina maiestas dignetur pœnitẽti præstare auxilium ad verè cognoscenda & cum vera contritione confitenda peccata sua. Quæ mentis eleuatio potest, & debet breuiter fieri; vt nihil obsit attentioni necessariæ ad debitè audiendam confessionem. Oret pariter & pro seipso, si ex tali auditione tentationem aliquam in se sentiat,

6.

k Hoc quoque habet Polancus in cit. art. 4.

Mentis eleuatio in cõfessione facienda.

tiat, medicos corporum imitatus, qui visitantes infectum morbo contagioso, solent habere aliquid odoriferum, per quod à contagione se protegi, defendíque posse sperant; de quo antidoto ad conseruationem sui nihil sollicitis, frequenter contingit, vt spiritalis pestilentia, quam in aliis curare volũt, adhæreſcat ipsis: quasi dæmonium habente insiliente in eos, & ita inualeſcente contra eos, vt nudi, & vulnerati relinquantur, ad modum filiorum Scæuæ Iudæi, de quibus Actorum 19.

Cõfessarius nõ debet se commouere, dum grauia audit peccata.

7. Pertinet septimò quod ex communi omnium sententia habet Nauarrus, *l* vt cùm aliquod graue, turpéve peccatum in cõfessione declarari Confessarius audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat siue spuendo, siue se cruce signando, aut seipsum aliqua ratione commouendo, ne inde pudore, aut alia perturbatione affectus Pœnitẽs, desistat à confessione saltem plenè facienda. Quin potiùs, ac si nihil audiret, dissimulet vsque ad finem confessionis, & tunc cùm vult ei pœnitentiam imponere, grauitatem, & fœditatem peccatorum, quibus se contaminauit, exponat; semper memor tum præsentiæ Dei cui cooperatur, vt cum timore sanctè officium suum peragat; tum etiam humilitatis Christianæ, vt quàm ex se, ac seclusis Dei donis (de quibus tamquam alienis bonis malè impensis redditurus est rationem) vilis sit expendens, se aliis minimè præferat.

l in cit. cap. num. 6.

Confitens audiendus

8. Pertinet octauò quod idem auctor addit *m*, vt si Pœnitẽs per seipsum peccata sua recenseat, Confessarius patiatur ipsum pro sua voluntate exponere, quæ meminit ac confiteri statuit: quantumcumque

m ibid.

que rudi, crassáque Minerua, & sine ordine ea exponat. Quia enim eo tempore quasi parturiens laborat, agendum est cum illo, sicut cum fœmina parturiente agi solet: cum qua nihil attentatur, quo vel turbetur, vel impediri possit partus. Accedit, quòd sic, confessio magis spontanea esse censebitur, ac faciliùs cognoscetur quibus peccatis ille magis implicitus extiterit, & quæ magis sint interrogando attingenda. Quamquam si Confessarius ipse aliqua non satis intellexerit, præsertim de mortalibus, curare debet replicanda, vt meliùs intelligat; siquè pœnitens in aliquo delinqueret contra necessarias cõditiones confessionis, benignè ac mansuetè reprehendendus est, & docẽdus de eo, quod ipsum seruare, aut cauere oportet: vt si verborum inuolucris, aut nimiâ copiâ vtatur, suauiter moneri potest nudam, ac simplicem esse debere confessionem: vtpote institutam ad aperiendum Confessori candidè statum propriæ animæ. Item si personam aliquam velit nominare; aut si dicat, non occido, nõ iuro, nulli malè volo, suauiter quoque monendus est, ab istis abstinendum esse in confessione: cuius ratio, naturáque postulat, vt sit propriorum tantùm peccatorum, non alienorum; sitque accusatio sui, non autem excusatio, aut commendatio. Monendus similiter est, si superflua dicat, ea quæ ad rem non pertinent, non esse commemoranda in confessione, & sic de aliis, si quæ occurrant, quorum admonitio non impediat sed potiùs dirigat cursum confitentis, prout monet Polancus in Directorio. *n* 9.

etiamsi malè peccata exponat.

n cap. 2. arr. 2. sub initiũ.

Pertinet nonò quòd quia prudentia & industria Cõfessarij eò spectat, vt quoad fieri potest supplendo

do defectus Pœnitentium, hos disponat ad consequendum Sacramenti Pœnitentiæ finem: si videat Pœnitentem suum velle sua peccata occultare, vel probabiliter credat ipsum obliuisci illorum, aut existimare mortalia non esse, quæ sunt: cautè (inquit Nauarrus) & prudenter eumdem ad peccata sua dicenda pertrahat, admoneátque esse in confessione exprimenda peccata, etiam ea de quibus dubitamus, an ea commiserimus, aut an peccata sint mortalia, vel venialia, exprimendo quòd dubitemus, nec simus certi; quòd si recordemur nos mortaliter deliquisse, sed in quo deliquerimus, ignoremus, confitendum esse quòd mortaliter deliquerimus, etiamsi ignoremus, in quo. Atque hęc si Confessarius præstare omittat, censebitur absoluere indignũ, vt ex Archidiacono admonet Syluius. *p* Ratio autem qua Cõfessarius debet aut memoria lapsum monere, aut ignarum instruere, satis intelligetur ex pòst dicendis in cap. 4.

o in eod. ca. 10. num. 7. sub initiũ.

p confessio 1. q. 17.

10. Modus verò pertrahendi Pœnitẽtem ad dicendum sua peccata, esse potest, tum per interrogationes, de quibus in sequent. cap. 3. tum per cohortationes, quas ratio, aut interior Spiritus sancti vnctio suggesserit ad rem accommodatas, vt verbi gratia proponendo ei suauiter, quòd agat cum Deo nihil ignorante; & ad eam, quam expectat ab ipso remissionem peccatorum, exigens eorumdem peccatorum integram confessionem, per quam seipsum talem omninò coram sacerdote linguâ manifestet exteriùs, qualem se in corde agnoscit interiùs: ita vt reticendo de industria, aliquod mortale, quo suam conscientiam nouit grauari, se nouo scelere contaminet, ac instar Judæ proditoris dicendo, *Peccaui*,

Matth. 24.

laqueum

laqueum collo inferat, quo spiritaliter suffocetur. Addendo præterea, persuasionem illam reticendi, non nisi à diabolo prouenire posse, nobis tam prõptum, & efficax aduersus æternam mortem remedium inuidente. Neque enim aliunde prouenire posse videtur, quòd homo Christianus se à confitendo tantopere auersum sentiat: quandoquidem ei sua fides ostendit, tum honestissimum opus esse illud, quo à sordibus mundatur anima: tum iustissimum, quo redditur Deo honor ablatus: tum vtilissimum, quo patefit in cœlum aditus. Ad quod confirmandum facit quòd tam audax fuerit in peccando, cùm tamen eadem fides ostendat id esse; tum turpissimum, vtpote quo fœdatur anima; tum iniustissimum, quo honor Deo debitus in dæmonem transfertur; tum etiam pernicioſissimum, quo ipsa etiam æterna miseria incurritur. Itaque nisi ipse dæmoni se mancipatum velit, & illius rabiem per omnem æternitatem in se experiri, det locum clauibus, quibus cœlum sibi clausum referetur, soluuntúrque vincula, quibus tenetur captiuus à diabolo ad ipsius voluntatem: misereatur animæ suæ, qua post Deum nihil habere potest carius: aduertat quòd eam coniecerit in stacum dæmoniaci muti à Domino sanati Matth. 9. & Lucæ 11. vt indicio est, quòd ex communi doctorum sententia, idem dæmoniacus peccato mortali infectum mystice designet, ac referat tamquam pictura, & vmbra quadam; & ideo si horribile sit, & miserabile à diabolo hominem possideri corpore, multò magis esse possideri anima. Forti proinde animo imitetur Dauidẽ tantum regem pœnitentem, quem imitatus est peccatẽ; vt cùm lætificauerit Angelos, iuxta illud Luc. 15.

A diabolo prouenit, quòd homo à confessione abhorreat.

Peccator per dæmoniacum surdum & mutum repræsentatus.

Gaudium

Gaudium est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente;& ipse gaudens in Domino dicat cum eodē Dauide Psal.31.*Delictum meum cognitum tibi feci,& iniustitiam meam non abscondi. Dixi,confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Addere etiam poterit Confessarius,nihil est quòd peccata tua verearis dicere, quia quodcumque confessus fueris, ita reticere debeo, vt mille mortes potiùs oppetere debeā, quàm vel vnicum ex eis reuelare audeam. Item, vt sibi persuadeat,se confiteri Christo, scienti omnia: qui & paratus est ipsum suscipere,non minore benignitate(iuxta illud Psalm.102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus eum, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*) quàm filium suum prodigum clemens pater Lucæ 15. recepit,dummodo ipse sicut ille prodigus,pœniteat ex toto corde,atque Christo (sacerdote audiente, quem in hoc negotio suum vicarium constituit) cum vero emendationis proposito, omnia peccata sua confiteatur.Debet tamen Confessarius cauere, ne nimius ac concionabundus sit in his : vna enim de conditionibus confessionis est breuitas, ab ea excludēs quæ superflua sunt,tam ex parte Confessarij,quàm ex parte Pœnitentis. Vnde ille & se & hunc à talibus cohibere debet.

Cōfessarius in exhortationibus breuis esse debet.

11. Pertinet decimò ad propositam prudentiam, illud quod habet Nauarrus *q*, vt Cōfessarius in toto confessionis decursu attentè consideret an Pœnitens aliquas præcedentes confessiones suas iterare teneatur propter aliquam causam : quæ potest esse, ex parte quidem Confessarij,defectus aut potestatis, aut scientiæ sufficientis,iuxta dicenda in sequent.

q in cit.cap. 10.num.3. versu 5.

quen.cap.22. aut etiam intentionis in absoluendo, vel attentionis in audiendo Pœnitente. Ex parte eiusdem Pœnitentis verò, defectus iudicij, aut notitiæ necessariorum ad salutem, aut summæ detestationis peccatorum, aut firmi propositi emendationis, aut sufficientis examinis conscientiæ, aut integritatis confessionis: siqúe inuenerit teneri ad iterationem, moneat ad id non aduertentem, quòd debeat iterum examinare conscientiam suam; atque cum eo agat sicut postea dicetur *r* esse agendum cum illo qui non discussit sufficienter conscientiam.

Defectus Confessionis ob quos illa est iteranda.

r in cap.3. Sect.1.nu. 12.

Pertinet vndecimò vt Confessarius velit potiùs duos audire benè, quàm viginti perfunctoriè: quandoquidem hoc, quàm illud melius est, vt bene ait Caietanus in verbo Confessor *s*. Pertinet postremò quod monet Polãcus in Directorio *t*, vt cùm nequit Confessarius audire omnes, libentiùs eos audiat, qui plus indigent, & quorum spiritualis profectus redundat ad maiorem Dei gloriam, & maius commune bonum.

12.

s §. de prudentia Confessarij.

t Cap.1. in fine art.4.

Præstat duos bene audire quàm viginti perfunctoriè.

CAPVT II.

De prudentia Confessarij in interrogando Pœnitente.

SVMMARIVM.

1. *Modus, quo spectat ad Confessarij officium, Pœnitentem interrogare.* 2. *De peccato mortali quod*

committit id omittendo. 3. *Non liberatur Confessarius ab obligatione interrogandi pœnitentem, eo quòd hic videatur bene feciſſe ſcientiæ examen.* 4. *Spectantia ad propoſitam prudentiam Confeſſarij.*

1. *a* in 4. diſtin. 18. quæſt. 2. art. 4. col. 14.

OFFICIVM quidem Confeſſarij de ſe, vt rectè notat Sotus, *a* non eſt interrogare Pœnitentem, ſed audire ipſum confitentem: cùm in pœnitentiali foro non procedatur, ſicut in criminali, per vim coactiuam ad extorquendam à reo confeſſionem, ſed per ſpontaneam voluntatem confitentis: adeò vt ſimplicem illius confeſſionem audire ſufficiat, nec de ratione Sacramenti pœnitentiæ per ſe ſit, interrogationes in illius adminiſtratione fieri, ſed ſolùm ex accidenti: nimirum cùm acciderit Pœnitentem aliquid de neceſſariis in confeſſione omittere; tunc enim id coniunctum eſſe cum ipſo audiendi officio, patet tum ex præcepto quod de interrogando datur de pœniten. diſtinct. 6. cap. 1. §. Diligens, & de pœniten. & remiſſ. cap. Omnis vtriuſque ſexus. §. Sacerdos; tum ex eo quòd Cõfeſſarius fungatur officio medici, qui infideliter agit, ſi videat ægrotum aliquas morbi circumſtantias peſtilentes tacere ex ignorantia, & nihil inquirat. Item officio Iudicis qui ſimiliter perfidè agit, ſciens teſtem aliquid tacere, de quo ius habet interrogandi, illúdque omittit, ac diſſimulat. Item officio auditoris rationum dati & accepti, qui negligit in fraudem Domini ſui multa recepta ſilentio pertranſiri.

Interrogationes non ad officium Confeſſarij neceſſariæ.

2. Vnde conſequens eſt Confeſſarium omittentem interrogationes debitas, peccare mortaliter (prout habet Angelus verbo Interrogationes) *b* quoties

b in principio, quę ſe-

animad

animaduertit,& credit aliquid esse,de quo necessarium sit Pœnitentem interrogari, vt valida, & fructuosa sit ipsius confessio,nec interrogat. Ratio verò est,quia tunc supradictum præceptum obligat,si vnquam aliàs,illiúsque violatio est cum graui damno spirituali proximi, & iniuria Sacramenti pœnitentiæ: siquidem per eam subtrahitur pœnitenti consilium, atque remedium debitum: & in sacramento pœnitentiæ forma applicatur insufficienti materiæ, id est, absolutio sacramentali confessioni defectuosæ. Sic igitur Angelus ipse meritò ait, quòd Confessarius probabiliter credens eum, quem audit confitentem omittere ex obliuione, vel ex ignorantia, vel ex negligentia aliquid ad validitatem confessionis necessarium (vt potest credere de magna parte hominum,qui ferè rudes sunt, aut ignari, aut valdè negligentes in examinanda conscientia, aut non norunt exprimere species, numerum,& circumstantias peccatorum,aut si norunt non faciunt) peccet mortaliter,si ex negligentia, vel ex timore, prætermittat interrogationes, quas ei conscientia probabiliter dictat esse de necessitate faciendas:multóque magis si apertè videat esse penitus necessarias.

quitur Nauar.ad citatum §. Diligẽs. nu.7. & in Enchir. cap.5.nu.2. Confessarius omittens interrogationes necessarias peccat morr.

Id quod iuxta Melchiorem Canum *c* intelligendum est locum habere, cùm etiam si Confessarius existimet probabile pœnitentem pro suo captu idoneam diligentiam adhibuisse in inquirendis,atque commemorandis peccatis suis,ac eorumdem circumstantiis:nihilominus simul existimat probabiliter, credátque aliquam peccati circumstantiam necessariam se inuenturum per suam interrogatione,licet(vt idem Canus addit, & ante eum Ange-

3.

c In relectione de pœniten. par.6. quem Suarez aliquot aliis citatis sequitur tomo 4.disput.32. sect. 3.nu 7.

lus) *d* Confessarius ipse non debeat nimiùm scrupulosus esse in interrogandis ijs, quæ possibile est Pœnitentem commisisse: sed sufficiet, vt interroget circa ea, quæ probabiliter credit ab eo commissa esse. Immò si nesciat certò commissa esse, poterit ad scrupulum depellendum considerare dictam Cani extensionem non esse receptam ab omnibus. Præter Medinam enim cuius meminit Suares, *e* Franciscus à Victoria *f* sic ait: Si probabile sit, quòd Pœnitens fecerit sufficientem examinationem, licet credat Confessarius, quòd ille alia peccata habeat præter ea, quæ dixit, interroget Confessarius, si commodè potest, sed non tenetur tunc interrogare. Iam si Confessarius probabile iudicet, quòd confitens aduertat, sciátque se illud ipsum omittere, de quo interrogandus videretur (nisi fortè obseruaret non audere ex verecundia dicere, vt addit Angelus) poterit etiam persuadere sibi quòd non perpetrauerit illud, aut de illo fuerit iam aliàs confessus. Id quod approbans Nauarrus in Enchir. *g* addit omittere aliquam interrogationē per inaduertentiam aut obliuionem non videri esse mortiferum. Immò interdum nullum peccatum esse expressit Syluester *h*, quando nimirum inaduertentia fuerit inuincibilis. nam vincibilis, siue ex leui, siue ex leuissima negligentia proueniat, & si fortè à mortali peccato liberet omittentem, non tamen à veniali.

e in præced. nu. 6.

f De Sacramen. nu. 193.

g loco cit.

h Cōfessor. 3. quæst. 14.

4. Atque intelligitur ex his, pertinere ad Confessarij prudentiam in interrogando Pœnitente, vt quoties timet, aut dubitat, aut probabiliter putat ipsum silere aliquid quod ad validitatem confessionis necessarium sit declarari, curet supplendum

per

per interrogationes quod deesse videt; Sin autem bona fide credat, nihil de necessariis omissum esse ab eo, aut dubitet siue ex probabilitate, ac tantùm ex scrupulo, vel ex aliquo inani timore, aliquid omissum timeat: abstineat ab interrogationibus quas imprudenter vsurpans venialiter saltem peccaret ex Nauarro. *i*

Abstinendū quandoque ab interrogationibus.

Pertinet præterea, quod habet Polancus in Direct. *k* vt pro qualitate Pœnitentis, plus aut minus, hoc illóve modo interroget: atque adeo vnumquemque de iis quæ magis sunt, illi propria spectatis statu, & officio atque conditione eius: ac etiam de aliis, quæ possunt ex dictis eius elici.

i Ad antememoratū §. diligens num. 7.

k cap. 2. art. 2.

Pertinet adhuc ex Syluestro *l* vt caueat, ne interrogando imprudenter Pœnitenti occasionem det ridendi, & iocandi postea de ineptis interrogationibus sibi factis. Caueat etiam se, aut Pœnitentem ad aliquod malum prouocare interrogando.

l Confessor 3. sub finem.

Pertinet denique, vt consideret, & inter se distinguat ea, quæ ante, vel post confessionem; & ea quæ in confessione interroganda sunt: vt (quemadmodum expedit) ordinatè procedat dū vacat Pœnitenti; cui si mors, vel phrenesis, vel linguæ impedimentum timeretur, summus ordo est, nō seruare ordinem alium, quàm quem discretio dictauerit, vt rectè ait Polancus. *m* Quæ autem sint ante, & quæ post confessionem, quæque in confessione interroganda vt in particulari tradantur, praxis nobis proposita exigit. Id verò consequenter fiet sub titulo interrogationum à Confessario faciendarum Pœnitenti.

m in cit. art. 2.

CAPVT III.

De interrogationibus Pœnitenti faciendis à Confessario.

SVMMARIVM.

1. *Explicatio difficultatis, an ante inchoationem confessionis faciendæ sint Pœnitenti à Confessario interrogationes aliquæ.* 2. *Interrogationes faciendæ respectu iurisdictionis: & quòd de casibus reseruatis interrogatio non sit necessariò facienda.* 3. *Facienda respectu contritionis, & quid agendum sit cum eo qui inimicitias gerere inuenitur.* 4. *Quid item cum obligato sub mortali ad aliquid exequendum.* 5. *De non absoluendo existente in statu peccati mortalis, quem deserere non vult.* 6. *Quid agendum sit quando Confessarius dubitat, an peccatum mortale sit illud, in quo Pœnitens perseuerare statuit.* 7. *Quid item cùm in tali negotio Confessarius & Pœnitens contrarias sententias sequuntur.* 8. *Quid cùm vterque dubitat.* 9. *Interrogationes faciendæ habito respectu ad confessionem de præsenti instituendam.* 10. *Aliæ habito respectu ad antea institutam.* 11. *Quid agendum cum eo, qui non impleuit impositam Pœnitentiam, aut non fecit antea confessionem integram.* 12. *Quid agendum cum eo qui inuenitur, non fecisse sufficiens conscientiæ suæ examen.* 13. *De erudiendo eo qui deprehenditur nimis rudis esse in fide.* 14. *Ratio accommodandi se in ea re ad captum rudium.* 15. *Pœnitens confessionem inchoaturus, excitandus est ad integram*

tegram faciendam. 16. *De eo qui confiteri vult non quidem referendo per se peccata sua, sed tantùm respondendo interrogationibus Confessarij.* 17. *Prudentia in interrogando Pœnitente dum confitetur, & de quibus interrogandus sit.* 18. *Obseruanda in talibus interrogationibus.* 19. *Modus interrogandi de peccato carnis.* 20. *Interrogationes generales, quæ subiungi possunt confessioni factæ à Pœnitente.* 21. *Speciales omnibus communes digestæ secundùm Decalogi ordinem.* 22. *Speciales diuersi status, & conditionis hominibus propriæ.*

POENITENTEM à Confessario interrogationibus, dum confitetur iuuandũ esse, ad plenè integréque aperiendam conscientiam suam, ac totum animæ suæ statum patefaciendum, habetur ex cap. 1. de Pœniten. distin. 6. §. diligens; & post peractam confessionem debere interrogationibus supplere integritatis defectus, qui in ea contigerint, manifestũ est ex dictis in præcedenti cap.

An autem aliquæ præmittendæ sint inchoationi confessionis, difficultas est de qua à plerisque statuitur, statim post confessionem generalem antequam Pœnitens specialem narrationem suorum peccatorum inchoet, interrogãda esse ea, quæ possunt absolutionem impedire, aut difficilem reddere, ne post eandem narrationem, in toto, aut in maiori parte factam, Pœnitens ipse cogatur absque absolutione recedere. Pro qua opinione Nauarrus ad citatum §. Diligens. *a* adfert, tum quòd frustra expectetur euentus, cuius nullus est effectus, vt habet receptum axioma; ideoque ad absolutionem consequendam confessio frustra fiat ei, qui nequit 1.

a nu. 12.

illam dare: Tum quòd scandalizandus sit Pœnitẽs, si postquam totam suam vitam Confessario aperuit, audiat ab eo, *non possum te absoluere*: Pro contraria opinione verò adfert, tum quòd in cap. Quod quidam, de Pœniten. & remiss. habeatur confessionem illius, qui à peccato recedere nolit, non esse respuendam, tum quòd frequenter fiat, vt adhortationibus, quæ peracta Confessione fiunt à sacerdote tanquam animæ Medico, morbum cognitum satagente curare, Pœnitens reddatur dispositus ad absolutionem obtinendam. Tum demum quòd experientia doceat eum, qui iam confessus est sua peccata, multò ampliùs quàm ante Confessionem esse obtinenda absolutione sollicitum, ne grandis ille labor in præmeditandis, & confitendis peccatis ei pereat. Ob quæ in vtramque partem momenta rationum idem Nauarr. *b* meritò addit, non videri dicendum, quòd confessioni præmittenda sit necessariò interrogatio eorum quæ absolutionem impedire, aut difficilem reddere possunt; neque ex altera parte negandum esse, quin ea licitè præmitti valeat. Vtiliter verò præmitti Polancus *c* ex eo docet, quòd si cohortatione adhibita: leniendo scilicet, consolando, in spem erigẽdo, & cùm opus fuerit (iuxta cap. 1. de Pœniten. distin. 6. §. Quibus cognitis) etiam increpando, Pœnitens paratus non est à peccato recedere, tempus cum eo teratur, quod cum alio vtilius expenderetur. Quamquam tamen, vt Nauarr. addit, *d* si Confessarius sit Parochus, non debet quo tempore audire tenetur (vt in Quadragesima) respuere subditum suum, qui non obstante comminatione facta de ipso non absoluendo, vult confiteri.

An Confessioni præmittendæ sint interrogationes quæ impediunt absolutionem.

b in sequen. nu. 13.

c In Directorio c. 2. art. 1. sub finem.

d ibidem.

Interroga

Interrogationes præmittendæ ante confessionis inchoationem.

SECTIO PRIMA.

HArum quædam faciendæ sunt habito respectu ad iurisdictionem, quam Confessarius iuxta post dicenda in cap. 22. debet liberam habere in Pœnitentem, vt eum absoluere possit; nempe si Pœnitens sit homo ignotus, & Confessarius iurisdictionem ipsam habeat limitatam, ille interrogandus cuius Parochiæ sit; & an habeat diplomata Apostolica, vel suorum ordinariorum, quibus ei concedatur libera electio Confessarij. Quæ, vel tantùm respondente se, vndecumque sit, tamquam subditum posse ab ipso absolui: debet Confessarius putare satisfactum sibi esse, prout habet Nauarrus. *d* Altera interrogatio eodem respectu faciendа, etiam ei, qui subditus esse cognoscitur, est, an sciat se habere aliquam excommunicationem, aut casum reseruatum. Atque si ex responsione Confessarius cognoscat excommunicationem habere, sed à qua ipsum absoluere possit, absoluat antequam à peccatis eo modo quo dicetur in sequent. cap. 17. & plenius tradit Nauarrus in Enchir. *e* Sin autem inueniat habere reseruatam, mittat ad eum, cui reseruata est, aut ad alium, cui ille ad id sufficientem iurisdictionem delegauerit: aut certè talem delegationem procuret sibi, vt possit per se Pœnitenti suo satisfacere. Idémque iudicandum est si inueniatur casum habere sine excommunicatione reseruatum, de quo plenius in sequent. cap. 18. atque etiam commodius: præser-

2.

d ad eũdem §. diligens num. 11.

e cap. 16. nu. 7. 8. & 9.

Pœnitens non est interrogãdus, an habeat casus reseruatos.

tim cùm per se loquendo, necessarium non sit istiusmodi interrogationem de casu reseruato fieri à Confessario. Etenim Pœnitens vel talis est, qui censeatur scire, an habeat casum reseruatum, & tunc si de aliquo tali conscius sibi sit, debebit Confessarium ipsum interrogare, an potestatem habeat absoluendi ab eodem: quod si non faciat, præsumi potest nullum habere; vel talis est qui censeatur ignorare casus reseruatos, tuncque nihil proderit interrogatio. Quòd si omissa eiusmodi interrogatione, aliquis talis casus ex confessionis decursu deprehendatur, ita vt illâ factâ Pœnitens absolui non possit, ipse debet tale incommodum suæ indiscretioni, vel ignorantiæ imputare, non autem Confessario, qui nequiuit facilè illud præuenire. Et ita notat Suarez tomo 4. *f*

f disput. 32. sect. 3. nu. 2.

Interrogationes præmittendæ in ordine ad contritionem. §. 1.

3. QVædam verò aliæ interrogationes faciendæ sunt habito respectu ad contritionem. Cuius generis est: An ex animo doleat se offendisse Deum, & propositum firmum habeat relinquendi statum peccati. Qua in re inuentus deficere, iuuandus est per post dicenda in cap. 5. & 6. sique nihil cum eo profici possit, dimittẽdus est sine absolutione tamquam obicem ei ponens.

Deponere inimicitias Pœnitens tenetur, antequam absoluatur.

Huius etiam generis est interrogatio: An gerat cum aliquo inimicitias? ad quas omninò deponendas, monendus est sic teneri, vt alioqui non debeat expectare suorum peccatorum remissionem, prout Dominus noster nobis inculcatum voluit cùm orantes

orantes dicere præscripsit; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* inducendúsque est ad reconciliationem præmittendam confessioni, si commodè possit : aut si non possit, ad firmum propositum eam exequendi cùm primùm nanciscetur commoditatem; cùm dicat Dominus, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus aliquid habet aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo.* Matth. 6.

4. Eiusdem item generis est interrogatio: An debitum aliquod habeat, sitque in mora solutionis? siue pecunia sit restituenda, siue fama reparanda, siue votum implendum. Atque si tale debitum existere comperiatur, debet Confessarius considerare, num Pœnitens possit tunc satisfacere : sique non possit, sufficit, vt habeat propositum firmum statim satisfaciendi, ac facultas illi ad id fuerit. Sin possit, neque vrgeat necessitas confessionis, debitúmque facilè, & breui tempore impleri valeat, facere debet Confessarius, vt priùs impleatur quàm confessioni vacetur : quia obligatio ad illud est, vt fiat quàm primùm potest : prout patet per tradita à Nauarro in Enchir. *g* de tempore restituendi, quod debetur. Quòd si vel necessitas confessionis vrgeat, vel non possit facilè, & breui tempore satisfieri : Confessarius debet inducere Pœnitentem ad firmum propositum satisfaciendi quàm primùm poterit commodè : admonendo eum, si nimium differat, lapsurum ipsum in peccatũ mortale, & amissurum gratiam, quam per absolutionem consequetur. Quod docens idem Nauarrus, *h* excipit eum, qui in cõfessione præterita (quod etiam

Debitũ Pœnitens quomodo teneatur soluere si possit, vt absoluatur.

g cap. 17. nu. 54. & aliquot sequentibus.

h in Enchir. cap. 26. nu. 5.

etiam interrogatione inuestigandum est, si Pœnitens non aperiat) restitutionem promisit, nec restituit, cùm potuit, & debuit. De quo idem etiam Nauarrus, *i* post D. Antoninum & Caietanum statuit nõ debere absolui, nisi priùs restituat actualiter, quia licet habenda sit Pœnitenti fides in iis, quæ pro se, aut contra se dicit; prouideri tamen debet, ne qui semel defecit, iterum deficiat. Quamquam (addit ille) talis Pœnitens occurrere posset, nempe adeo dignus, cui fides adhibeatur, & tales circumstantiæ loci, & temporis, talésque causæ, vt Confessarius solo restituendi proposito debeat esse contentus, prudenter indicans, quòd opportunitas non detur aliquid amplius faciendi. Quod quidem vult locum habere etiam quoad eos, qui prohibentur absolui ante restitutionem realem: vt subtrahentes decimas, aut impedientes earum solutionem ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 12.

i in præced. ca. 17. nu. 59.

5. Interrogatio an sit in statu peccati mortalis præmittenda.

Eiusdem adhuc generis est interrogatio, quam ponit Polancus in direct. *k* an sit in aliquo statu peccati mortalis, quem non sit paratus deserere. nam qui proponit ab aliquo peccato mortali non abstinere in posterum (vt nolens restituere, vel concubinam relinquere, vel odium deponere, vel renunciare officio, quod nequit sine peccato mortali exercere, vel aliud eiusmodi) absoluendus non est, etiamsi aliquatenus, voluntatéve inefficaci, tale quid vellet. Qua de re textus habetur expressus in cap. Quod quidam, de Pœnitentia & remiss. Et ratio aperta est, quia talis confitetur sine contritione, quæ cum summa peccati detestatione includit propositum firmum non peccandi de cætero.

k cap. 2. ar. 1.

cætero. Defectus autem contritionis (vt certum est) confessionem reddit inualidam, & absolutionem sacrilegam. Quo fit, vt hæc non debeat tali impendi, etiamsi eam extorquere satagat importunè, etiam scandalum aliquod ac desperationem præ se ferendo.

Id quod Nauarrus in Enchir. *l* annotans addit tale scandalum esse Pharisaicum; quia ipse illud sibi accipit; ideóque negligendum iuxta cap. Inter verba. 11. quæst. 3. Neque est, quod quis opponat ad scandalum, aut aliud graue malum vitandum posse peccatori occulto ministrari Eucharistiam in publico. nam ministratio ea non includit (sicut ministratio Sacramenti Pœnitentiæ) rationem iudicij, in quo informari oporteat de statu suscepturi, vt ad illud admittatur inuentus dignus, vel repellatur iudicatus indignus. Quamquam autem ille qui dicit se peccatum aliquod mortale relinquere non posse, nullatenus nisi proposito in melius mutato, absolui debeat: nihilominus confiteri volens, audiri potest, iuxta citatum cap. Quod quidam: nec admitti debet (iuxta c. falsas, de Pœnitentia distinct. 5.) sine admonitione; qua inducatur, vt quotquot poterit bona opera non omittat facere, peccatáque euitet, vt Deus dignetur mentem ipsius illuminare, & cor emollire ad agendum Pœnitentiam. *m*

l cap. 10. num. 4.

Ministratio Eucharistię nō requirit rationem iudicij, vt Pœnitētiæ.

m hoc etiá habet Nauarr. loco cit. 6.

Notandum est autem primò ex Syluestro *n* & Nauarro *o*, Cōfessarium non debere absolutionem negare Pœnitenti, tamquam volenti perseuerare in peccato mortali, si nequeat intelligere, venialéue sit, an mortale peccatum illud, in quo perseuerare statuit: sed debere inducias & tempus petere ab

n confessor 3. q. 10.

o in Enchir. ca. 23. nu. 21.

ab ipso, ad consulendum libros suos, aut peritiores, vt in quam partem debeat sententiam proferre cognoscat: aut saltem persuadere ei, vt firmiter sibi proponat, quòd ab eo de quo agitur, sicut ab aliis mortalibus, abstinebit in posterum, si mortale esse iudicetur à viris idonea scientia, & conscientia præditis, quorum iudicio sit meritò fidendum: cuiusmodi propositum recusans habere (nisi valdè doctus esset, ita vt credi posset ipsum in sua persuasione sufficienti ratione duci) iudicabitur carere contritione ad absolutionem Sacramentalem necessaria, cùm non appareat auersus omninò à quocumque peccato mortali.

Quid agendum cũ eo qui absolui nequit.

Ne autem negatio absolutionis innotescat aliis, debet Confessarius ei dicere, quòd propter circumstantes cum eleuatione manus dicet super ipsum aliquam orationem sine absolutione, vt ita non recedat confusus. Quod est similiter obseruandum cum eo, qui ob aliam causam absolui non potest; ipso quoque monito, per talem confessionem, quam absolutio secuta non est, satisfactum non esse præcepto confitendi iuxta antè citatum cap. Quod quidam: vbi ea dicitur non esse vera Pœnitentia; qualis nimirum à Deo, & ab Ecclesia peccatoribus præcipitur. *p*

p hoc vtrũque aliis citatis admonet Iacobus à Graphiis in lib. 1. decis. aurear. cap. 24. num. 24.

Notandum est secundò ex Medina, in Cod. de Confess. *q* si iudicante Confessario peccatum mortale committi in aliquo facto, vel contractu, non acquiescat Pœnitens: & Confessarius tam eminens sit, Pœnitens verò tam simplex, vt meritò putare debeat, se non meliùs ab aliis quàm à Confessario ipso doceri posse, negandam esse absolutionem parere nolenti, tamquam indigno, nec satis auerso

q quæst. 19. dubio vltimo.

à pec

à peccato. Secus esse verò, si Pœnitẽs haberet alios, si non plus, saltem æquè, ac Confessarium fide dignos, à quibus de contrario informatus esset, aut informari speraret, quantumcumque (addit idem Medina) *r* tam informantes, quàm informatum decipi Confessarius ipse putaret, imò certus fortè esset de falsitate opinionis, quam confitens amplectitur. Enimuerò in praxi sequenda videtur sententia Nauarri tria dicentis. *f*

Pœnitẽs absolui potest quando habet pro se peritos, qui eum tueantur.

r ibidem in Corol.

f in citato ca. 26. nu. 4. Tria dicta Nauarri obseruãda.

Primum est, Confessarium si credat euidenti se textu, vel ratione niti, & Pœnitentem dubiâ, non debere ipsum absoluere. Ratio est, quia cùm de aliquo controuertitur, certitudo vnius partis, tollit probabilitatem alterius: neque enim probabile censeri potest id, cuius contrarium est certum. Absolutio autem dari non potest ei, quem probabile est dispositum non esse. Secundum est, si videat Confessarius se non adeo forti ratione niti; Pœnitentem verò niti pari, vel ferè pari, haberéque aliquem pro se clarum Doctorem, posse ipsum absoluere. Ratio est; quia probabilitas vnius partis controuersæ secum patitur probabilitatem alterius: atque tutâ conscientiâ licet sequi id, quod est probabile: nec qui sequitur est eo nomine indispositus ad percipiendam absolutionem Sacramẽtalem. Iam verò negare eam dispositio graue peccatum est: non modò quia fit ei grauis iniuria, sed etiam quia æquitas, ratióque iudicij postulat, vt Iudex audita causa rei, eum absoluat, si inuenerit absolutione dignum: præsertim in Pœnitentiali foro, in quo Confessarius tamquam Minister Christi debet absoluere eum, qui coram Christo apparet absolutione dignus. Tertium est, ista procedere siue Confessarius

Negare absolutionem disposito graue peccatum est.

fessarius ex officio audiat confitentem, vt proprius Parochus: siue ex sola charitate, vt alius, qui iurisdictionem habens tantùm delegatam, audire non tenetur ex officio: neque enim vllam inter eos esse in hac re differentiam hinc patet: quia ex quo delegatus suscipit in se onus aliquem audiendi in confessione, tenetur ei præstare, quidquid deberet ordinarius, cuius locum tenet vicésque supplet. *t*

8. Notandum est tertiò ex Nauarro *v* post Angelum *x* & Syluestrum *y*, si tam Confessarius, quàm Pœnitens dubij sint, an aliquid sit peccatum mortale, nécne, tunc eligendo partem tutiorem, esse iudicandum quòd abstinendum sit ab eo, ac tale tantúmque periculum vitandum: Hinc fit, vt si Pœnitens teneatur aliquid facere, vel dare, aut pœnam aliquam sustinere, benigniorem partem sequendo, esse pro reo dandam sententiam per iura citata à Syluestro.

t de hac re latè Suarez tom. 4. disp. 32. sect. 5. per totam.
v in Enchir. cap. 26. nu. 5.
x confessor 4. §. 3.
y in citata quæst. 10.

Interrogationes faciendæ in ordine ad confessionem. §. 2.

9. QVædam denique interrogationes faciendæ sunt habito respectu ad confessionem, siue eam quæ proximè facienda est, siue aliam antea factam. Huius generis est interrogatio illa quam proponit Polancus in Direct. *a* Quis sit confitentis status, quæ conditio, quod officium: nisi Confessarius iam hæc sciret. Refert enim intelligere, si coniugatus sit, si publico aliquo munere fungatur, quam artem factitet, si sit Religiosus, si Ecclesiasticus sacris ordinibus initiatus, si beneficium habeat

a cap. 2. art. 1. Interrogationes præmittendæ confessioni.

habeat Ecclesiasticum, & huiusmodi alia: vt conuenienter ex propriis cum eo procedatur in supplendis per interrogationes defectibus, qui in ipsius confessione contigerint. Debent enim tales interrogationes conuenientes esse statui, officio, & conditioni Pœnitentis: nempe de illis peccatis, quæ in eo ipso statu, officio, & conditione committi consueuerunt. Ineptè enim interrogarentur milites de peccatis clericorum, vt vtrùm recitarint horas canonicas; vel contrà, clerici de peccatis militum, vt num rusticos vexauerint: & sic de cæteris peccatis diuersorum statuum: quæ Nauarrus in Enchir. *b* latè persequitur. Aduerte verò obiter (quod idem docet) *c* quia non tenetur Pœnitens seipsum manifestare, nisi quo ad ea, quæ necessaria sunt ad Pœnitentiæ Sacramentum, nec etiam teneri declarare, an sit coniugatus, si matrimonium non offendit; neque an sit religiosus, si vota religionis non violarit, & sic de reliquis.

b cap. 25. per totum.
c ad principium cap. consideret. de pœniten. dist. 5. n. 97.

Eiusdem generis interrogatio est; Quàm pridem confessus sit, sique plus anno inueniatur confessionem omisisse, debet Confessarius monere ipsum, vt accuset se de transgressione præcepti obligantis ad eam semel in anno faciendam: ac etiam alterius de Eucharistia sumenda quotannis circa Pascha. Quòd si minùs anno quidem, sed à multis mensibus omisisse inueniatur, sollicitiorem esse oportet in examinando, quàm si à paucis tantùm hebdomadis omisisset.

10. Qui omisit confessionē per annum quomodo sit interrogandus.

Est item eiusdem generis interrogatio, an conscius sibi sit, de aliquo defectu commisso in aliqua præcedenti sua confessione, ex quo existimet fuisse, nullum cui siue fatenti siue neganti credendum

est, tamquam testi in iudicio instituto ad ipsius salutem.

11. De eo qui omisit implere Pœnitentiam.

Est & illa alia, an peregerit Pœnitentiã sibi impositam in præcedenti confessione. Atque si per contemptum, aut negligentiam notabilem omiserit eam implere, monendus est vt accuset se de eo, cùm peccatum sit mortale; nisi illa imposita esset tantùm consulendo, non autem præcipiendo, ex Nauarro. *d* Videat quoque Confessarius, an talem pœnitentiam relaxare, aut mutare conueniat, iuxta ea quæ dicenda sunt in seq. cap. 20.

d ad cap. contrariũ. de Pœnit. dist. 5. nu. 18.

Monendus est Pœnitẽs de iteranda confessione si ad id teneatur.

Est denique eiusdem adhuc generis illa, an conscientiæ siue satisfecerit, peccata, quæ memoriæ occurrerunt ita dicendo in præteritis confessionibus, vt Confessarius probè omnia intellexerit. Atque si aliquod tacuisse deprehendatur, vnde confessio ipsa ex defectu integritatis sit inualida: monendus est teneri ad illam iterandam, atque alias quascumque antea factas, in quibus similiter defecerit: atque adeo hortandus, vt sumat tempus, parétque se ad confitenda omnia: aut certè (si mors immineret, aut phrenesis, aut videretur nihil facturus si sic dimittatur) hortandus est, vt dicat tunc omnia quantum recordari potest: neque sibi licere putet aliquod tacere, eo quòd iam illud declarauerit in prefatis confessionibus, cùm eæ fuerint inutiles. Ita Polancus. *e* Cui adde, quod habet Henriquez, aliis in margine citatis, *f* si Confessarius non audiuit, vel non intellexit integram Pœnitentis confessionem: quia indoctus valdè erat, vel ignarus idiomatis, vel impeditus distractione, dormitatione, surditate, non percepit quæ dicebantur: Pœnitentem (nisi id aduertendo, ideóque peccando, poneret obicem

e in direct. cap. 2. art. 1.

f in summa lib. 5. cap. 14. §. 5.

absolu

absolutum ab habente sufficientẽ iurisdictionem) percipere fructum Sacramenti, ac teneri repetere tantummodo peccata ea, quæ putat Confessarium suum non intellexisse. Similiter eum qui bona fide confitetur ignoranti, non videri cogendum iterare confessionem: dato quòd ille cui confitetur voluerit tunc & potuerit ipsum bene dispositũ absoluere. Quamquam tutiùs fuerit oblata commoditate confessionem repetere, ob periculum inualiditatis illius, quod rarò deest in tali casu, iuxta dicenda in sequenti cap. 22. parte 3.

Interrogationes præmittendæ ad defectus Pœnitentis supplendos. §. 3.

ADde quoque Confessarium, quantùm licet per Pœnitentis valetudinem, debere defectus illius per interrogationes supplere, quando videbitur omittere aliquid necessarium ad confessionis integritatem, vt & quando sine sufficienti examine offert se ad confitendum. 12. Cõfessarius debet defectus confessionis supplere.

De quo examine Polancus *g* interrogationem hanc præcedentibus adiungẽdam censet, An conscientiam suam discusserit pro confessione quam facere instituit: nam si dicat se non discussisse; veróque simile sit, quòd postea redibit paratior, dimittendus est, vt discutiat se: tempore ei præfixo ad id sufficienti, habita ratione status personæ, & longioris moræ positæ in confessionis omissione. Excipe (vt antea) nisi mors, vel phrenesis immineret, aut nequiret communio sine scandalo differri, aut necessitas alia grauis vrgeret, ex Nauarro. *h* In quibus casibus, vt idem potꝛ Adrianũ habet, sufficiet (quo

g in eod. art. 1.

h ad cap. 1. de Pœnit. distin. 6. §. Diligens. num. 15.

ad Pœnitentem intellige, non quoad Cõfeſſarium, qui nihilominus tenetur ad proximè traditas interrogationes) pœnitẽtia omiſſæ prædiſcuſſionis, cum ea quæ poſſibilis ei fuerit, recordatione peccatorũ, id eſt, ſufficiet confeſſio negligentiæ in examinãda conſcientia, & omnium aliorum peccatorum, quorum tunc recordari potuerit. Quòd ſi veroſimile ſit ipſum non rediturum ad confeſſionem (oportet enim Cõfeſſores cauere ne mittant Pœnitentem in deſperationem, vt in hac re omnes conſulere notat Victoria) *i* vel ſi dicat ſe quidem aliquo modo, ſed ſatis leuiter diſcuſſiſſe conſcientiam ſuam, monendus eſt (inquit Polancus) *k* vt in poſterum diligentiùs ſe præparet, & vt quod recordatur ſincerè dicat cum omni, qua poteſt, humilitate, & diſplicẽtia peccatorum: eodémque modo reſpondeat ad interrogationes, quas ipſe facturus eſt, ad ſupplẽdum defectum ipſius in examinanda conſcientia. Immò cùm humanitus vix fieri poſſit, vt qui à longo iam tempore non eſt confeſſus, & frequenter peccare ſolitus eſt, ſiue ex praua conſuetudine, ſiue ratione officiorum, & negotiorum, quæ geſſit: vix inquam fieri poſſit, vt etiamſi iuuetur Confeſſarij interrogationibus, ſatis integrè ſua peccata confiteatur, ſi ad confeſſionem veniat nihil prẽmeditatus, dimittendus eſt, vt ante præcogitet quæ cõfiteatur tamquam neſciens neſcientia culpabili, reddere integram rationem de ſuis peccatis; ſicut ex Chriſti inſtitutione debet, ad remiſſionem illorum conſequendam per hoc Sacramentum; neque enim qui talis eſſe inuenitur, abſoluendus eſt, cùm ſit indiſpoſitus, niſi neceſſitas impoſsibilem faciens prẽcogitationem, ſuadeat aliud, vt bene monet Nauarrus, *l* quia tunc adeſt

i de Sacram. num. 193.

k ibid.

Pœnitens quando remittendus à Confeſſario.

l in præced. num. 14.

adest sufficiens causa excusans confessionis dimidiationem, in eo qui nihil reticere, sed omnia quãtum potest, dicere intendit. Quod si quem expediat parare se ad totius vitæ confessionem propter præcedentes, suspectas de inualiditate, poterit ad id dirigi, eũ monendo primò, vt per tẽpora ætatis pueritiæ, adolescentiæ, & ex se examinet. Secundò vt per varia sua officia, & occupationes. Tertiò secundùm varias suas dispositiones sanitatis, vel ægritudinis, prosperitatis, vel aduersitatis. Quartò secundùm loca, id est regiones, ciuitates, & domos, in quibus versatus est. Quintò secundum personas cum quibus conuersatus est, examinãdo quid cum illis tractauerit. Ac demum peccata tam cordis, quàm oris, & operis, quæ se commisisse deprehendit, reducat in ordinem decalogi, subiiciens singulis speciebus probabilem numerũ dicendo v.g. Quinquies circiter habui turpes cogitationes cum delectatione, & sic de cæteris.

Modus faciendi confessionem generalem.

Nonnumquam etiam qualitas Pœnitẽtis ostendentis se rerum diuinarum valde rudem, exigit interrogationes adhuc præmitti: An sciat articulos fidei, & præcepta decalogi, atque Ecclesiæ. Item num intelligat quid sibi velit confessio, ad quam faciendam accedit: & cum qua dispositione accedere debeat. Nam talia ignorans, de eis instruendus est iuxta cap. Deus qui. de pœnit. & remiss. Quod etiam ratio ostendit: quia vt peccator, Dei filius, & regni cœlestis hæres reddatur (quò Sacramentum Pœnitentiæ spectat) debet in Christum credere iuxta illud, Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*: Debet etiam obseruationem mandatorum Dei, sibi omnino proponere, iuxta il-

13. Interrogationes de fidei articulis quãdo præmitti debent.

lud, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* At nesciens articulos fidei, nequit in Christum credere: dicente Apostolo ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Nec quisquam potest sibi proponere obseruationem mandatorum, quorum non habet notitiam, ac multo minus executioni ea mandare. Attamen non est omninò necessarium, vt Pœnitens prædicta sciat ordinatè: sed sufficere potest, vt interrogatus valeat de singulis respondere: Quamquam Apostolorum Symbolũ, & orationem Dominicam non tenere saltem lingua vulgari graue peccatum est veniale *m* propter cap. Vos ante omnia. de consecr. distinc. 4. cuius expressum præscriptum infringetur ea ignoratione.

m hoc idem notat Iaco. à Graph. in lib. 1. decis. aurear. cap. 24. num. 27.

Iam accommodare se ad captum rudium in eorum institutione difficile quidem non est, quo ad ea quæ continentur in præceptis decalogi, & Ecclesiæ mandatis: quoad materiam verò articulorum fidei, difficultatis habet plurimum: cuius minuendæ rationem Gaspar Loartes in fine suæ institutionis Confessariorum duplicem dat. Prior est vt eiusmodi articuli in charta depicti, repræsententur, vt sic imagines conspectæ, sint illis scripturæ, aut literarum loco. Ex qua docendi ratione voluptatem capientes pertrahentur ad discendum, iuuabuntúrque ad ea memoriæ commendanda cum maiori facilitate, quàm si verbis tantùm inculcarentur. Adde quòd inde instigabuntur ad pietatem, considerando cum facilitate, & voluptate, depicta religionis nostræ mysteria. De modo autem, quem ille tradit tales imagines pingendi, & illis vtendi, nihil dicemus, quia res est, quæ pendet ex industria vniuscuiusque.

14. Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicã non tenere, est graue veniale saltẽ.

Rudes quomodo sint in fidei articulorum cognitionẽ deducendi.

Poste

Posterior ratio est, si Confessarius iubeat, vt is qui sit rudis esse inuenitur, omnibus anni festis à parocho suo, aut ab alio, à quo instrui possit, scisciteturquæ sit eius diei festiuitas. Quo fiet vt articulorum, de quibus toto anno institutæ sunt feriæ, non tantùm reddantur memores: sed etiam necessariam cognitionem assequantur. Addit ille documentum notandum pro praxi, inquiens: Cùm aduertet Confessarius rudes illos, & ignaros bonum habere propositum, & promptam ostendere voluntatem addiscendi, siue prædicto siue alio aliquo modo articulos fidei; iámque eorum aliquam notitiam habere, etsi crassiorem, poterit eos absoluere, priùs accepta ab ipsis sponsione, quòd bonum illud propositum quod habent, opere complebunt. In quo si negligentes fuisse inueniantur, nec propensionem vllam ostendant exequendi sibi commendata ad emergendum ex tanta inscitiæ caligine, absoluendi non erunt: tamquam ij qui occulto quodam, virtualíque contemptu id negligũt quod sibi ad salutem necessarium est: dum nolunt animum intendere ad id, sine quo sunt inepti ad absolutionem ipsam obtinendam. Cauendum est autem, ne quisquam talium antè absoluatur, quàm mysteria saltem glorioßimæ Trinitatis, & Incarnationis doceatur, quantùm sufficiat ad credendum verum Deum, vnum in natura diuina infinitæ excellentiæ, & trinum in personis, indicatis per nomina *Patris, & Filij & Spiritus sancti*, quæ vsurpat muniendo se signo sanctæ crucis. Itémque *Iesum Christum* Dei Patris Filium, propter nostram salutem factum hominem in vtero Beatissimæ Virginis, per operationem *Spiritus sancti*: ita vt simul

Rudes qui nescíunt fidei articulos, quando nõ sunt absoluendi.

ſit verus Deus,& verus Homo. Namque ſine tali fide,non poteſt quid conſtitui in via ſalutis : dicente eodem Domino noſtro,Ioan.17.*Hæc eſt vita æterna vt credant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Cæterùm ratio qua familiariter de articulis fidei inſtrui poſſunt rudes, tradetur in ſeq. cap.14.ſect. priore.

Interrogationes à Confeſſario interſerendæ confeſſioni Pœnitentis.

SECTIO SECVNDA.

15. PRæmiſsis, quæ propoſitæ ſunt, interrogationibus,quātùm opus eſſe iudicauerit, debet Confeſſarius dicere Pœnitenti, vt iam tamdem, quæ ſecum recogitauit, prout memoria ſuggerit, verbis ſuis exprimat; nihil reticendo de induſtria, cùm ſit coram Deo, in cuius præſentia peccauit, & quem fugere non poteſt : ſicut nec Adamus potuit, poſt perpetratum peccatum abſcondens ſe in medio ligni paradiſi. Neque audiente ſacerdote dicere vereatur, quia niſi ipſemet liberè in ſuum cōmodum ita velit, nulla ratione ille poteſt audita reuelare. Atque cum ex duobus malis eligendum ſit minus, cui ſacerdoti peccatum ſuum detegat potiùs,quàm ipſum coram Angelis, & hominibus in die iudicij palam fiat, iuxta illud Nahum tertio: *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuam.* Cuius rei figuram geſsit illud,quod in lib.2. Regum cap.12. habetur per Nathan dictum Dauidi peccatum ſuum occultanti. *Tu feciſti abſconditè, ego verò faciam*

Confeſſio à Pœnitente qualiter inſtituenda.
Gen.3.

cium verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius.

Quòd ſi ille, vt meliùs confiteatur, malit interrogari, quàm ſolus referre peccata ſua, non eſt ea de cauſa condemnandus, ſed potiùs iuuandus, vt admonet Nauarrus in Enchir. *n* dummodò tamen propoſitum habeat referendi omnia mortalia, quibus ſe grauari putat, quantumcumque non attingantur interrogando. Alioqui enim ſi ſtatueret aliquod mortale tacere, ſi de eo non interrogetur, peccaret mortaliter ex eodem auctore; *o* tamquam is nimirum qui vellet Confeſſionem facere inutilem. Verumtamen excitandus eſt, ac inſtigandus vt ore proprio, quæ meminit, confiteatur, etiamſi nequeat id facere niſi inordinatè, & imperfectè; quia ſic diſcet Confeſſarius, ex illius relatione, quas partes debeat in interrogando attingere. Illo renuente verò, ac dicente ſe nihil ſcire, quod proferat (cùm ſi diligentiam aliquam in examinanda conſcientia poſuerit, vix fieri poſſit quin peccata aliqua teneat memoria, de quibus valeat ſe accuſare) dimittendus eſt tamquam is qui diligentiam nullã poſuerit, ac monendus eſt, vt præparet ſe, prout ſuperius *p* dictum eſt, de eo qui inuenitur non diſcuſſiſſe conſcientiam. Quamdiu autem quis dicit, quæ meminit, & eo ordine quo meminit, audiendus eſt attentè, nec interrumpẽdus, niſi vt dirigatur. Poſtquam dixit quod per ſe dicere potuit, ſi videatur non dixiſſe omnia quæ dicta eſſe oportuit, interrogandus eſt; priùs tamen animatus, & diuinæ miſericordiæ ſpe propoſita inuitatus, vt verè, integrè, & liberè reſpondeat ad interrogata, nec quidquam per verecun diam taceat (quod in pueris præſertim

16. Nõ eſt reiiciendus qui potius cupit interrogari quã dicere ſua peccata.

n cap. 10. nu. 6.

o ibidem.

Si Pœnitẽs nihil vult dicere, dimittendus eſt.

p nu. 12.

& mulieribus periculosum est) sed nec dicant amplius quàm sciunt; verùm certa pro certis, & dubia pro dubiis prout ipsi meminerint eloquantur. q

q Ita Polancus in Direct. cap. 2. art. 2.

Quamquam prudentiæ Confessarij relictum est, vt dum aliquid occurrit interrogandum, statim interroget antequam pœnitens ad alia pergat, ne id memoria excidat, & omittatur, cum periculo deficiendi in necessariis ad confessionem: vel ne à pœnitente molestè exigere oporteat, vt quod iam dixit, repetat, vel si timeretur pœnitentis interturbatio ex eius interruptione nimis frequenti, postquam dixit quæ ad vnum aliquod præceptum, vel genus peccati pertinēt, interrogetur de iis, quæ circa illud omissa fuerint, antequam progrediatur ad alia.

De quibus oporteat interrogationes fieri. §. 1.

EA verò quæ pœnitens per ignorantiam, aut verecundiam, aut negligentiam tacuerit, Confessarius debet diligenter prudentérque interrogando elicere (prout præscribitur in §. Diligens. de pœniten. distin. 6. cap. 1.) sunt illa, quæ de necessitate secundum Christi institutionem (de qua Concil. Triden. sess. 14. cap. 5.) exprimi debent, in confessione sacramentali. Primùm igitur est quodcumque peccatum mortale, etiam merè internum. Vnde fit quia contingere potest, vt actus externus, qui de se est tantùm peccatum veniale, putetur mortale, vel proueniat ex affectu, aut intentione mortali: fit, inquam, vt pœnitens (nisi aliqua rationabili de causa iudicaretur non esse necessarium) de aliquo tali confitens, vt de furto rei leuis, interrogandus sit

Quæ sint necessariò confitenda.

sit verbi gratia, num putarit se rem magni pretij furari; nam id putans peccauit mortaliter, cùm id egerit quod conscientia mortale esse dictabat. Item qui cõfitetur se læsisse proximum, sed leuiter, interrogandus est; num habuerit animum grauiter lædendi: aut an læserit ardens illius odio, vel motus alio affectu mortali, vel intentione finis mortaliter mali: quia id esset peccatum mortale.

Circumstantia aggrauãs quãdo confitenda.

Secundum est circumstantia quæcumque peccatum aggrauans, mortaliter mutando eius speciem. Sic quando pœnitens confitetur se vulnerasse hominem, interrogandus est, num is esset Clericus: quia ob circumstantiam personæ incurreret in excommunicationem Papæ reseruatam. Item num in loco sacro, quia talis circumstantia cõstituit sacrilegium in ea materia mortale. Præterea num vulnerando haberet animum occidẽdi, quia commisisset homicidium mentale. Sic etiam confitens se abusum aliqua muliere, interrogandus est num ea esset consanguinea ipsius, num vxorata, & sic de cæteris, quæ distinctam peccati speciem faciunt, quia repugnant præceptis inter se diuersis.

Tertium est species peccati. Sic confitens se malum desiderium habuisse, interrogandus est, cuiusmodi fuerit illud desiderium, & sic alias quotiescumque ex confessione peccatum in sua specie non intelligitur quantùm intelligi debet.

Numerus peccatorum necessariò confitendus.

Quartum est numerus peccatorum: qui si determinatè sciatur, exprimendus est determinatè: sin ignoretur latâ culpâ pœnitentis, quia scilicet ea de re non præcogitauit, agendum est vt cum eo qui conscientiam suam non discussit sufficienter. Sin autem, ne adhibita quidem diligentia debita, sciri potuerit

tuerit ab eodem pœnitente talis numerus certus, is debet ſecum rationem ponere, quoties in die, vel hebdomada, vel menſe plus minúſue in eiuſmodi peccatum lapſus ſit, & veroſimiliorem numerum exponere: dicendo verbi gratia decies circiter in hebdomada peieraui: aut ſi conſuetudo peccandi præceſſit, non tam debet ſollicitus eſſe de declarando eodem veroſimili numero (etſi tacendus non eſt, cum ſine magna difficultate dici poteſt) quàm de explicando ſtatu ſuo per tempus & frequentiam perpetrationis peccati: verbi gratia dicendo, per decennium conſuetudinem habui peierandi. Per annum integrum habens beneficium Eccleſiaſticum omiſi diuini officij recitationem, aut non ſeruari ieiunia Eccleſiaſtica; & ſic de ſimilibus caſibus in quibus ex declaratione frequentiæ, & diuturnitatis, atque adeo procliuitatis peccandi, ſtatus pœnitentis ad illius curationem magis intelligitur quàm ex declaratione veroſimilis numeri. De hac agimus latiùs in praxi fori pœnitentialis par. 2. lib. 2. in poſteriore parte 4. capitis dubio 5.

De modo quo oportet interrogationes fieri. §. 2.

CIrca interrogationes autem de his faciendas, notandum eſt primò in multis peccatis, maximè in carnalibus, Pœnitentem eſſe quoque examinandum, An occaſio illorum maneat, verbi gratia, habeat ne domi eam cum qua peccauit: aut aliter vtatur aliquorum ſocietate quæ ſit ei cauſa ruinæ: quia tales, & aliæ ſi quæ ſint occaſiones mortaliter peccandi, tollendæ ſunt.

Confeſſarius interrogabit an domi habeat concubinam.

Notan

Notandum est secundò ex Nauarro *r* non esse formandas interrogationes de iis, quæ nihil pertinent ad peccata confitenda, nec de omnibus peccatis, sed tantùm de iis, quæ homines illius qualitatis, cuius est is qui confitetur, committere solent: itémque de consuetis, & quæ communiter nota sunt: vt censetur vsitatiores transgressiones præceptorum decalogi, & Ecclesiæ. Item septem crimina capitalia, atque omissiones circa opera misericordiæ, & circa custodiam sensuum, aliáque eiusmodi. Itaque de occultioribus, & insuetis peccatis quæ perditissimi homines inuenerint (cuiusmodi sunt multæ iniustorum cõtractuum species) tacendum est: nisi fortè de illis interrogandi occasionem Pœnitens dederit, quo casu adhuc ita cautè, & dissimulanter procedendum est, talibúsque circumlocutionibus vtendum, vt si Pœnitens ipse illa commiserit, proferat; sin minus, illa non addiscat.

r ad antememorat. §. Diligens. num. 2. & in Enchir. cap. 5. nu. 3. & 4.

Quæ tacenda sunt in confessione.

Notandum est tertiò (quod Nauarrus *s* ait experientia se didicisse) interrogationes esse necessarias potissimum ad intelligendum peccatorum numerum, & speciem: propterea quòd multi putant se sufficienter confiteri de numero si dicant: *multoties in hoc, vel in illo deliqui*: quos certum est falli cùm peccata numero tantùm distincta non minùs sint multa, quàm quæ specie distinguuntur: totáque peccatorum commissorum multitudo sit in confessione aperienda Confessario ex Concil. Triden. sess. 14. c. 5. quod illo modo nõ fieri sufficienter manifestum est. Præterea multi adeo generaliter confitentur vt nequeat distinctè intelligi, de qua peccati

s in præced. nu. 2.

specie

ſpecie confiteantur, & num ſit aliquid mortale, an tantùm veniale.

Atque modus interrogandi numerum non eſt alius, quàm vt dicente Pœnitẽte, multoties in hoc peccaui: quæratur ab eo, quoties: quia tenetur verũ numerum dicere, ſi illum ſciat: aut veroſimilem quantùm recordari poteſt. Sique non ſatis recordetur, iuuandus eſt ad obſeruationem generalis modi traditi in fine §. præcedentis: quam aduerte debere eſſe coniunctam, tum cum intentione plenè aperiendi ſtatum ſuum, tum cum expreſſione circumſtantiarum mutantium ſpeciem peccati, cùm non ſatis innotuerint ex modo explicandi numerum: ſicut meretrix confitens perſeuerantiam in flagitio per decennium, non declarat, an admiſerit vxoratos aut ſacerdotes, aut conſanguineos, & ſic de ſimilibus, de quibus proinde interrogãda eſt. In ſpecie autem peccati, præſertim carnis, Confeſſarius dare debet operam [t] vt verbis vtatur honeſtis, & à longè interrogationis initium ſumat à communioribus, gradatim ad particularia deſcendendo: ſic tamen vt pœnitente illa negante, nec in ſeipſo agnoſcente, ad hæc non procedatur interrogãdo; nempe ſi quis interrogatus de contactu inhoneſto, reſpondeat negando, non debet de hac vel illa ſpecie contactus interrogari: Sic etiam vt peccati ſpecie habita in carnalibus, non deſcendatur nimium ad ſingulas quaſque circumſtantias minutatim interrogandas, ne interrogans ad aliquam delectationem, aut ſeipſum, aut Pœnitẽtem interrogatum alliciat: in quo non Confeſſarij, ſed contaminatoris confeſſionis partes ageret, mortaliterque peccaret tamquam

Modus interrogandi numerum quis ſit.

[t] Hoc tangit Nauarr. ad eund. §. diligẽs. nu. 4.

tamquam sacramento valdè iniurioſus, & ſibi, vel proximo noxius.

Quando igitur de pollutione voluntaria, vel de fornicatione interrogat Confeſſarius, *u* de modis quibus talis fœda turpitudo miſero contigerit, is nihil interrogandus eſt, ſed ſufficit inquirere quoties cõtigerit, dummodo explicetur quidquid neceſſarium eſt ad peccati perpetrati ſpeciem intelligendam. Immò verò ſi confitens velit latius, nimíſque diſtinctè declarare modos, quibus fœdam ipſam turpitudinem commiſit, prohibendus eſt, ac docendus neceſſarium non eſſe, neque vtile talia dicere: cùm ex eis non varietur peccati ſpecies: quã ſufficit expreſſiſſe: neque eâ cognitâ opus eſt ad alia aperienda deſcendere, quæ mutationẽ ei non afferunt, per quam habeat nouam peccati rationem.

u Hoc etiã admonet Nauar. tum ad principiũ c. Conſideret. de Pœnit. diſt. 5. nu. 83. tum in Enchir. cap. 5. nu. 4.

Specialis modus interrogandi de peccato carnis. §. 3.

POrro quia homines frequenter inueniuntur magis peccato carnis impliciti, quàm in aliis, & eſt periculoſiſſimum tam Confeſſario, quàm Pœnitenti, multùm in illius interrogatione morari, conſultum videtur hîc ex Angelo *x* referre interrogandi modum, quo poſſint de peccato carnis expeditè pertranſiri ea, quæ in confeſſione exprimenda ſunt tanquam ſpecies diſtinctæ, & ex ore pœnitentis elici, quæ fortè ex verecundia faceret. Eſt autem talis modus; vt dum Confeſſarius per præcepta decalogi diſcurrens, interrogando venit ad ſextum, *Non mœchaberis*, primùm petat à pœnitente, num opere, aut voluntate peccatum aliquod inhoneſtatis, lu

x in verbo interrogatio. nu. 9. Modus interrogandi expeditus in peccato carnis.

tis,luxuriæve commiserit; sicque neget, vt videatur Confessario rem aliter habere posse spectata conditione,& statu personę:petat deinde num delectatus sit cogitatione aliqua rerũ carnalium: quo fatente se delectatum esse voluntariè, docendus est ea in re committi peccatum mortale contra decimum præceptum, declaratâ huius visi opus sit. Item interrogandus est,quoties ei tale quid contigerit;sique numerum inire non valeat (vt sæpe fit in talibus propter frequentiam) interrogandus est, quanto tempore obnoxius fuerit talibus cogitationibus,quamq; sæpe eas habuerit in die, vel in hebdomada: an etiam maiorem fortè temporis partem in eis posuerit. Quod idem seruandum est in peccatis omnibus quæ sæpissimè committantur, vt idem Auctor addit. Petendum est præterea, num delectatus sit audire loqui de eiusmodi rebus:num aspexerit aliquid, vnde turpiter delectatus sit: aut num tetigerit se, vel aliam personam propter huiusmodi delectationem:quo fatente interrogãdus est, quoties id ei contigerit. Petendum est porro, num ideo pollutionem aliquam habuerit per se, aut cum alia persona: sique per se habitam dicat, non est interrogandus de modo,sed tantùm de numero,sicut & cùm cogitationes confitetur; sin habitam cum aliqua persona confiteatur;interrogandus est,num ea esset coniugata, num aliqua affinitate,vel consanguinitate sibi coniuncta, num religiosa,aut sacris ordinibus initiata.Ex his enim intelligetur, num tale peccatum fuerit fornicatio, an adulterium,an incæstus,an sacrilegium.Circa quod adhuc petendum est, num in eo quæsierit generationẽ vitare; & num aliquid in eo præter ordinem

naturæ

naturæ admiserit, non seruata viri, & fœminæ commixtione, quam natura instituit: quo fatente, interrogandus est quoties flagitium perpetrauerit, non item quomodo, nec quo in loco corporis. Quod Angelus monet seruandum etiam esse, cùm quis de crimine nefando confitetur (de quo D. Paulus ad Rom. 1.) aut cùm de bestialitate. Addit idem auctor, & bene: quando voluntaria delectatio de turpitudine carnali fuerit cum affectu turpis operis perpetrandi, inuestigandam esse quoque interrogationibus peccati speciem, perinde ac si perpetratum esset ipsum opus, cum quo affectus ipse in malitia communicat, iuxta illud, Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Itaque erit quærendum num persona cum qua desiderauit peccare, fuerit soluta, aut matrimonio copulata, num affinis, &c. Quòd si variis turpibus desideriis æstuauerit: interrogandus est, ex eodem quoque auctore, num sæpius variauerit mentem de vna persona in aliam, secundùm quod occurrebant memoriæ; an magis steterit in desiderio perpetrãdi criminis cum vna persona, quàm cum alia.

Interrogationes subijciendæ confessioni factæ à Pœnitente.

SECTIO TERTIA.

POst confessionem si quid memoriâ excidisse, aut ignorantiâ aliquâ omissum esse putet Confessarius, debet de eo Pœnitentem interrogare in particulari. Ad supplendum verò defectum integritatis, quem in confessione ex negligentia discu- 20.

tiendi conscientiam, vel ex ignorantia eorum, quæ illam vitiare possunt, facile est contingere, variæ interrogationes vsurpandæ sunt, quas licet ad tria capita reducere: vt sint quædam quæ fiant in genere: quædam verò in particulari, sed de iis quæ communia sunt omnibus Christianis: & quædam demum de iis, quæ sunt diuersorum statuum propria. Atque primi modi sunt; an aliquid de se bonum fecerit malo fine: quia si is mortalis fuerit, de tali facto confiteri debet tamquam de mortali: vt si concionem adiit gratiâ sollicitandæ mulieris ad turpitudinem, peccauit mortaliter, etiamsi non sollicitauerit, & sic de similibus. Deinde, an voluerit aliqua mala committere, etiamsi voluntatem executioni non mandauerit, aut an exposuerit se probabili peccandi periculo, etiamsi factum non sit secutum: quia malæ voluntates, & periculum peccandi non excusantur à peccato, ex eo quòd opus non sequatur exterius; præterea an egerit aliquid contra suam conscientiam: quidquid enim illud fuerit censendum est peccatum. Item an alios induxerit ad secum peccandum; quia talis inductio est nouum peccatum. Itémque an participarit peccatis alienis: quia sic ipse pariter peccauit etiam mortaliter, iuxta Apostolum ad Romanos cap. 1. in fine, vbi aduerte obiter plures modos esse talis participationis indicatos his versibus.

Interrogationes omnes ad tria capita reducendæ.

Consulo, præcipio, consentio, prouoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Participo, protegóque, meum in caput ista redundat.

Quorũ sensus est cum peccare participatione peccati alieni. 1. Qui dederit malum consilium, vel auctor fuerit alteri, vt malum committeret. 2. Qui præce

Peccata aliena quæ & qualia sint.

præceperit, vel coegerit aliquem committere aliquod malum. 3. Qui consenserit peccatis aliorũ, eáque probarit. 4. Qui prouocauerit alios ad peccandum. 5. Qui adulando iis qui malè agunt, vel laudando opera ipsa mala, auctor fuerit aliis peccandi. 6. Qui cùm posset, & deberet, non manifestauit aliorum peccata iis, quorum officium erat illa corrigere. 7. Qui non impediuit peccatum, puniendo, vel remouendo occasiones, prout debebat. 8. Qui non reprehendit, vel monuit peccantes, cùm deberet, & posset id facere. 9. Qui socius, aut quocumque alio modo particeps fuit criminis. 10. Qui protegit malè agentes, excipiendo eos hospitio, fouendo, aut defendendo. Adhuc potest ex Polanco in directorio addi *y* interrogatio. An ipse præueniat tentationes, eis aditum præbendo; an verò eis resistat; & num excludat bonas inspirationes: an contrà eis obediat. Quibus cognitis Confessarius poterit Pœnitentem meliùs dirigere, & iuuare. Adde ad extremum. An aliquid aliud habeat, quod grauet ipsius conscientiam: siq́ue nihil habeat, moueatur totam confessionem claudere per illam clausulam generalem. *Do omnibus vitijs, & peccatis meis dico mea culpa, mea culpa*: vsque ad finem generalis confessionis. Quòd si videatur iusta adesse causa descendendi ad particulares interrogationes, non erunt omittendæ quoad peccata in quæ homines communiùs labi cognoscuntur. Easdem proinde subiiciemus ordine ad memoriam iuuandam satis accommodato. Is enim erit vt seruato ordine præceptorum decalogi, sic tradamus eas quæ circa vnumquodque fieri possint, vt præmittamus faciendas de peccatis

y cap. 2. art. 2. sub finẽ.

commiſſis cogitatione, deinde ſubiungamus de commiſſis verbo, tertiò addamus de cõmiſſis opere, ac poſtremò de commiſſis omiſſione. Quæ omnes ſunt de pertinentibus ad Chriſtianos in vniuerſum: reliquas de propriis diuerſorum ſtatuum ſubiiciemus ſecundùm eorumdem ſtatuum ordinem.

Interrogationes ſpeciales faciendæ circa præcepta decalogi, quoad peccata magis ordinaria.

SECTIO QVARTA.

Circa primum præceptum decalogi.

11. Peccata circa cogitationes.

DE commiſſis igitur circa primum præceptum interrogationes iſtæ fieri poſſunt Pœnitenti à Confeſſario.

Quoad cogitationes. An in fide firmus fuerit, vel de rebus fidei dubitauerit. An de Deo, ac rebus diuinis aliquando opinionem non bonam habuerit. An deſperarit de ſua ſalute, vitæ emendatione, peccatorúmque remiſſione obtinenda à Deo: aut ex aduerſo, an talia propriis viribus, & ſine Pœnitentia ſe obtinere poſſe præſumpſerit, an Pœnitentiam, vitæque emendationem differat vſque ad ſenectutem, aut mortis horam. An ſic afficiatur ad res huius mundi, vt ideo omittat ſeruire Deo: an ob aliquod mundanum commodum, aut incommodum deliberarit Deum offendere: an Deum amauerit ſuper omnia, amicitiam ipſius præferendo rebus omnibus. An purè pro ipſius amore, non autem ob aliquod mundanum commodum ei ſeruierit.

uierit. An Deum réſve diuinas faſtidierit.

Quoad verba verò an fidem negauerit, ſiue ex toto, ſiue ex parte, an audaciùs de rebus fidei diſputauerit. An protulerit aut docuerit aliquam hæreſim. An diuinis officiis aliqua prophana, aut indigna, aut deuotionis impeditiua admiſcuerit, an dæmonem inuocauerit, ſiue expreſsè, ſiue tacitè: vt fit per ſuperſtitioſas quaſdam orationes. An Deum, aut ſanctos ipſius blaſphemauerit. An de Deo conqueſtus ſit per aliquam impatientiam. Circa verba.

Quoad opera autem. An aliquas Iudæorum, Mahometanorum, hæreticorum, aut paganorum cæremonias vſurpauerit. An aliquos libros prohibitos apud ſe tenuerit, vel legerit, an vſus ſit incantationibus, ſortilegiis, auguriis, ſuperſtitionibus, diuinationibus per aſtra, aut ſomnia, aut animalium ſtrepitum, aut lineas apparentes in manu, quid ſibi vel alteri euenturum eſſet prædicendo, aut petendo conſilium ab iis, qui tale quid profiterentur. An ſe, vel aliquem ſuorum, aut aliquod ſuum animal fecerit curari verbis, aut rebus ſuperſtitioſis. An tulerit aliquos characteres ſeu figuras reprobatas. An Deum tentauerit exigendo miracula ab eo ſine neceſſitate. Circa opera.

Quoad omiſſionem. An timens, quod dicturi, vel facturi eſſent alij, omiſerit confiteri fidem, ieiunare, aliúd ve bonum opus facere, ad quod obligabatur. An neſciat ad ſalutem neceſſaria: vt myſteria Sacroſanctæ & adorandiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti: Symbolum Apoſtolorum aliquatenus intelligendo illud, orationem Dominicam, præcepta quæ dicuntur Dei, & Eccleſiæ, & à Chriſto inſtituta Sacramenta. Circa omiſſiones.

An ſuis ſuperioribus tamquam Dei locum tenentibus obedire neglexerit. An proximum peccantem fraternè corripere omiſerit.

Circa ſecundum præceptum.

Circa cogitationes.

QVoad cogitationem. An ſibi propoſuerit iurare, aut affirmare falſum, aut mentiri in præiudicium proximi.

Circa verba, & opera.

Quoad verba. An cõtra veritatem aliquid cum iuramento affirmauerit, aut negauerit. An ſolicitauerit aliquem ad iurandum falſum, an cum iuramento minatus ſit, non habens intentionem implendi quod minabatur. An cum iuramento promiſerit aliquid de ſe malum. An celauerit veritatem, quam iuramento legitimè adactus, dicere tenebatur. An habeat conſuetudinem iurandi. An vouerit aliquid illicitum, aut licitum quidem, ſed malo fine.

Quoad opera. An contrauenerit iuramento ſui officij. An violauerit votum à ſe emiſſum.

Quoad omiſſionem, an omiſerit implere, quod bene iurauit, aut licitè vouit.

Circa tertium præceptum.

Peccata cõtra violationem dierum feſtorum.

QVoad cogitationes. An habuerit propoſitum diem feſtum violandi, faciendo, vel mandando fieri opera prohibita ab Eccleſia, aut non audiendi miſſam, aut non ieiunandi, aut non confitendi, vel non ſumendi ſacroſanctam Euchariſtiam eo tempore, quo præcipitur ab Eccleſia: aut decimas non ſoluendi Eccleſiæ.

Quoad

Quoad verba:an tempore notabilis partis missæ fabulatus sit, aut orando mentem occupauerit in cogitationibus alienis à deuotione. An Sacramentalem confessionem fecerit integrè, & cum debita præparatione.

Quoad opera. An in die festo per notabile spatium, vt vnius vel alterius horæ, operatus sit, aut operantibus consenserit:siue mandando, siue consulendo, siue approbando. An audiendo Missam diebus festis irreuerenter, indecentérque se habuerit. An curarit sibi subiectos eidem interesse, aut contrà, eos ne interessent, impediuerit. An aliquod Sacramẽtum susceperit in statu peccati mortalis,aut excommunicatus;aut si Sacerdos sit,an in tali statu vel suspensus, aut irregularis, aut aliter prohibitus administrarit munus ab Ecclesia sibi prohibitum (quale est pertinens ad strepitum fori iudicialis) exequi præsumpserit. An in Ecclesia aut in cœmeterio flagitium aliquod,quo prophanaretur,vel libertas ipsius læderetur, commiserit. An res aliquas sacras tractarit sine reuerentia. An violentia aliqua vsus sit, circa personas Ecclesiasticas siue eas verberando, siue tributis, & exactionibus vexando. An sine permissione vsus sit cibis vetitis.

Quoad omissionem;an omiserit audire Missam in die festo, & semel in anno confiteri, & Sacrosanctam Eucharistiam sumere in Pascha cum debita præparatione. An omiserit seruare ieiunium Ecclesiasticum, postquam vigesimum primũ annum excessit. An aliquod peccatum mortale celarit,confitendo sacramentaliter. An omiserit Ecclesiæ soluere decimas. An neglexerit siue filios, siue alios

de ſua familia inſtruere de iis, quoad Chriſtianam doctrinam ſpectant, & bonis moribus eos imbuere, atque curare, vt Sacramenta ſuo tempore ſuſciperent.

Circa quartum præceptum.

De peccatis contra parentes.

QVoad cogitationes. An aliquod malum optarit patri vel matri, aut ſuis ſuperioribus. An ſtatuerit eis nõ obedire, nec honorem, & obſequium debitum deferre, aut ex aduerſo. An ita inordinatè ad eos afficiatur, vt non vereretur ipſorum gratiâ, Deum offendere. An temerè de eis iudicet.

Quoad verba. An oblocutus ſit de parentibus, prælatis, principibus, magiſtratibus, aliiſque ſuperioribus, aut de eis queſtus ſit iniuſtè.

Quoad opera, an eiſdem perſonis, cum impatientia iratus fuerit; aut ipſis moleſtiam exhibuerit. An eas minoris fecerit, quàm debuerit, aut puduerit ſe talis patris filium eſſe. An malè rexerit familiam ſuam, malúmque exemplum ſuis in ea dederit. An ſubuenerit parentum, & amicorum neceſſitati cùm potuit, illóſque in afflictionibus ſuis conſolatus ſit. An vxori & liberis neceſſaria ſuppeditarit. An ingratus fuerit ſuis benefactoribus, & moleſtus extiterit proximis ſuis.

Quoad omiſſionem. An omiſerit honorem deferre vnicuique ſecundùm ſuum gradum, an omiſerit implere ea, ad quæ tenetur per Teſtamentum parentum defunctorum: qualia ſunt procuratio celebrationis Miſſarum, & aliorum Suffragiorum Eccleſiaſticorum, largitio aliqua eleemoſynarum: ſolutio aliquorum debitorum, vel aliquorum piorum legatorum.

Circa quintum præceptum.

QVoad cogitationes. An suã aut proximi mortem, vel notabile malum, siue animi siue corporis, alicui optarit. An oderit aliquem, de eóque vindictam sumere cupiat. An doleat de bono proximi, & lætetur de malo, an recusẽt ei loqui. Quæ cõtra quintũ præceptũ commissa sunt cogitatione.

Quoad verba. An infamarit, aut iniuriis affecerit proximum, & nominatim aliquem de sua familia. An alicui malè dixerit, aut malè imprecatus sit. An irriserit, aut deceperit verbis aliquem. An cõsuluerit, vel mandarit, aut sollicitarit malum aliquod inferri proximo. Circa verba.

Quoad opera. An occiderit, percusserit, aut aliter malè tractarit aliquem iniustè. An causa vel auctor fuerit aliquarũ factionum, & inimicitiarum, aut pugnarum, vel tumultuum. An vehemẽter, aut cum impatientia, iratus sit alicui, aut in corrigendo sibi subditos limites rationis excesserit. An de facto exerceat inimicitias, aut dedignetur loqui alicui, aut nolit condonare ei, à quo accepit iniuriã, etiamsi offerat se ad satisfactionem. An litem iniustam alicui intenderit, aut adhuc persequatur, an aliquibus fuerit malo exemplo, aut iuuerit malè faciẽtes, vel impedierit bene agere volentes. An temerè exposuerit se mortis periculo, an procurarit sterilitatem, vel aborsum fœminæ. An durus fuerit & inhumanus pauperibus, aut eos irriserit: nec de suis superfluis eos iuuerit. Circa opera.

Quoad omissionem. An omiserit auxilium ferre proximo, quem vidit versari in aliquo euidenti periculo salutis; siue animæ, siue corporis. An omiserit tueri bonum proximi, cùm potuit siue incom-

moditate. An corripuerit malè agentes, præſertim eos quos debuit ex officio.

Circa Sextum præceptum.

Circa turpes cogitationes & verba obſcena.

QVoad cogitationes. An turpes cogitationes habuerit in quibus ſibi complacuerit, aut turpibus deſideriis conſenſerit.

Quoad verba. An verba laſciua protulerit, aut audierit, & quo fine, & an ſæpe talia vſurpet, an cecinerit cantiones laſciuas. An laudauerit ſeipſum de admiſſa turpitudine, aut aliquam fœminam diffamarit, & impedierit, ne expeteretur in coniugem.

Et opera.

Quo ad opera. An aſpexerit impudicè, vel quid aliud egerit affectu libidinis; aut dona, vel promiſſa, aut literas, vel ſchedulas, & aſſignationes miſerit, aut ſe ornarit intentione talis turpitudinis. An libros impudicos legerit, aut recreationis etiã gratia cãtarit, aut cantari fecerit cãtiones laſciuas, ſiue humana voce, ſiue muſicis inſtrumentis, & an de nocte tale quid vſurparit intentione libidinis. An duxerit, & ducere docuerit choreas inhoneſtas: an impudicè tetigerit ſeipſum aut alium, indéque inciderit in pollutionem: aut vt incideret procurarit, vel occaſionem dederit. An fœminam aliquam cognouerit: eámque an ſolutam, vel coniugatam conſanguinitate, vel affinitate aliqua ſibi coniunctam virginem aut religioſam. An ſe nefando Sodomiæ crimine contaminarit, aut ſacrilegium commiſerit, votum habens caſtitatis. An aliquem docuerit & induxerit ad eiuſmodi turpitudinem: an vtatur conſuetudine perditorum, ſitque

obno

obnoxius isti turpitudini. An in esu, & in potu excesserit cum notabili corporis, vel animæ damno. Quæ interrogatio huc refertur tamquam spectans ad crapulam & ebrietatem, luxuriæ fomites.

Quoad omissionem. An matrimonio coniunctus debitum coniugale negarit coniugi, nullam excusationem habens non reddendi: an occasiones labendi in peccatum carnis non fugiat, nec aduersus eas muniat se oratione, & carnis mortificatione. An negligat domus suæ curam, nihil sollicitus quis in eam ingrediatur, aut ex ea egrediatur. Circa omissiones.

Circa Septimum præceptum.

QVoad cogitationes an habuerit vel adhuc habeat voluntatem capiendi, aut retinendi alienum, aut nocendi proximo in suis bonis, vel fraude aut dolo malo circumueniendi ipsum. Circa cogitationes cõtra 7. præceptum.

Quoad verba. An mendaciis, iuramentis, fallaciis, vexationibus, ac litibus iniustis sibi acquisierit alienum; siue per iniustitiæ ministerium, siue aliâ viâ. An licitè promissa non impleuerit. Circa verba.

Quoad opera. An furatus sit, & quantùm: An bona Ecclesiastica, seu beneficia obtinuerit per simoniam. An ex bonis naufragorum, aut aliorum qui iacturam similem passi sunt, ceperit animo sibi retinendi. An vendendo, vel emendo vsus sit aliqua fraude circa mercium substantiam, quantitatem, qualitatem, aut pretium. An inierit aliquem contractum vsurarium. An creditâ pecuniâ pluris vendiderit, quàm feciſſet pecuniâ præsenti, & quantùm excesserit ordinarium pretium. An mutuò dederit ad vsuram, siue apertam, siue palliatam aliquo Circa opera.

contra

contractu. An aliquid receperit, cuius non fecerit mentionem in ratione dati & accepti. An per vim, aut clam illud quod ſuum erat ab alio detentum, abſtulerit propria auctoritate, cùm facilè poſſet recuperare auctoritate Iudicis. An luſerit quæ alienare non potuit: aut an luſerit cum iis, qui alienare non potuerant: vt minores ætate, filij familias, vxores, religioſi & mancipia. An damnum aliquod intulerit bono communi, aut priuato alicuius: aut illud mandauerit, vel conſuluerit, vel approbarit, nec cùm poſſet, & deberet impedierit, nec reuelarit. An participarit in re furtiua, aut eam quam eſſe ſciuit, aut probabiliter ſuſpicatus eſſe furtiuam, emerit ſibi. An domi ſuæ ſeruarit ac celarit furto accepta. An malè conſumat bona ſua: an mercedem acceperit maiorem, quàm meritus eſſet: an celarit vitia & defectus notabiles rerum quas vendidit.

Circa omiſſiones. Quoad omiſſionem. An ſoluat, quæ debet, ſiue ex mutuo, ſiue pro mercede alieni laboris, ſiue aliâ iuſtâ de cauſa. An obligatus ad procurationem executionis teſtamenti, vel alterius negotij, procurare neglexerit cum notabili aliorum detrimento: an aliquorum pupillorum cura ei commiſſa fuerit, quorum bona conſeruare, & augere non curarit. An inuenta retinuerit ſibi, nullâ factâ inquiſitione cuius eſſent. An ex auaritia inhiet lucro: an iuſtas, ac iuſtè impoſitas gabellas, & tributa ſoluere contempſerit cùm exigerentur.

Circa octauum præceptum.

De cogitationibus. QVoad cogitationes. An ob leues coniecturas malè iudicauerit de proximo, aut de eo malè ſuſpica

ſuſpicatus ſit, vel de probabilitate eius dubitauerit.

De verbis. Quoad verba, an alteri aperuerit tale ſuum iudicium aut ſuſpicionem, aut dubitationem. An ordinariè mẽtiatur, an ſubornauerit aliquem teſtem, an abſque neceſſitate peccatum proximi ſecretum patefecerit. An detraxerit vitæ alienæ, aut murmurarit, aut detrahentibus vel murmurantibus aurem præbuerit. An infamarit aliquem, præſertim perſonam publicam, vt principem, Iudicem, prælatum, concionatorem, &c. An aliquos libellos diffamatorios euulgarit. An vocatus iuridicè in teſtem recuſarit dicere veritatem, quam ſciuit, aut in præiudicium proximi plura dixerit, quàm interrogaretur.

De operibus. Quoad opera. An ſemen aliquod diſcordiarum inter aliquas perſonas, aut malos rumores ſparſerit. An oblocutione ſua aliquem impedierit à conſecutione notabilis boni. An litigans propugnationi ſuæ cauſæ inſeruerit crimen aliquod occultum aduerſæ partis, nihil ſpectans ad illud, de quo principaliter litigabatur. An falſis accuſationibus, & calumniis, aut alio artificio effecerit vt pars aduerſa caderet cauſa, nec ius ſuum conſequeretur.

De omiſſionibus. Quoad omiſſionem. An audiens murmurationes, & detractiones aduerſus aliquem, conatus non ſit eum excuſare, & defendere cùm potuit, imò fortè ſibi in eis complacuerit, aut etiam eas fouerit.

Circa

AN inſidiatus ſit alieno toro, alienámve ſponſam aut vxorem ad turpitudinem ſolicitarit, aut ſcandalizarit. An aliena bona concupiuerit ſiue mobilia ſiue immobilia: aut dignitates, officia, munera, & beneficia. An procurauerit talia auferri aliis vt ſibi darentur. An tactus ſit inuidia, dolendo de bonis proximi. An inordinatè amauerit bona huius ſæculi, nec requieuerit à ſollicitudine ea, ſiue licitè, ſiue illicitè acquirendi.

Interrogationes ſpeciales faciendæ circa varios hominum ſtatus, ac primò circa ſtatum Eccleſiaſticum.

SECTIO QVINTA.

Duo ſtatus Chriſtianorum.

CVm duo ſint genera Chriſtianorum, vt ex D. Hieronymo refertur 12. quęſt. 1. cap. Duo ſunt. Vnum Clericorum ſeu Eccleſiaſticorum, & alterum laicorum: priùs referemus interrogationes faciendas Eccleſiaſticis. Ac primò communes, quales ſunt. An ſtatum eum elegerit ſolùm, aut principaliter, vt viueret ex Eccleſiæ bonis. An ſine ſufficienti eruditione ordines ſuſceperit: nempe Latinâ linguam non intelligens, nec Sacramentorum, ſaltem Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitẽtiæ materiam, & formam ſciẽs. An ſciat quid ſit Sacerdotem eſſe, & ad quæ ipſe teneatur. An ſimoniacè promotus ſit ad ordines, aliquídve pro ſua promotione dederit, pecuniâ æſtimabile: an eos ſuſceperit ante legitimam ætatem, aut exiſtens in ſtatu peccati mortalis,

Peccata Clericorum.

aut impedimentum habens excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut irregularitatis, vel publica laborans infamia. An in tali ſtatu exercuerit aliquem ſacrum ordinem: an ſine decenti habitu, & tonſura Clericali inceſſerit, aut vſus ſit aliquo habitu, qui dedeceret ſtatum ipſius, & alios ſcandalizaret. An exercuerit munus aliquod ſeculare: quale eſt Medici, aduocati in foro ciuili, procuratoris, mercatoris, hiſtrionis, & ſimilium. An aliquem actum ſacri ordinis exercuerit ſine ornamentis requiſitis. An recitarit horas Canonicas deuotè, & attentè: aut inter recitandum, voluntariè diſtractus ſit, aut verba nõ pronunciarit integrè. An peccati mortalis ſibi conſcius miſſam celebrarit, non præmiſſâ Sacramentali confeſſione, habendo copiam Confeſſarij. An celebrarit poſt ſumptum aliquid cibi, vel potus, aut in loco, vel tempore non conuenienti. An ſeruauerit conſuetas cæremonias, an celebrarit in altari fracto: aut cum corporali immundo, aut ſine deuotione, & attentione: aut nimis feſtinanter, & ſine reuerẽtia: aut lucri gratiâ potiùs, quàm ex deuotione. An plures miſſas in die celebrarit ſine licentia. An accepta eleemoſyna pro pluribus miſſis dicendis vnam tantùm dixerit. An ſuâ culpâ omiſerit celebrare in ſolẽnioribus anni feſtis. An celebrarit cum vino acetoſo, & an ſua negligentia aliquid de ſanctiſſimo Sacramento deciderit in terram, aut ex calice effuſum ſit. An paſſus nocturnam pollutionem ex mortali cauſa prouenientem, celebrarit Miſſam. An Miſſam dixerit in aliquem malum finem, aut in ea vſus ſit ſuperſtitione aliqua. An domi foueat ludos, aut ſuſpectam perſonam. An vitam agat ſcandaloſam, ebrioſus, fraudulentus, turpis, venator, ſeditioſus,

ditioſus, &c. An vtatur nimia familiaritate mulierum, illas comitetur præbendo manum: aut aliud id genus aulicum obſequium exhibens.

Quoad Confeſſarium ſpecialiter.

Confeſſarij peccata.

AN confeſſiones audierit ſine licentia, aut non idoneus ad id munus, aut ſolius commodi ſui temporalis gratiâ. An in aliquo violarit ſacramentale ſigillum, detexeritve aliquid auditum in confeſſione. An perfunctoriè audierit, vt plures expediret: omiſſis debitis interrogationibus, & aliis ad Pœnitentem iuuandum neceſſariis. An in dubiis omiſerit doctiores conſulere. An malè impoſuerit ſatisfactionem. An abſoluerit, cùm non debuit, ob aliquod impedimentum: an vſus ſit interrogationibus indiſcretis, quibus aperuerit viam ad peccatum quam Pœnitēs ignorabat. An Pœnitentem prouocarit ad aliquod malum.

Quoad Curatum.

Peccata Parochi, ſeu Curati.

AN procurarit ſibi curam animarum, cùm ad eam incapax ſit. An etſi capax eſt, ſolicitus tamen non eſt obligationi ſuæ ſatisfacere. An curet, vt Eccleſiæ altaria eorúmque ornamēta cōſeruentur munda. An per ſuam negligentiam aliquis Parochianorum ſine Sacramentis è vita exceſſerit. An recuſet audire ſuorum confeſſiones cùm legitimè petunt audiri. An curet ſcire qualiter Parochiani ſui viuant, iiſque mederi, quos inuenerit peccato infectos. An gerat curam pauperum qui in ſua Parochia neceſſitate premuntur. An ægros viſitet, conſo

conſolando eos, hortandóque ad patientiam, & ad conformandam voluntatem ſuam cum Dei voluntate: ac monendo de ſuſcipiendis Sacramentis ſuo tempore, ac de teſtamento condendo. An doctrinam Chriſtianam tradat, explicando myſteria noſtræ religionis, atque docendo rationem confitẽdi, communicandi corpori Chriſti, orandi, & audiendi Miſſam, monendóque de iis quæ ad ſingulorum officium ſpectant. An omiſerit vrgere alicuius teſtamenti executionem: an renouarit ſuo tempore Sacramentum Euchariſtiæ, & ſacrum oleum, ſanctúmque Chriſma.

Quoad beneficiarium.

De peccatis beneficiariorum.

AN obtinuerit, aut procurarit ſimoniacè; ſeu datâ aliquâ pecuniâ, aut alio quod ſit pecuniæſtimabile (quale eſt obſequium exhibitum prælato ad beneficium accipiẽdum ab eo in compenſationem) An habeat beneficium requirens perſonalem reſidentiam, nec ipſe reſideat. An in eo acquirendo fecerit alicui iniuriam, cui debebatur potiori iure. An ſatisfecerit obligationi, quam habet recitandi horas Canonicas, & geſtandi habitum, & tonſuram Clericalem. An malè expenderit reditus ſui beneficij, & an ex iis ſuperfluum aliquid habuerit, de quo non fecerit pauperibus eleemoſynam.

Quoad Epiſcopum.

Epiſcopum tenetur examinare Cõfeſſarius.

INterrogationes faciẽdæ Epiſcopo propterea ſilentio præteriri poſſunt, quòd ipſe, cui incumbit ſatisfacere cæterorum difficultatibus, tantæ ſciẽtiæ

esse præsumendus sit, vt per interrogationes iuuari nihil opus habeat. Quia tamen Confessarius audiens confessionem ipsius, non ideo liberatur ab obligatione cauendi, ne confessioni eiusdem ad integritatem, aliásque conditiones necessarias aliquid desit, consultum erit attingere quæ Bartholomæus à Medina in instructione Confessariorum lib. 1. cap. 16. §. 1, commemorat, peccata ipsius grauiora tamquam pernicioſa populo ei commisso, & scandalosa. Primum est, non annunciare ouibus suis Euangelium; aut non satagere, vt in suo Episcopatu concionatores idoneos habeat. Secundum, nō residere in sua diœcesi, moram ibi faciendo ad instar boni patris in sua domo; boni Nauarchi in sua naui; & boni pastoris in suo ouili. Tertium, non visitare totam suam diœcesim, vt debet ad prouidendum necessitatibus pauperum, afflictos consolandos, & delinquentes corrigendos. Quartum, Ecclesiastica officia, & beneficia viris probis, ad eaq; idoneis non conferre. Quintum, oues suas non diligere: aut non magis curare, quàm si numquam de illis summo pastori Christo, rationem esset redditurus. Sextum, Episcopatum appetiuisse, ac sategisse, vt fauore humano illum adipisceretur. Septimū, alium Episcopatum quærere per intercessores, aut internuncios seculares. Octauum, subditos suos infestare nouis impositionibus, & litibus. Nonum, indignis hominibus sacros ordines cōferre. Decimū, iis, qui non merentur dare beneficia, postpositis aliis, prout fieri potest, eo quòd illi consanguinei sint, vel affines, domestici, vel familiares, isti verò sint exteri. Vndecimum, deesse pauperibus in necessitate. Duodecimum ex reditibus Ecclesiasticis

Episcoporū peccata.

instituere

inſtituere patrimonia, & palatia ſumptuoſa ad ſui memoriam conſeruandam. Decimumtertium, non curare, vt in ſuo tribunali, pauperum cauſæ expediantur quàm citò fieri poteſt. Decimumquartum, excedere in victu, & veſtitu, nec debitum ſeruare ordinem in iis, quæ ſpectant ad ipſius domum, & familiam, nec in cæteris. Ex quibus peccatis quinque prima pernicioſa eſſe populo, cætera ſcandaloſa manifeſtum eſt: neque ordinariè excuſationem ea habere in re tanti momenti, quanti eſt regimen Eccleſiæ Dei, intelligi poteſt tum ex aliis, tum ex illaſeria cohortatione D. Pauli Actorum 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

Quoad Religioſum.

Religioſi minus examini Confeſſariorum ſubditi eſſe videntur.

HVic quoque faciendæ interrogationes propterea ſilentio præteriri poſſent, quòd præſumendum ſit in religione non deeſſe inſtitutionem, per quam quilibet religioſorum valeat conſcientiã ſufficiẽter, & diſcutere, & Confeſſario aperire. Cuiuſmodi præſumptione videri poteſt factũ vt Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 15. in Confeſſariis religioſorum non exegerit Epiſcoporum approbationem, ſicut in Confeſſariis ſecularium. Verumtamen quia id non obſtat quominus audiens religioſi Confeſſionem, cauere debeat, ne aliquid neceſſariorum in ea omittatur: erit adhuc conſultum ſubiicere peccata quæ prædictus Bartholomæus in ſequen. §. 14. commemorat religioſorũ. Primum eſt, religionem ingredi per ſimoniam, ſeu data pecunia, aut aliquo

Peccata religioſorum propria.

pecunia æſtimabili. Secundum, nõ habuiſſe bonam intentionem ingrediendo, vt contigit ei, qui intendit non ſuſtinere laborem, ſed tantùm commodè viuere. Tertium, reticuiſſe impedimenta ingrediendi, ſiue infirmitatis corporis, ſiue alia. Quartum, ex arctiori ad laxiorem migraſſe ſine diſpenſatione. Quintum, induxiſſe aliquem ad ſuam religionem, laboresillius tacendo, aut de illa mentiendo, ab aliaque meliori reuocando. Sextum, non ſeruaſſe vota, tum caſtitatis, labendo in aliquod peccatum carnis, etiam tantùm mentale; tum paupertatis, habendo aliquid proprium; tum etiam obedientiæ, non obſequendo ſuperioribus ſuis, aut ſtatuta ſuæ religionis tranſgrediẽdo. Septimum, malè functum eſſe officio dato ſibi à ſuperiore. Octauum, inordinatum affectum habere erga aliquam perſonam. Nonum, in viſitatione ſuperioris non dixiſſe, quod ſciuit, quodque dicere tenebatur. Decimum, aliquã ſuæ religionis cæremoniam præcipuam non obſeruaſſe: vt carnem comediſſe cõtra ſuum inſtitutum. Vndecimum, tempus otiosè, inutiliterque cõſumpſiſſe. Duodecimum, immodeſtum fuiſſe, aut murmuratorem, aut impatientem, aut negligentem in oratione, & in Sacramentorum ſuſceptione. Decimumtertium, inordinato amore affectũ fuiſſe erga conſanguineos, & affines, aut erga bona temporalia, deque terrenis rebus ita locutum eſſe, vt illa ei ſapere viderentur. Decimumquartum, depoſuiſſe habitum, aut non recitaſſe diuinum officium, aut non oraſſe pro benefactoribus, ſiue viuis ſiue defunctis. Hæc ille, quæ manifeſtum eſt non eſſe in religioſo diſſimulanda: vt pote de ſe grauia, aut periculoſa vel ſcandaloſa.

Interroga

Interrogationes ſpeciales faciendæ circa ſtatum laicalem, ac primò in ordine ad familiam.

SECTIO SEXTA.

INterrogationes, quæ ſuperſunt, faciendæ laicis, ſic diſtingui poſſunt, vt cùm illi ſint, tum familiæ, tum reipub. partes, quædam in ordine ad familiam fiant. 1. Quoad coniugem. 2. Quoad filium familias. 3. Quoad ſeruũ. 4. Quoad tutorem, & teſtamenti executorem. In ordine ad rempub. verò, fiant; tum quoad eos, qui lucro in ea vacant: vt opifices, & mercatores: tum quoad eos, qui literis dant operam, vt magiſtri & ſcholaſtici; tũ quoad eos qui corpori curãdo incũbunt, vt Medici, Chirurgi, & Pharmacopolę: tũ quoad iuſtitiæ miniſtros, vt Iudices, aduocatos, procuratores, notarios, apparitores; tum quoad eos qui ipſam rempub. adminiſtrant, ſiue in vrbe, vt magiſtratus, & ipſorum officiales: ſiue in tota prouincia, vel regno: vt Principes, & Gubernatores ab ipſis conſtituti, ac etiam milites, quorũ opera hi vtũtur ad bellũ & præſidia.

Laici de quibus examinandi.

Quoad coniugem.

AN contraxerit matrimonium habendo votum caſtitatis, aut impedimentum in aliquo gradu prohibito. An cum duobus vel duabus ſimul contraxerit. An alicui fidem dederit contrahendi cum ea, vel cum eo, nec ſeruauerit. An clandeſtinè, aut animo fallendi, vel in ſtatu peccati mortalis, vel voluptatis tantùm, non autem ſuſci-

De peccato coniugatorum.

piendæ prolis gratiâ, contraxerit. An vir vxorem cognoſcat indebito tempore, & cum periculo nocendi fœtui: an abſque iuſta cauſa neget coniugi debitum coniugale, & an ei fidem coniugalem ſeruet. An pacificè viuant inter ſe, necne. An curam, & ſollicitudinem bonam gerant negotiorum domeſticorum. An carnalium blanditiarum oblectamentis nimis addicti ſint, aut in iis excedant verecundiæ limites. An maritalem agentes vitam ſint inter ſe concordes. An maritus ſuis prouideat de neceſſariis, aut nimium vacet ludo. An eos quos habent in ſua familia inſtruant de ſpectantibus ad Chriſtianam doctrinam, imbuántque bonis moribus, & educent in Dei timore. An ijſdem ſint ſcandalo, iurando, maledicendo, aut aliter malè agendo. An permittant aliquod peccatum domi ſuæ committi ſicut permiſit Heli ideo grauiter à Deo reprehenſus, & punitus, ex 1. lib. Reg. ca. 2. & 4. aut non curent qualiter ſui domeſtici viuant: quod quàm ſit damnabile patet per illud prioris ad Timoth. cap. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, infidelis eſt, & infideli deterior.*

Vxoris peccatum in maritum.

An vxor marito obediat in iis, quæ iuſtè imperat: an aliquid ei ſurripiat. An opportunè ei præparet, ſufficientérque adminiſtret neceſſaria. An externis largiatur, quod eſt domi neceſſarium. An patiens ſit, & humilis. An contra turbulẽta ſit, & arrogans, vana, nec curam vllam habeat domus.

Quoad filiumfamilias.

Filij familias peccata.

AN iurauerit mendaciter, aut dubitans de veritate: an maledicat, iniuriis afficiat, inuocet diabo

diabolum, aut frequenter nomen illius in ore habeat. An adeptus vsum rationis non obtulerit se Deo, ad seruiendum ei tamquam suo creatori: an sit inobediens, & molestus patri, & matri, magistris, & præceptoribus, senibus, & Ecclesiasticis: an furetur, séque dedat gulæ & ludo. An vtatur cantilenis turpibus. An rixatus sit cum aliis, aut eos irriserit. An fuerit criminator, aut spurcus, aut impudens. An abfuerit à suis lectionibus. An manserit otiosus, aut perditorum vsus sit societate. An sit indeuotus, non orans Deum nec mane nec vesperi se illi commendans.

Quoad seruum.

AN diligens sit, in obsequio Domini sui, ei obediens ac seruiens ex amore tamquam Christo. An in aliquo peccato obtemperet Domino suo. An Domini sui bona augere studeat, an verò deperire sinat; aut etiam sibi vsurpet. An aliquid domi gestum, quod debet seruare secretum, referat externis. An sit rixosus, rebellis, piger, querulus, criminator, immodestus, atque adeo malis moribus. An aliqua ratione turpiter se gerat cum fœminis, quæ domi sunt.

Quoad tutorem & testamenti executorem.

AN distulerit executionē testamēti, siue per negligentiā, siue deditâ operâ; vt interea vti posset bonis defuncti. An priùs satisfecerit donis gratuitis defuncti, quā ipsius debitis. An distulerit satisfacere iis, quibus defunctus aliquid legauit, & ideo illi cō-

pulsi sint aliquas expensas facere ad obtinendam talem satisfactionem. An cùm venderentur sub auctione aliqua pupillorum bona, antequàm alij emptores aduenirent, auctionem ipsam accelerare fecerit, vt res sibi minore pretio maneret, quàm alioqui venderetur. An sua negligentia aliquod de talibus bonis sit amissum, aut deterius effectum. An pupillis & viduæ prouiderit de necessariis.

Interrogationes circa statum laicalem in ordine ad rempub. & quoad eos qui subsunt aliorum regimini.

SECTIO SEPTIMA.

Quoad opificem.

Peccata opificum.

AN in executione sui operis fideliter gesserit se, nec quemquam fefellerit, aut grauarit. An rem vnam pro alia tradiderit, aut aliter deceperit in substantia, quantitate, aut qualitate rei traditæ. An suum opificium vendiderit quàm carè potuit, excedendo rectæ rationis limites. An detraxerit aliis eiusdem artis, eisque inuiderit; aut etiam conatus sit delere bonam opinionem de eis cõceptam. An mentiatur, iuret, ac peieret, promittátque ad certum diem aliquid, quod non præstat. An plus materiæ postulet quàm requiratur ad perficiendum opus, vt reliquum sibi retineat. An nouas formas sui operis excogitet in malum finem, vel vt irrationabilem mercedẽ exigat. An tyrones suos, pro quibus instituendis pecuniã accipit, in aliis rebus, quàm suæ artis occuper, nec instituat quantùm obligatur.

Quoad mercatorem.

AN vendiderit,aut vendat aliquas res, quibus homines communiter malè vtũtur, aut quas emptorem in malũ vſum emere præſumebat probabiliter:vt venenum,laruas,taxillos,&c. An paratus ſit vendere ſupra iuſtum pretium: quod non licet,ne quidem ſi creditâ pecuniâ id fiat; aut emere infra iuſtum pretium,quod nec licet, etiamſi id fiat pecunia præſenti. Ad quod facit illud prioris ad Theſſal.cap.4. *Ne quis ſupergrediatur,neque circumueniat fratrem ſuum in negotio: quoniã vindex eſt Dominus de his omnibus.* An Chriſtiani nominis hoſtibus,aut hæreticis vendiderit equos,arma, aut alia, quibus iuuarentur ad bellum gerendum aduerſus eoſdem Chriſtianos. An merces vitiatas, aut adulterinas vendiderit,emptori non declarato vitio. An vſus ſit monopolio, cõueniendo cum cæteris mercatoribus,vt non alio,quàm certo ab ipſis conſtituto pretio rigoroſo merces venderentur, aut emerentur; vel ipſe in eumdem finem merces omnes vnius generis emerit: an carius merces ſuas vendat iis,qui illarum valorem non norunt, quàm iis, qui norunt.An vendat ſupra iuſtum pretiũ à magiſtratu determinatum: an fideliter tradat emptori merces venditas, vel antequàm è domo ſua efferantur, redimat eas longè viliori pretio, quàm vendiderit. An vſus ſit cambiis illicitis, aut contractibus vſurariis:vel talibus vtendi,fuerit aliis auctor vel mediator.An in mercium qualitate,ſeu põdere, aut menſura deceperit emptorem, vel vnam rem pro alia ei dederit,an falſificarit ſuas merces, aut immiſcuerit putrefactam, vel corruptum ſanæ & integræ.An in negotiando ſeruet ſociis fidelitatem.

Peccata mercatorum.

Quoad magistrum seu Doctorem.

Peccata magistrorum seu Doctorum.

AN cùm se incapacem cognosceret, susceperit docendi onus. An fauore aut muneribus curarit se præferre digniori. An legerit, aut tenuerit, & adhuc teneat libros prohibitos. An docendo obloquatur de aliis doctoribus. An per arrogantiam ad se ostentandum curiosa doceat relictis vtilibus. An negligenter vacet suis lectionibus. An scientias prohibitas doceat, aut operam in eis ponat. An docens ius ciuile, aut medicinam, admittat ad suam scholam sacerdotes, aut religiosos. An docuerit, aut defenderit opinionem aliquam falsam, aut periculosam. An impugnarit veritatem, aut nouitatum amator sit. An negligat profectum suorum auditorum, nec eis bonum exemplum præbeat. An ad gradum admiserit aliquem indignum. An seruarit statuta Academiæ. An soleat laudare, & commendare seipsum, & cæteros magistros contemnere, de illisque obloqui, ac detrahere. An modo illicito aliorum magistrorum auditores ad se attraxerit. An alicuius promotionem ad gradum per maleuolentiam impedierit: aut factiones, vel dissentiones fouerit in Academia.

Quoad Scholasticum.

Peccata Scholasticorum.

AN honorem magistro suo detulerit, eiq; obedierit in omnibus, quibus debuit, an de eo oblocutus sit, aut eum irriserit, an studuerit in indebitum finem, nempe ad acquirendas diuitias, aut consequendos honores: non autem ad maiorem Dei gloriam; vt illi seruiat, & seruiendo æternam

nam salutem consequatur. An contra veritatem contendat, ne appareat victus. An amator sit doctrinarum peregrinarum, & nouarum, & libros lasciuos, aut de hæresi suspectos legerit, & habeat. An malè terat tempus, amittendo lectiones, nec studendo, nec progressum in literis faciendo. An malè expendat bona parentum in ludis, & in aliis nequitiis. An vtatur consuetudine prauorum, aut ipse aliis auctor sit prauitatis: an in dando suffragio, aliquid commiserit contra iustitiam, aut ad quid simile induxerit alium. An seruet Academiæ seu collegij statuta, & leges. An de sua scientia multùm præsumat, & alios arroganter contemnat.

Quoad Medicum & Chirurgum.

Peccata Medicorũ, & Chirurgorum.

AN tentarit, aut tentet mederi alicui periculoso morbo, antequam studuerit sufficienter, & ad gradum promotus sit, an priusquã nouerit qualitatem morbi, ei applicet pharmacũ periculosum. An postquam morbi qualitatem detexit, attentus non sit in medendo, aut negligens sit in visitando ægro, aut in studendo, & in capiendo consilio: aut recusẽt cum aliis conferre, quãdo morbus fuerit periculosus. An detrahat existimationi aliorum eiusdem professionis, & contemnat bonas eorum curationes. An in morbo periculoso omittat maturè monere ægrum, vt sollicitus sit de salute animæ suæ, & vt Sacramenta recipiat. An protrahat morbos ad augendum suum lucrum. An ausus sit vti experientia periculosa, cum notabili vitæ discrimine ægrotantis: an ægrotãti aliquid pro salute corporis consuluerit in præiudicium salutis animæ. An alicui

alicui fœminæ pharmacum præbuerit, aut consilium aliquod dederit ad impediendam conceptionem fœtus, aut ad abortiẽdum. An conueniat cum Pharmacopolis ad vitandas potiones, aut has taxet supra consuetum pretium. An pharmaca superflua præscribat, vt faciat lucrari Pharmacopolas, & an ipse exigat stipendium iniustum. An plures ægrotos suscipiat curandos, quàm possit curare. An sine sufficienti causa dispenset cum suis infirmis in fractione ieiunij Ecclesiastici, aut in esu carnium. An æger, culpâ ipsius mortem obierit, aut incurrerit in periculum moriẽdi. An recuset adesse pauperi non habenti alium à quo in ægritudine sua curetur. An ex odio, aut fastidio, aut morositate ægri destiterit circa eum præstare, quod debuit. Aduerte non esse absoluendos chirurgos eos, qui non approbati peritorum iudicio, temerè se ingerunt agris curandis, aut qui vsurpant sibi munus medicorum, neque hos consulunt quoad illa quæ sunt muneris ipsorum.

Quoad Pharmacopolam.

Peccata Pharmacopolarum.

AN munus suum exercuerit, antequàm nosset necessaria ad illud debitè exequendum. An componendo medicinas defecerit in aliquo eorũ, quæ sibi præscripta erant, aut omiserit aliquid ex eis quæ medicus præscripsisset in sua ordinatione. An in suis medicinalibus compositionibus seu confectionibus, aut scrupis vnum pro alio ponat: vt mel pro saccharo. An vitiata pro integris, admixta alienis pro puris vendiderit. An dederit vnam potionem pro alia. An dederit aliquid ad impediendum conceptum fœtus, aut ad abortiendum. An

ali

aliquid venenoſum tradiderit ei, qui periculum illius ignoraret: aut quem malè vſurum præſumebat. An aromata, aut pharmaca dederit corrupta, aut quæ nullam haberent virtutem. An peccauerit circa qualitatem, aut quantitatem ſuorum aromatum, & aliorum, quæ habuit venalia malè ponderans aut malè menſurans. An vendat irrationabili pretio: & ſubornet medicos ad taxandum medicinas pluris, quàm ratio ferat. Hactenus interrogationes faciendæ laicis qui Reipub. partes ſunt aliarum regimini ſubiectæ: Deinceps ſequuntur faciendæ iis quibus tale regimen eſt commiſſum pro communi ſalute tuenda, ſiue armis, ſiue iuſtitiæ adminiſtratione.

Reliquæ interrogationes circa ſtatum laicalem in ordine ad Rempub. quoad eos qui præſunt illius regimini, & miniſtros ipſorum.

SECTIO OCTAVA.

Quoad Principem.

De quibus ſint Principes interrogandi.

AN in totum, vel ex parte dominium ſuum, vel ordinem, ſeu ſtatum, vel ius primogeniti iniuſtè poſſideat. An oneret ſubditos iniquis exactionibus, vel contributionibus: an precibus, vel metu cogat ſubditos mutuas ſibi dare pecunias, vel ſe obligare creditoribus ipſius pro debitis, quæ contraxit. An à ſubditis ſuum, vel iumentorum ſuorum ſeruitium aliquod exigat, non ſoluendo mercedem. An iubeat ſeruos ſuos diuerſari in domibus ſubditorum, non habens ad id ius, nec iuſtum

pro

pro eo pretium persoluens. An ad vtendum suo arbitratu, operâ suorum subditorum, vel ad vlciscendum se de illis euocarit eos ad militiam, vel per milites oppresserit. An pacem inter subditos conseruet, & iustitiam illis administret. An sibi reseruet pecunias ad aliquod negotium, seu opus publicum contributas, puta ad restaurationem pontium, viarum, &c. An ex communibus bonis quidpiam vsurpauerit, vel in suam potestatem redigere conetur. Idem iudicium est de bonis, seu pecuniis apud sequestrum depositis; vel oppigneratis: de bonis item defunctorum, vel ad templorum fabricam pertinẽtibus: quæ omnia restituere debet cum fructibus qui ex iis antea percipiebantur. An non impedierit peccata publica, & abusus sibi cognitos, quos impedire potuerit, & debuerit. An negligat, quòd in suis ædibus, & palatiis Deus offendatur ludis nimirũ vetitis, turpitudine morum, otio, &c. An in suis dominiis permittat vsuras, vel iniquos contractus. An contra voluntatem eius qui læsus est, lædenti condonet, & pœnam remittat: an omittat soluere suis creditoribus debita, & seruis mercedem, & opificibus, pro se facta opera: an malè impendat suos redditus. An venatorias syluas habeat cum notabili damno subditorum. An negligat ius suum subditis reddere. An negligat pauperes. An Ecclesiam, vel homines Ecclesiasticos non reuereatur, vel quid Ecclesiæ libertati contrarium commiserit.

Quoad Iudicem.

Peccata iudicum.

AN iniquè iudicauerit propter affinitatem, vel consanguinitatem, amicitiam, gratiam, damnum,

num,vel commodum priuatum,metum, &c. An temerè iudicarit,non adhibitâ priùs diligentia neceſſaria ad cauſam cognoſcendam. An contra leges munera acceperit. An ſuæ iuriſdictionis fines prætergreſſus ſit, iudicans de cauſis,vel hominibus, de quibus non poterat, ſeu ad illius forum non pertinentibus. An in die feſto, aut in loco ſacro nulla neceſſitate cogente ſtrepitus forenſes exercuerit. An iniuſtè condonarit pœnam corporalem mutando eam in pecuniariam. An recuſarit, vel diſtulerit iudicium iis,qui illud ſuo iure poſtulabāt. An reos torſerit ſine ſufficientibus indiciis:aut nimis credulus fuerit in cauſæ cognitione. An agendo cum litigatoribus,nimia aſperitate vtatur,iraſcens, aut verbis vtens iniurioſis. Innumera ſunt alia peccata,quæ contra ius naturale commiſſa, pendent ex his iam dictis, & veluti ſcaturiunt tamquam ex fonte: puta odium,prauus affectus, vehemens lucri cupiditas,timor humanus,defectus ſciētiæ,vel ſtudij, &c. Ad quæ accedunt alia, quæ toties, totque modis committantur;quàm multa ſunt ea, quæ iudicibus ipſis prohibentur,ſi fortè ipſi contra faciant, maximè autem ſi ſe corrumpi permittant.

Quoad gubernatorem & præfectum.

Peccata gubernatorū ſeu Præfectorum.

AN cùm non eſſet capax,nec idoneus, ſui tantùm commodi gratiâ, eum magiſtratum, ſeu munus adeptus ſit fauore, donis, &c. nullam habendo rationem publicæ vtilitatis. An ſeruet, quæ iureiurando promiſit, ſe bene, fidelitérque in ſuo munere verſaturum,conſeruando leges,& conſuetudines regni, & prouinciæ. An aliquod officium vendi

vendiderit, quod fuerat gratis concedendum. An inquirat vtrum officiales ius suum vnicuique reddant. An curet vt publica negotia factionibus, & priuatis affectibus semotis tractentur. An dissimulet ea, quæ iniustè ab aliis præfectis committuntur: nempe propria commoda sectando, alios turbãdo, vexandóque, nõ soluendo operariis debitam mercedem, vel debita creditoribus, lucrum quærendo ex depositio, vel pignore, & grauando populum; ac præsertim pauperes, & viduas: an sæpe visitet, aut fideliter visitari curet publica loca, vt carnarias, piscarias, vinarias, & pistorias tabernas: seu fora, & porticus rerum venalium, plateas, &c. vt intelligat si quid per fraudem in illis fiat cum populi damno. An annonæ moderatum pretium imponat, vel imponendum curet. An prouideat ne desit annona, & ne ea vendantur, quæ vitiosa sunt, vel corrupta. An visitet carceres, vt videat quomodo tractentur, qui sunt in custodia. An iniustè quempiam tradat in carcerem, vel pro dimissione è custodia aliquid exigat, vel carcere nimis seuero, ac incommodo vtatur. An curet, vt vigiles, & excubiæ suo munere fungantur. An obeat vigilias, & prouideat, ne populus à latronibus, vel grassatoribus & maleficis molestiam patiatur. An visitet Xenodochia, & domos, ad quas pauperes sese recipiant. An det operam: ne qua mulier infamis in iis locis versetur; & vt homines flagitiosi, otiosi, & vagi pellantur. An magno studio curet, ne quod peccatum publicè permittatur, vt concubinatus, circulatorum, & præstigiatorum ludicra, scenicorum licentia, &c. An permittat vt in comœdiis, & ludorũ spectaculis, lasciuæ mulieres in scenam prodeant, quæ est corruptela morum

rum nomine Christiano indigna. An procuret, vt quod datum est pauperibus, iis distribuatur: an grauet pauperes, nec citò expediat negotia eorum. An sibi vsurparit bona Ecclesiæ, vel aliquid commiserit Ecclesiæ libertati contrarium, vel aduersus hominem Ecclesiasticum: an curet, ne sui serui, & domestici impediant liberum aditum ad suas ædes iis, qui ad ipsum recurrunt. An remissus, negligénsque sit in expediendis negotiis.

Quoad Maiorem, Scabinum, aut alium officialem vrbis.

AN procurarit, vel emerit tale officium: & an illud publicæ vtilitatis, an proprij commodi causa exerceat. An seruarit suum iusiurandum de officio suo rectè & fideliter administrando, & an perspecta habeat ea, quæ ad illud pertinent. An vsurparit sibi agros vrbis proprios, vel posita in ærario eiusdem. An reipub. bona malè collocet, & expendat. An curâ sibi demandatâ distribuendi, aut vendendi aliqua bona reipub. æquitatem in eo seruarit: vel distribuenda pauperibus, non eis, sed suis seruis, propinquis, amicis, &c. ea tradiderit: an retineat pecunias sibi traditas ad comparandam annonam, vel ad soluenda stipendia præsidiariorum militum. An dissimulet, quæ lanij, tabernarij, &c. iniquè perpetrant; vt ipse vel serui sui, & meliora & viliori pretio obtineant. An absit à consilio vel iudicio, cùm in iis tractatur aliquod negotium ad ipsius propinquos, vel amicos pertinens, ne illis aduersetur, & talis absentia vergit in publicũ damnum. An iis quæ in publicis negotiis rationi sunt

Scabinorũ seu similiũ peccata.

consentanea, aduersetur, eo quòd fuerint ab aduersariis proposita. An in eiusdem generis negotiis excitet factiones, & discordias, pertrahens populum ad suas partes, nec proloquens ea, quæ teste conscientia, dicenda esse intelligit. An publica officia alicuius momenti, suis domesticis, propinquis, vel amicis minus idoneis committat: non conferendo ea prout ratio, & æquitas postulat. Similiter an iis, quos oderit, procuret, seu tribuat potissimum munera ea, quibus onera multa sunt adiuncta. An quia est talis officialis reipub. viliùs emat, vel pluris vendat. An lucrifacta expendat in res illicitas. An imminuerit domos, vel alia loca constituta ad deuotionem fouendam. An creditoribus debita non soluat, vel mercedem operariis, vel artificibus pretium pro opera, & artificio. An ea habeat cognita, quæ legibus officij sui præscribuntur: & an det operam vt leges immunitatum & priuilegiorum seruentur. An quia gubernator vel officialis est, eximat seipsum, vel suos propinquos ab onere excipiendi hospitio copias militares, vel sumat sibi immunitatem alicuius alterius publici oneris: cuiusmodi sunt, pendere tributa, contribuere, &c. eatenus grauando magis cæteros.

Quoad militem.

Peccata militum.

AN curarit se referri in numerum militum, vt acciperet stipendium; & postea fugerit, aut tempore necessitatis à militia abfuerit. An in accipiendo stipẽdio, fraude vsus sit, aut non fuerit contentus cibis in hospitio sibi appositis, quamuis sufficientes essent. An hospites suos vexarit, aut minis,

aliáve

aliáve ratione pecuniam ab eis extorſerit. An aſſignatum ſibi hoſpitium reliquerit ob acceptam ab hoſpite pecuniam, ſeque cum ſociis ad aliud hoſpitium contulerit. An iuret, blaſphemet, abneget Deum, vel Sanctos, &c. An violentia, & ſuperſtitionibus vtatur, an ſecum habeat mulierem concubinam, &c.

Quoad aduocatum.

Peccata aduocatorũ.

AN cauſam aliquam ſuſceperit defendendam, quam nouit iniuſtam eſſe, & ſi nonnullis iuſta videatur, an abſque vllo delectu ſuſcipiat quãlibet cauſam, nihil examinans, vtrum iuſta ſit, an iniuſta, vel an ſolùm attendat ad ordinem, vel formalitatem iuris, nihil expendens cauſę meritum. An proſequatur defenſionem cauſæ, quam in ipſa tractatione animaduertit, & intelligit iniuſtam eſſe, licet à principio putauerit iuſtam. An ſit idoneus ad ſuum officium exercendum, & an legitimè ſuſceperit Doctoris gradum. An negligat ſtudere ad ſuſceptam cauſam defendendam. An clientem ſuum inſtruat ad mentiendum, fallendum, improbè vrgendum, vel ad vtendum fraude aliqua pro obtinenda cauſa. An ſupra conſtitutam ſibi mercedem aliquid accipiat, non ſponte oblatum, vel exigat; vel etiam fingat opus eſſe diligẽtiori examine cauſæ, aut longiore opera, vt à cliente plus pecuniæ accipiat. An recuſarit defendere cauſam pauperis non habentis alium patronum, ideóque non conſecuturi ſuum ius. An mercede conductus ad ſuſcipiendas alicuius cauſas, negligens in eo extiterit, aut parum ſollicitus. An plures ſuſcipiat lites, quàm vt

possit iis satisfacere. An aduersario reuelarit secreta notabilis momenti, in præiudicium sui clientis.

Quoad notarium.

Peccata notariorum.

AN violauerit iusiurãdum, quo promisit, quòd fideliter se gereret in suo officio; & an ea sciat, quæ ad illud rectè obeundum sunt necessaria. An illud munus susceperit, cùm non esset idoneus. An nouerit communes clausulas, quas ius requirit in diuersis scripturis contractuum, & aliorum negotiorum. An cùm opus est, exquirat hominis eruditi consilium & iudicium. An breuiùs scripta confecerit quàm vt partes re satis declarata, in eam considerate consentirent. An in examine testium plus scripserit, vel minus, quàm ipsi dixerint; aut procuret ab illis dici, quæ taceri deberẽt. An tale munus suis amanuensibus exequendum relinquat. An infideliter ad Iudicem referat quæ in examine peracta sunt, inuoluendo, celando, aut obscurando rem, de qua agitur: an suâ culpâ & negligentiâ absit à iudiciis cum alicuius notabili damno. An valeat industriâ ad lites perspicuè, distinctéque ordinandas, ac disponendas: an negligens sit in seruandis scripturis; vnde causam det multiplicationi litium. An combusserit, aut lacerarit Scripturas, aut in eis immutarit aliquid in alicuius fauorem. An ad emungendam à partibus pecuniam, morosum se ac difficilem exhibeat, aut impedimenta causetur aut aliàs excogitet dilationis occasiones. An subdolè cum apparitoribus pactus sit ad informationes faciendas, vel mandata danda, non requirentibus partibus, aut Iudice non ordinante: an lucrum

ex

An

quæ

uene

tia

tur

viliù

expe

mer

sub

bus,

ipso

nire

labo

apu

ad q

tuit,

ad e

peri

cau

neg

den

ped

suse

stul

esse

con

fals

care

ctus

ex

ex mulcta quærens, subornarit delatorem criminis. An nouum officialem docuerit modos indebitos quæstus faciendi. An quamuis inter partes conuenerit, nihilominus vrgeat litem Iudicis sententia dirimi. An prætextu sui officij proprias vlciscatur iniurias. An aliquid lucretur modis illicitis. An vilius emat, quàm par sit ab iis, qui eius fauorem expetunt. An supra constitutam sibi à principe mercedem quid acceperit. An permittat eos, qui sub se scribunt, mercedem exigere ab vna ex partibus, cùm ab altera iam sit persolutum. An cùm ab ipso scripturæ aliquæ exiguntur, fingat se eas inuenire non posse, vt plus accipiat in compensationem laboris, in quærendo suscepti. An ex re litigiosa apud ipsum deposita aliquid sibi vsurparit, aut ei ad quem spectabat nõ tradiderit, quàm citò oportuit, aut eam detinens compulerit expensas facere ad eam recuperandam. An recuset opem suam pauperibus, non habentibus defensorem, qui ideo causa cadant: an diù suspensam teneat causam, & negotia clientum, qui non habent, vnde mercedem ei persoluant. An cùm vrbe egreditur ad expediendum aliquod negotium, eadem operâ, alia suscipiat, & pro singulis integram mercedem postulet, perinde ac si singulorum tantùm gratiâ eò esset profectus. An perscripserit aliquem illicitum contractum. An subornarit, vel admiserit aliquos falsos testes. An scripserit testamentum eius, qui carebat iudicio. An suo officio, vt par est, functus sit in omnibus.

Quoad Procuratorem.

Peccata procuratorum.

PRocurator de pluribus, de quibus aduocatus interrogari solet, potest interrogari. Interrogandus igitur est, an seruarit iusiurandum quo promisit se fideliter functurum suo munere. An diligenter examinet causam, & omnia quæ ad illam pertinent, priusquàm eam suscipiat. An sine discrimine quaslibet causas suscipiat, nihil inquirendo de æquitate ipsarum. An negotio aliquo in se suscepto, non ad id omnem necessariam diligentiam conferat, nec viros doctos consulat. An partes inducat ad eligendos aduocatos, seu legisperitos sibi familiares, sed minùs idoneos, quàm sint alij. An absint à consultationibus, & iudiciis, in quibus clientum suorum negotia tractantur; & an ipsius incuria eiusmodi negotia differantur, vel pereant, an falsum dixerit, cùm iurauit se non petere malitiosè dilationem. An plures suscipiat lites, quàm vt possit eis satisfacere. An stipendia plura, & maiora æquo exigat.

Quoad apparitorem.

Peccata apparitorum.

AN seruet iusiurandum quo promisit se fideliter in suo munere versaturum. An accepto mandato capiendi aliquem, ipsum spe compensationis præmonuerit vt sibi caueat, an supra taxatam diurnam mercedem aliquid accipiat: & plura negotia expediens eodem die, tantumdem pro singulis exigat, quantùm pro diuersorum dierum expeditionibus acciperet. An in hospitiis expensas factas integrè persoluerit, an conniueat peccatis tabernariorum, & aliorum eiusmodi, eo quòd mu-

nera

nera ab illis accipiat. An lustrans domos, asperiùs agat, vt aliquid muneris extorqueat. An prætextu sui muneris aliquibus immeritis faceſſat negotium, aut violentia vtatur, &c. An consilium inierit de aliquo capiendo, vel sistendo Iudici, vt inde quæstum facere posset. Cæteras interrogationes de minus communibus nonnumquam faciendas attingũt Angelus, & Tabiena in verbo Interrogationes.

CAPVT IV.

De prudentia Confessarij in adhortando & monendo Pœnitente.

SVMMARIVM.

1. *Qui vel non sint, vel paucis tantùm adhortandi sint.* 2. *Qui obiurgandi, qui consolandi.* 3. *De admonitione Pœnitentis errantis ex ignorantia.* 4. *Obligationem esse monendi, quando ignorantia fuerit vincibilis.* 5. *Quando omissio admonitionis inducat obligationem ad restitutionem.* 6. *Dubio inquirenti de rei veritate, ea est aperienda, etiamsi fructus non speretur, scrupuloso non item.* 7. *Pœnitens inuincibiliter ignorans suum errorem, monendus est, si fructus inde speretur.* 8. *Quid agendum sit, si non speretur.* 9. *De eo quod Confessario agendum est in quibusdam euentibus, præsertim matrimonij inualidi.* 10. *Quando absolutioni sit præponenda admonitio, & quando postponenda.* 11. *Cum pœnitens deprehenditur aliquid omittere, expendendum est, antequàm absolutio ei detur. An id faciat ex ignorantia, an verò ex malitia.*

POSTQVAM Confessarius pro munere iudicis per interrogationes adiũctas confessioni Pœnitentis, huius interiorem animæ statum sufficiẽter explorauit: prudentiæ ipsius est videre, an debeat nécne, pro patris spiritualis munere, aliquam siue obiurgando, siue consolando adhortationem addere, & an sit aliquid, de quo debeat eumdem monere.

1. Adhortatio Confessarij ad Pœnitẽtem qualis, & quæ esse debeat.

Pertinet autem primò ad istiusmodi prudẽtiam; vt sicut adhortationem, cùm necessaria non fuerit, omittere debet: sic longiore, aut breuiore vtatur, secundùm quod Pœnitentis necessitas dispositióque exegerit. Qui enim paucioribus grauati peccatis frequentiùs confitentur, & sunt bonæ conscientiæ: aut pluribus quidem peccatis grauati sunt, sed discretione, intelligẽtiáque sufficienti pollent, & cùm sufficienti dolore de peccatis, firmum conceperunt propositum vitam deinceps emendandi: non sunt longis adhortationibus fatigandi.

2. Pertinet secundò, vt duriores, & obstinati, qui grauissimis onerati peccatis, exiguum admodum compunctionis, & Pœnitentiæ specimen exhibent, arguantur, increpentúrque. Pusillanimes verò qui de peccatis suis tántum conceperunt dolorem, vt non obiurgatione sed consolatione egeant, cõfortentur; sicque pro Pœnitentium conditione increpatio, aut consolatio vsurpetur. Ad quod faciunt póst dicenda in cap. 6. & 7.

3. Pertinet tertiò, vt Confessarius, cùm necessitas, vel vtilitas exigit, admoneat, vel admonere omittat Pœnitentem, quem discussa debitè cõscientiâ confitentem videt aliquod peccatum tacere per obliuionem,

uionem, aut ignorantiam inuincibilem : nimirum quia nullo modo meminit se illud commisisse, aut omnino ignorat illud esse peccatũ mortale, de necessitate confitendum. Ipse verò Confessarius certè nouit tale ab eo commissum esse; quia scilicet cõmitti vidit, aut probè instructus est de grauitate illius peccati, quod tamquam leue tacetur à Pœnitente. Ad id autem ritè, debitéque præstandum, tenenda est doctrina quam latius quidem persequitur Adrianus in quarto, de Confessione, *a* sed vt breuius, sic & melius Sotus *b*, & Canus, in relect. de Pœniten. *c*, & Medina in Cod. de Confessione *d*. quibus nouissimè accesserunt tum Suarez *e* tum Sanchez *f* à quo alij citãtur. Cuius doctrinæ summa his propositionibus comprehenditur.

a dub. 7. post 5. qu.
b in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. sub finẽ.
c part. 2. §. hinc verò.
d quæst. 19.
e tomo 4. disp. 32. sect. 4.
f lib. 2. de matrimonio disp. 38. 4.

De admonitione errantis ignoranter.

SECTIO PRIMA.

PRima est : quãdo Confitentis obliuio, vel ignorantia vincibilis fuerit (quod colligi poterit ex eiusdem confitentis conditione, & ex dubitationibus, quas facit) Confessarius obligatur ipsum instruere, & admonere de eo, quod nouit debere in confessione exprimi, & aduertit per talem obliuionem, aut ignorantiam taceri. Hanc propositionem (quam sine controuersia receptam esse notat Canus) satis confirmat obligatio, quam Confessarius habet supplendi in confessione quod necessarium est ad illius validitatem. Nam talis siue obliuio, siue ignorantia, quæ de se culpabilis est, non excusat à mortali peccato : ideóque in tali casu obligatur Sa-

cerdos Pœnitentem instruere, quidquid sequatur;
g ita Sotus loco cit. propos. 2. & siue prosit, siue obsit admonitio: eumque informare de veritate, vt eâ cognitâ, resipiscens conteratur de tali peccato: si cq; legitimè cõfiteatur. Quod si non faciat, & nihilominùs absolutionem petat, peccat mortaliter h peccato sacrilegij commissi contra Sacramenti sanctitatem in eius notabilem iniuriam: siq; Confessarius eam impendat, tamquam malè fungens Iudicis & Medici officio in re grauissima, infideliterq; dispensans Dei mysteria, peccat quoque mortaliter, neque absolutio valet.

Cõfessarius tenetur informare Pœnitentẽ, quando videt eum errare.

h ita Med. loco cit. §. similiter.

Iam quod visum est quibusdam, tunc Confessa-
5. rium teneri quoque ad restitutionem, si peccatum fuerit commissum in damnum proximi, reiici potest: quia Confessarius ex officio, quod gerit, tenetur quidem lege iustitiæ cõsulere animæ Pœnitentis sibi confitentis: sed aliorum bono consulere non tenetur, nisi de communi lege charitatis. Vnde si interrogetur à Pœnitente, An restituere debeat, ipseq; neget, tunc quidem tamquam cooperator iniuriæ, tenetur ad restitutionem, sicut teneretur quiuis alius similiter interrogatus, si consuleret nõ restituere. Sed si Pœnitens nihil interroget, Cõfessarius ex eo solùm quod audiat vsurarium, verbi gratiâ, & culpabiliter tacens, nihil eum de restitutione moneat: quamuis peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam, quia ex officio, quod gerit, non tenetur bono illius tertij, cui facienda est restitutio, ita consulere, vt contra debitum iustitiæ agat, non admonendo faciendam esse restitutionẽ.

Cõfessarius tenetur suo Pœnitenti veritatẽ aperire.

Secunda propositio est, Quæcumque sit igno-
6. rantia Pœnitentis, si dubius de aliqua re interroget Confessarium; hunc teneri veritatem illi aperire, quantum

quantumcumque id nihil sit profuturum *i*: ratio est, quia Pœnitentis conscientia, sic læsa est illo dubio, vt ipse desinat esse in bona fide: taciturnitatem verò Cõfessarij posset ipse interpretari in suum fauorem, approbationémve sui erroris. Verumtamen restringi posse videtur hæc propositio, vt nõ habeat locum quando Pœnitens interrogat, non vt verè dubius, sed vt scrupulo agitatus: quia per scrupulũ, cùm sit dubium carens fundamento, non aufertur bona fides, & inuincibilis ignorantia: adeo vt Confessarius ad vitanda grauia incommoda secutura, possit tacere, aut dicere, vt abiiciat scrupulum. *k* 7.

i Pro hac plures auctores adfert Sanchez loco cit. nu. 14.

Per scrupulum nõ aufertur bona fides.

k hoc habet Sanchez ibi dem.

Tertia propositio est: Quando Pœnitentis obliuio, vel ignorantia fuerit inuincibilis, tenetur Confessarius illum admonere de eo, quod ex tali obliuione, vel ignorãtia dicere prætermittit, si fructum verosimiliter sperat ex data informatione de veritate. Hanc Canus confirmat *l*, tum quia Confessor absoluens Pœnitentem errantem circa materiam peccati mortalis, & in omnibus paratum corrigi, opere suo errorem illius cõfirmat, tum quia Confessarius quidem, vt Confessarius, tantùm est Iudex & Medicus, qui circa peccatũ (à quo excusat ignorantia inuincibilis) munus suum exercet: tamen vt simul est proprius Sacerdos, & Pastor, ac doctor, infideliter ageret contra magisterium sibi commissum, nisi errantem doceret: cùm videamus Pœnitentes ad eum tamquam ad Dei vicariũ accedere, non tãtùm vt absoluantur, sed etiam vt instruãtur.

Si obliuio Pœnitentis venit ex ignorantia inuincibili, tenetur Cõfessarius eũ monere.

l loco cit.

Quarta propositio: Cùm nulla Cõfessario datur spes quòd Pœnitẽs ex informatione veritatis profecturus sit, satiùs tunc esse illum in sua ignorantia relinquere: siue ignorãtia sit iuris diuini, vel humani, siue

8. Pœnitẽs in sua ignorãtia quando relinquendus.

ni, siue ignorantia facti, & siue peccatum sit continuatum in damnum proximi, siue non sit. Pro hac
m in eadem disput. nu. 6. multos Sanchez citat *m*, & cum Nauarro censet eá procedere, non modò quo ad peccatum commissum, sed etiam quoad committendũ: quãdo ipsum inuincibiliter ignoratur, nec spes est probabilis quòd is qui admissurus est illud, si moneatur, acquiescet abstinendo ab illo. Et ita (vt exemplo proposito rem illustremus) in sua ignorantia inuincibili relinquendus est: tum is qui matrimoniũ contraxit cum impedimento dirimente: tum etiam is qui simili modo contracturus est; quando probabiliter creditur in proposito perseueraturus, non
n ibid. num. 17. & 18. obstãte monitione. Addit præterea Sanchez *n* procedere, quamtumuis Confessarius ita sciret illud, de quo moneret, vt ipsum probare posset; item quantumuis malum, quod timetur secuturum ex admonitione, prouenire deberet, non ex infirmitatẽ, sed ex malitia admoniti. In cõfirmationem autem pro-
o locis cit. positionis huius, Medina & Canus *o* adferunt dictum D. Augustini quod refertur in cap. Si quis. 2. de pœniten. distin. 7. Si scirem nihil tibi prodesse, non te monerem, nõ te terrerem. Itémque alterum, quod vt rationi consentaneum vsurpatur à Theologis ex Salustio in Catilinaria: *Frustrauit, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.* Quibus accedit ratio, quòd nulla
Nulla lex obligat ad actus inutiles, & otiosos. lex obliget ad actus inutiles, & otiosos: qualis censeretur dicta admonitio: vtpote quæ longè aberrat à fine in quem ordinatur. Is enim est bonum confitentis, sicut finis correptionis fraternæ est bonum eius qui corrigitur: bonum autem confitentis per talem admonitionem non promoueretur, sed impedire

impediretur: vt ex eo patet, quòd in tali casu, si ille monitus de veritate non acquiescat monitioni, incapax sit absolutionis; manens verò in ignorantia sua inuincibili, non informatus de veritate, sicut potest sufficienter conteri de omnibus suis peccatis, & confiteri de omnibus quorum memoriam habet discussa diligenter conscientia: sic etiam potest dignus haberi absolutione. Quod autem Adrianus in contrarium adfert, ostendendo scandalum permittendum esse potiùs, quàm omittendam veritatis declarationem: Canus admonet intelligendum esse de publico doctore, cuius doctrina licet aliis sit odor mortis in mortem, debet nihilominus tradi populo. Itaque doctrina quidem, quæ ordinatur ad bonum publicum, non est intermittenda ob malum priuatum: sed doctrina, quæ pro fine habet bonum priuatum, cessante tali fine ipsa quoque cessare debet: Vnde sequitur præfatam admonitionem cessare debere, quando ea creditur non cessura in confitentis priuatum bonum, quod est illius finis. Excipe casum in quo ex ignorantia timeretur notabile detrimentum boni communis, cui postponendum est bonum priuatum. Cuiusmodi casus Sanchez *p* exemplum proponit, si parochus ex ignorantia populum suum erroribus in fide aut in moribus imbueret; aut si publica fama esset de inualiditate matrimonij suorum cohabitantium.

p in cit. disp. 38. nu. 15.

Resolusio

Resolutio ex dictis, de eo quod in nonnullis euentibus agendum est à Confessario, vt procedere censeatur cum istiusmodi prudentia.

SECTIO SECVNDA.

EX dictis, vt Canus subiungit, resoluitur facilè, quid à Confessario in multis euentibus agendum sit, vt censeatur cum istiusmodi prudentia procedere. Nempe si Berta nupsit Petro occultè, non consummato matrimonio: deinde publicè contraxit cum Ioanne, & consummauit, cum eóque manet bona fide, inuincibiliter ignorans ius diuinum, per quod irritum est posterius matrimonium, propter prius validè contractum. Item si duo contraxerunt in tertio vel quarto gradu affinitatis, ignorantes inuincibiliter ius humanum, quod prohibet, & reddit inualidum tale matrimonium. Item si bona fide Berta contraxerit matrimonium cum Petro, credens probabilibus argumentis priorem suum maritum esse mortuum. Quod est laborare inuincibili ignorantia facti, seu nescire inuincibiliter, quod de facto priori ipse maritus adhuc viuat. Item si aliquis contractum vsurarium fecerit, ignorans inuincibiliter talem esse, eo quòd in illo palliata vsura sit valdè occulta, atque ille adierit viros doctos, & fide dignos ad habendum consilium, & responsum acceperit tale quid sibi esse licitum.

9. In his igitur omnibus, & similibus prudenter, (prout tenetur) aget Confessarius, si credens suum consilium profuturum, admoneat; sin minus, non admoneat, siue id sit in

in detrimentũ proximi, siue non: & siue sit contra ius humanum, siue contra diuinum, inquit Canus, addens id intelligendum esse cùm nec statim, nec postea fructus admonitionis speratur. Quam doctrinam Medina *q* quoque inculcat, inquiens si verosimile est, quòd confitens si ei veritas quam inuincibiliter ignorat notificetur, ita scandalizabitur, quòd nunquam finis notificationis eueniet: nempe quòd propterea non recedat à peccato, nec proximo læso satisfaciat: Confessarium malè agere informando illum de tali veritate, deberéque sine tali informatione ipsum absoluere. exempli gratia; si quis iuridicè in iudicio torquendus, putet omnino sibi licere veritatem negare ad liberandum se à morte & infamia, non est monendus id esse ipsi illicitum: sed sufficiet interrogare in vniuersum, an sit paratus quiduis pati potiùs quàm Deum offendere. Si enim pœnitens non tenetur particulares comparationes sumere, (vt pati extremi supplicij ignominiam, & sic de similibus) ad explorandam suam contritionem; multo minùs tenetur Confessarius ab illo eas interrogare.

q in cit. qu. Corol. post 3. dictum.

Iam si scandalum, quod euenturum timetur, momentaneum sit; ita vt non speretur quidem tunc fructus admonitionis, spes sit tamen, eum breui secuturum; Confessarius tenetur pœnitentem ipsum informare de veritate, quam ignorat. Pro qua doctrina Sanchez *r* plures auctores referens addit cum eodem Medina, præstare monitionem fieri post absolutionem, quàm ante: ne ex perturbatione gratia & fructus Sacramenti impediatur.

r in cit. disput. nu. 16.

Addit adhuc Canus, si alicunde constaret fore, vt pœnitens moneatur ab alio Confessario, qui imprudenter

prudenter malo illius medebitur, consultiùs esse ignorantem admonere; nisi adhibendum sit remedium intolerabile, quale censebitur si exemplis supra positis addas susceptos esse filios ex existimato matrimonio, diuturnam cohabitationem, scandalum publicum, & similia: Quo euentu inquit Canus, nullus tam imprudens erit, quin præsens horreat periculum, tum perplexitatis, & difficultatis, in quod conijcientur qui sunt in bona fide: tum occasiones peccandi capiendas ab aliis, qui alioqui sunt in bono statu. Id quod (aliis citatis) Sanchez *s* ita verũ esse vult, vt in eiusmodi casu Cõfessarius nolentem debitum coniugale ~~cogere~~ reddere, debeat ad id cogere, tamquam à peccato excusatum ob ignorãtiam inuincibilem si reddat: & peccãtem cõtra conscientiã, si non reddat. Neq; mẽtietur dicendo illum esse suum coniugem, cùm sit communi existimatione; sicut nec mentita est Beata virgo cùm dixit Christo: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Luc. 2. quia quamuis S. Ioseph non esset verè pater Christi, erat tamen reputatione communi. Infert idem Sanchez *t* argumento à maiori quando pœnitens sub læthali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, vt Confessarius credat ipsum non esse tunc æquo animo accepturum admonitionem, aliàs verò admissurum meliùs, quamdiu nouit eum excusari per ignorantiam inuincibilem, posse tacere, & in tempus opportunius admonitionem differre; adeóque prudenter agere Confessarios eos, qui non omnia, ad quæ tenentur pœnitentes, simul, primáque vice aperiunt; ne deterriti abstineant omninò à Confessione, sed ipsos paulatim docent de iis, ad quæ tenentur. Qua quidem in re, opus

s in præced. nu. 7.

t in sequen. nu. 2.

re, opus est magna circumspectione, in eáque vt plena periculi implorandum est seriò diuinum auxilium vt vnctio doceat nos, de qua D. Ioan. in pri. sua epist. cap. 2.

Quando absolutioni sit præponenda admonitio, & quando postponenda.

SECTIO TERTIA.

AD eamdem, de qua agimus, prudentiam pertinet, vt Confessarius aduertat num Pœnitentis admonitionem differre debeat post sacramentalem absolutionem, an eidem præmittere. Si enim iuxta primam propositionẽ antè traditam facienda sit ignoranti vincibiliter: dubium non est præmittendam esse absolutionem ipsi, quæ alioqui esset inualida. Sin iuxta secundam propositionẽ, facienda sit ignoranti inuincibiliter, cùm admonitio speratur profutura: obseruare oportet doctrinam Medinæ *v* statuentis, si Confessori verosimile sit, quòd si confitentem absoluat priusquàm de veritate eum informet, non proficiet ad finem retrahendi eum à peccato assueto, vel permonendi ad satisfaciendum proximo per ipsum læso: proficiet autem, si eum informet ante absolutionem: tunc eumdem Confessorem, antequàm pœnitentem ipsum absoluat, teneri de præfata veritate eum informare, atque absoluere, si promittat à tali peccato abstinere, & proximo satisfacere, aut saltem (quando Confessor scilicet talis fuerit, cui tamquã minus perito, non teneatur simpliciter credere) data fide, quod faciet illud de quo admonetur, si ab

10. Quãdo differenda sit admonitio.

v in cit. corol.

aliis fide dignis id sibi faciendum esse edoctus fuerit. Quòd si neque hoc, neque illud proponat, absoluendus non est, quia non pœnitet verè, & ideo obicem ita ponit absolutioni, vt nulla esset, si impenderetur.

Cõfessarius quando potest & debet negare absolutionem Pœnitenti.

Addit idem auctor, Confessorem, qui probabiliter iudicat, confitentem inuincibili ignorantia laborantem non cessaturum à peccato assueto, præsertim in præiudicium proximi continuato, neque eidem proximo læso satisfacturum, nisi absolutio negetur, hacque negata recessurum à peccato, & satisfacturum; posse, atque etiam debere eam negare nolenti parere, postquam suus error sufficienti auctoritate, aut ratione conuincente demonstratus illi fuerit. In eo enim præbet se indignum absolutione ipsa, cùm inuincibilis ignorantia tunc cesset, quando veritas sufficienter ostensa est. Attamen, vt idem quoque auctor admonet, id locum habet tantummodo, cùm sic admonitus subterfugere nequit, quin tamquam conuictus per demonstrationem veritatis factam, teneatur adhærere sententiæ Confessoris. Si enim subterfugium, excusationémve aliquam habeat; vt quod ab aliis fide dignis oppositum audiuerit, sitque à viris doctis paratus eo nomine magis informari, quòd non reputet se sufficientem ad soluendum motiuum à Confessore allatũ, quod fortè alij soluere scient: absolutio neganda non est promittenti ex animo, se facturum illud omne, ad quod se teneri cõpererit: quia cùm per tale motiuum veritas non demonstretur ei satis euidenter, is adhuc perseuerat in sua ignorantia inuincibili: nisi esset persona simplex, quæ ex sua simplicitate erret: nõ autem ex eo quòd à viris alioqui doctis,

doctis,& fide dignis sit malè informata. Nam talis, pro sua qualitate, Confessori parere tenetur: ita vt id nolens, culpabilis reddatur ignorantia ipsius: nec obstet, quin censendus sit indignus Sacramentali absolutione. Hæc hactenus Medina, quæ vt rationi consentanea sequi licet in praxi.

Pertinet quintò ad eam, de qua agimus, Confessarij prudentiam, vt audita Confessione aduertens aliquid omissum esse à Pœnitẽte, quod oportuerit exprimi: antequã absoluat, examinet eum an talis omissio sit ex ignorantia, an ex mera malitia; síque ex ignorantia esse deprehenderit, vtatur, prout admonet Sotus, *x* acumine in perpendendo ex qualitate personæ, quæ confitetur, & ex aliis coniecturis, num talis ignorãtia, qua peccatum aliquod in confessione prætermissum est, crassa sit; & quam Confitens teneatur vincere ad hoc vt eum iuxta antedicta moneat. Talis verò ignorantiæ maxima coniectura erit, vt bene monet Sanchez *y*, si Pœnitens de bono suo statu dubiam conscientiam habere deprehendatur: non item si aliàs habuerit, & nunc se bonam habere demonstret; quia fieri potest, vt aliquos consuluerit, qui conscientiam ipsius sedarint; nec item coniectura est sufficiens, quod confiteatur peccatum aliquod, cui illud, quod reticet est consequens, vt se cognouisse carnaliter sororem illius, quam postea duxit in vxorem (vnde sequitur matrimonium esse nullum) quia huiusmodi nullitas non est ita consequens ex tali facto, quin cognito ipsum esse peccatum, possit inuincibiliter ignorari tale matrimonium esse nullum, & facere copulam illicitam. Si verò deprehenderit omissionem eam esse ex malitia, nimirum, quòd velit Pœ-

11.

x in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. sub finem.

y in citata disput. 38. num. 3.

Quando omissio facta est ex malitia, quid sit faciendum.

nitens reticere peccatum, caueat quantum potest, ne perperam det absolutionem, laboretque interrogationibus veritatem ex illius ore prudenter elicere: caueat etiam iudicare se tale aliquid nosse ex aliena confessione. Quòd si omni quam potest adhibita diligentia, & industria, videat se nihil proficere, geret se cum eo tamquam cum indisposito: de quo non absoluendo dicetur in sequenti cap. 21.

Exemplum huius rei esse potest si Confessarius sciat suum Pœnitentem acquisiuisse beneficium per simoniam, aut pecuniam dedisse ad vsuram, aut vti alicuius personæ turpi consuetudine, aut aliud mortale perpetrasse, quod dissimulat inter confitendum: quia non vult malè accepta restituere, aut vitæ suæ turpitudinem veretur aperire, aut nō statuit eam emendare.

CAPVT V.

De Confessarij prudentia in disponendo Pœnitente ad contritionem, seu odium & detestationem suorum peccatorum.

SVMMARIVM.

1. *Confessario debet nota esse Pœnitentis contritio, antequam illum absoluat.* 2. *Non ostendens contritionem, qua ratione monendus.* 3. *Qualis imperfecta contritio deprehensa in Pœnitente, sufficere possit ad illius absolutionem.* 4. *Signa contritionis ad absolutionem*

tionem sufficientis. 5. *De lachrymis.* 6. *De confessione amara.* 7. *De alacri Pœnitentiæ impositæ acceptatione.* 8. *De quibusdam alijs effectis contritionis eam indicantibus.* 9. *De abnegatione sui, & desiderio patiendi pro gloria Dei.* 10. *Munire debet se precibus Confessarius dispositurus Pœnitentem ad contritionem.* 11. *Peccati indignitas naturalis.* 12. *Indignitas peccati ex inobedientia erga Deum.* 13. *Indignitas peccati ex odio, quo Deus illud prosequitur.* 14. *Indignitas peccati ex abusu diuinæ erga nos bonitatis: eoq; tali, vt Christo dæmon anteponatur.* 15. *Indignitas ex Dei perfectione, & nostra nequitia.* 16. *Et quem indignitas peccati non mouet, ad huiusmodi odium, inculcanda est diuinæ iustitiæ seueritas, & quomodo.* 17. *Peccator abutens Dei patientia, iram illius accendit.* 18. *Cum seueritate diuinæ iustitiæ, iuncta est benignitas Dei, vocantis nos ad pœnitentiam.* 19. *Per peccatum mortale iacturam facimus præteritorum meritorum, & specialis fauoris quo Deus amicos suos prosequi solet.* 20. *Idē nobis claudit cœlum, & spiritum adoptionis filiorum Dei, à nobis excludit.* 21. *Itemq; spoliat diuinâ gratiâ, & charitate, virtutibusq; eam comitantibus, ac Spiritu sancti donis.* 22. *Miseria maxima existentis in mortali peccato.* 23. *Plagæ, quæ per mortale peccatum infliguntur animæ.* 24. *De ratione, quâ Pœnitens potest ex talibus disponi ad contritionem.* 25. *Debita æternæ damnationis, quæ per peccatum mortale contrahuntur.* 26. *Quàm horrendæ sint pœnæ inferni, ad quas peccatum mortale addicit.* 27. *Pœnitentis ad contritionem dispositio per considerationem miseriæ damnatorum.* 28. *Durities nolentis conteri, est opus diaboli: non Dei, vel naturæ.*

Necessitas & vtilitas cõtritionis.

RÆCIPVI momenti est hæc prudentia, quoniam contritio est; per quam imprimis peccator spiritali vitæ restituitur,& cui tanquam fundamento superstructa esse oportet cætera quæ spectant ad legitimum Sacramenti Pœnitentiæ vsum. Cùm autem ea duo includat, expressa in ipsius definitione proposita à Concil. Triden. sess. 14. cap. 4. nempe detestationem peccati,& propositum emendationis, nunc in iis persequendis hærebimus, quæ possunt Pœnitentem disponere ad cõtritionem, prout continet peccati commissi detestationem: postea persecuturi quæ faciunt ad propositum emendationis. Primò autem dicemus de ratione cognoscendi, vtrum Pœnitens ad absolutionem obtinendam, sit sufficienter contritus. Deinde signa contritionis proponemus. Et postremò de motiuis ad contritionem agemus.

De ratione cognoscendi an in Pœnitente sit contritio sufficiens ad absolutionem Sacramentalem.

SECTIO PRIMA.

1. Absolutio non temere proferenda.

PErtinet primò ad propositam prudentiam, vt Confessarius non proferat temerè absolutionem, quando ex confessione pœnitentis non deprehendit in eo contritionem sufficientem ad illam ei impendendam: nec enim præcessisse ideo præsumere debet (quidquid aliud dixerit Ioannes Maior referente Nauarro *a*) quòd nemo adeo imprudens sit, qui quo tempore sua peccata sacramentali

a in Enchir. cap. 1. num. 41.

mentaliter confitetur, illa non detestetur saltem virtualiter. Tale enim fundamentum non esse satis firmum Nauarrus ipse ostendit: quia sequeretur alioqui quemlibet sacramentaliter confitentem habere iustam contritionem: quod aduersatur communi doctrinæ de inualiditate confessionis Sacramentalis ex defectu contritionis, qui posito eo fundamento, nullus vmquam daretur. Immò aduersatur concilio Triden. sess. 6. cap. 14. quod ad peccatoris iustificationem præter confessionem, & absolutionem sacerdotalem, ac cessationem à peccatis, requirit horum detestationem, seu cor contritum & humiliatum, & in sess. 14. c. 4. ait nusquam Ecclesiam docuisse, nec sensisse, Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium conferre gratiam: qui sanè bonus motus est contritio: de qua in eod. cap. ex instituto agitur, & sine qua Sacramentum pœnitentiæ, cuius est pars essentialis, nullum esse constat.

Non certũ est eum qui confitetur sua peccata, ea detestari.

Itaque si Confessarius iudicauerit Pœnitentem suum non ostendere contritionem sufficientem ad absolutionem: (vt quia parui facit pœnitentiæ donum, nihil curans illud à Deo petere; vel quia non statuit firmiter peccati statum deserere, aut peccandi occasiones propinquas à se repellere, aut paratus est omninò, mallétque peccare mortaliter quàm damnum aliquod sustinere: vel non obsequi alicui, etiam in illicitis, aut demum recusat reconciliari inimico, aut agere aliud, ad quod sub mortali tenetur) proponere poterit ei ad confessionem fructuosam requiri vt ipse illa sua peccata tamquam offensas Dei ita detestetur, vt generaliter in quodcumque malum incurrisse malit, quàm 2.

in peccatum, per quod Deum summum omnium bonum à se alienauit; eúmque sibi de patre amantissimo fecit inimicum, & suprà quàm dici potest, reddidit iratum. Cauere tamen debet idem Confessarius, peccata quæ audit in confessione, nimium aggrauare, aut reprehensionibus terrere Pœnitentem; maximè si talis esse videatur, qui propter verecundiam, aut timorem aliquid eorum quæ commisit facilè sit taciturus: potius autem, compassione benignè ostensa, studeat secundùm antedicta *b* animare eum, ad sincerè dicenda omnia, quæ conscientiam ipsius grauant. nam vbi adfuerit animus reticendi aliquid necessarium, nulla adesse potest contritio sufficiens ad sacramentum. Cæterùm, vt Sotus annotat, *c* non est, quod Confessarius multùm laboret in discutiendo, an Pœnitentes plebeij contritionem perfectam adferant, de peccatis suis dolendo ex puro Dei amore, an verò tantùm imperfectam ex seruili timore. Id enim cognitu difficillimum est, nec necessarium ad absolutionem non conferendam temerè; dummodò constiterit eam esse propter Deum; cuius amicitiam tanti faciant, vt pro nulla re à se læsam velint, atque adeo aduersentur peccatum supra omne malum ad instar castæ coniugis, quæ pro amore, quo complectitur virum suum, mallet quæcumque mala experiri potius, quàm ei datam fidem, prostitutione sui corporis frangere: ad quod Confessarius debet animum illis addere per post dicenda. Quòd si videat se non posse ipsorum animum ad tam excelsum contritionis gradum attollere, conetur saltem ad hunc inducere, vt ipsi verè propter Deum doleant, se talem contritionem non habere: quia id sufficiet

In ipsa Cõfessione nõ oportet peccata nimiũ aggrauare.

b in cap. 1. nu. 10.

3. *c* in 4. dist. 18. qu. 3. art. 3. paulò ante solutionẽ argumẽtorum.

Contritio quæ sit ad absolutionem necessaria.

ciet saltem ad eam imperfectam cõtritionem, cum qua Sacramentaliter absolui possint tamquam valentes illud ex Psal.118. vsurpare. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Ita Nauarrus *d* habet ex Paludano,& vt ipse addit, ex omnium Theologorum sententia. Pro qua facit illud Psalmi 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Aduerte tamen, id non procedere, nisi talis doloris causa sit detestatio peccati efficax, seu qua peccatum adeo displiceat, vt firmum propositum habeatur, nullo modo committendi illud de cætero. Tale quid enim ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ necessarium esse constat per illud, quod iuxta Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. ad talem validitatem requiritur saltem attritio quæ voluntatem peccandi excludat: per propositum scilicet non peccandi de cætero, quod eidem voluntati repugnet positiuè (cuius mentio est initio eiusdem capitis in definitione contritionis) non autem per nudam cessationem ab ipsa voluntate peccandi, negatiuè tantùm ei repugnantem, neque sufficiẽtem ad eliminationem peccati mortalis ab anima, in qua ipsum cum tali cessatione perseuerare nihil obstat. *e*

d in præced. nu. 21. & explicat in 22. idem inculcans in num. 23. & in cap. 10. num. 4.

e idem notat Suarez tom. 4. disp. 20. sect. 2. num. 6.

De signis contritionis sufficientis ad absolutionem Sacramentalem.

SECTIO SECVNDA.

POrro animi ad prædictum contritionis gradum eleuati hæc signa esse possunt. 4.

Primum, veram Pœnitentiam magnifacere, eam vehementer desiderare, & assiduis precibus à Deo petere, ac dolere, si eam non sentias.

Secundum est summo odio prosequi peccatũ, & maiori quàm vllum aliud malum, atque adeo malle mori, & aliud quoduis malum pati, quàm peccare.

5. Tertium est effusio lachrymarum : quæ etsi non sit necessaria ad contritionem (quod notat Nauarrus in Enchir.) *f* illam tamen nonnumquam insequitur, vt sicut vitis iudicatur viua, quando præcisa emittit lachrymas : sic pœnitens iudicetur vitam spiritalem inchoasse per contritionem, cùm lachrymas effundit ex dolore de peccatis, prout sunt offensa Dei ; dummodo coniunctum habeat propositum non peccandi de cætero, iuxta illud sponsæ, Cant. 5. *Laui pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?* & illud ad Romanos 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Cuius coniunctionis necessitas habetur ex cap. Pœnitentiam, de pœnitent. distinct. 3. cùm dicitur : *Pœnitentiam agere esse perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Sicut enim sola aqua munda purgat vestium sordes, sic dolor mundans animam à peccatis, est is solus, quo quis toto corde de iisdem peccatis dolet, proponens firmiter, Deo iuuante, nunquam ad ea redire. Etenim aqua est lutosa, non mundans, sed inquinans. Pœnitentia qua quis peccata præterita sic deflet, vt retineat propositum redeundi ad vomitum, vel non vitandi occasiones peccatorum : qui proinde comparari solet lauanti laterem crudum, tanto magis eum efficienti lutosum, quantò magis lauat. Vnde dicitur in cap. Ir-

f cap. 1. num. 23. Effusio lachrymarũ veræ contritionis.

risor.de pœnitent.distinct.3. *Irrisor est non Pœnitens qui adhuc agit, quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus; canis reuersus ad suum vomitum, est Pœnitens ad peccatum*, & in seq. cap. *Inanis est Pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihil prosunt lamenta si replicantur peccata.*

Aduerte obiter lachrymas emittere non esse certum contritionis signum, nec lachrymas non emittere signum esse impœnitentiæ: quoniam istud euenire potest ex dura corporis constitutione, & illud ex tenera, & facili: præsertim in pueris & fœminis.

Emittere lachrymas non est certũ contritionis signum.

Quartum signum est amara confessio, qualem significant verba, Iob. cap. 10. *Dimittam aduersum me eloquiũ meum: loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo, noli me condemnare.* & Isaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* & Ierem. 2. *Scito & vide, quàm amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te.* & cap. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Prouenit enim talis amaritudo, tamquam spirituales lachrymæ, ex contritione, quæ à Pœnitente concipitur consideratâ peccati perpetrati nequitiâ. Nam peccator Deo vocante ac mentem eius illuminante, aduertens vna ex parte suam nequitiam, qua Deo retribuit mala pro bonis; nimirum donis ad obsequium ipsius acceptis, indignissimè (prout ostendent dicenda in sequent. sect.) abutendo ad ipsius iniuriam, & offensam: ex altera parte verò expendens diuitias bonitatis, longanimitatis, & benignitatis diuinæ erga se immundum vas iræ, suffunditur pudore sui, & accenditur amore Dei: vnde sequitur dolor de commissa in eum offensa: qui dolor 6.

lor nonnumquam redundans in sensus exteriores, eas lachrymas excitat, quas contritionis signum constituimus, quæque faciunt confessionem peccatorum amaram.

7. Pœnitentiæ impositæ alacris susceptio signum contritionis.

Quintum signum est alacris pœnitentiæ impositæ susceptio; verus enim interior dolor de peccato, compellit peccatorem omnia libenter sufferre, prout habetur ex cap. Perfecta. de pœnitent. dist. 3. Vbi aduerte pro non contrito habendum esse omninò eum, qui Pœnitentiam medicinalem, necessariam ei ad salutem, admittere non vult: vt si nolit vitare personam, quæ illi causa est ruinæ: aut relinquere beneficium simoniacè obtentum, aut restituere acceptas vsuras, aut resarcire iniuriam illatam proximis. Satis enim per talem recusationem ostendit, se non dolere propter Deum dilectum super omnia, rebúsque omnibus prælatum. Ostendit etiam se firmum emendationis propositum minimè habere: vtpote qui animo paratus non est sanis Confessarij consiliis acquiescere, assumendo quæ ei præscribit remedia aduersùs animi sui morbos: puta malas propensiones, prauos habitus, ac diutinam peccandi consuetudinem. Et certè qui non facit pro vitanda morte animæ, quod faceret pro vitanda morte corporis, ostendit se plùs diligere suum corpus, quàm animam suam; & plùs vitam carnalem, quàm spiritalem; & plùs creaturam, quàm creatorem. Quis enim expositus apertè mortis periculo, si dicat ei medicus: *Infallibiliter morieris, nisi ieiunes in quadragesima; aut nisi diebus veneris, & sabbathi à carnibus abstineas*, recuset id facere? Similiter si Iudex dicat alicui: *Pro certo suspenderis, nisi restituas alienum, quod retines.* Aut si dicat, *nisi relin*

relinquas concubinam, vterque ignominiosè ducti per vrbem, agemini in crucem.

At mors æterna à Christo denunciatur impœnitentibus (quales censentur qui recusant prædictas Pœnitentias) per illud, Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Quid ergo recuset facere ea, immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus?

8. Alia signa veræ cõtritionis.

Sextum signum sunt quædam opera propria ipsius contritionis: vt quòd Pœnitens confiteatur, quàm bene potest; quódque studeat vitare peccata, & occasiones peccatorum: nempe malas societates, loca suspecta, incautos aspectus, verba inordinata, & similia: quibus si post factam confessionem delectetur, ac se implicet, sicut prius, non ostendit se sufficienter contritum; & multò minus, si non restituit aliena, cùm potest: si negligit Pœnitentias impositas implere; si æquè ac priùs se tardum inuenit ad ea, quæ Dei sunt, & ad salutem suam spectant: si cum iis, à quibus dissidet, loqui, aut amanter conuersari renuit: si concubinam ex toto non abiicit à se, & similia à verè contrito aliena. Pertinet etiam maximè ad hoc ipsum signum; si iuxta D. Ioannis Baptistæ præscriptum, Matth. 3. *Pœnitens faciat fructum dignum Pœnitentiæ*: exercendo videlicet actus virtutum contrarios peccatis, in quibus priùs obsurduit: ita vt iuxta Apostolum, ad Rom. 6. *Qui antea exhibuit membra sua seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; is nunc exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem.* Pertinet similiter iniuriarum ab aliis acceptarum liberalis condonatio, & sitis quædam conuertendi alios, & procurandi salutem ipsorum,

præser

præsertim complicum, seu sociorum peccati sui, dummodo id fiat animæ propriæ pericula euitando.

9. Sibi vilescere, & patiēdi desiderio propter Christum teneri signū cōtritionis.

Septimum signū est sibi vilescere, & teneri magno desiderio patiendi propter Deum à se offensum. Talia enim comitari contritionem inde intelligūtur, quòd per hanc reuertamur ad salutis viam, à qua per peccatum recessimus. Illa verò sint eiusdem viæ quasi vestibulum, vt indicant verba Domini, Matth. 16. & Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suā, & sequatur me.* Nam sequi Christum, est viam salutis tenere: ad quod præexigi abnegationem sui, & voluntariam tolerantiam aduersorum, ea ipsa verba aperte exprimunt. Porro Confessarius ex eo arbitrari poterit, Pœnitentem seipsum abnegare, sibi ve vilescere, quòd illum facilem experiatur, ac tractabilem, & paratum se submittere, non tantùm superioribus suis, sed etiam paribus, imò & inferioribus, si ad gloriam Dei opus sit: neque erubescentem homines in abnegando se propter Deum, exemplo sanctæ peccatricis, Luc. 7. *Quia recumbente Domino in domo Pharisæi, venit, & stans retro secus pedes ipsius, cœpit eos lachrymis rigare, & capillis suis tergere, & osculari.* Item sua peccata nec velantem artificio verborum, nec grauatè, sed ea voluntariè (præmissa diligenti examinatione conscientiæ) aperientem: nec excusatione eleuantem ea, sed potiùs candidè explicantem, alacritérque patefacientem, atque cum accusatione exaggerantem: tamquam is qui cum Manasse (ex fine lib. Paralip.) dicere possit. *Peccaui super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & nō sum dignus videre altitudinem*

cœli

cœli præ multitudine iniquitatis meæ.

Teneri autem desiderio magno patiendi, existimare poterit, si petat iniungi sibi bonam Pœnitentiam, aut si ad impositam implẽdam se promptum ostendat, ac libentissimè præscripta remedia aduersus peccandi occasiones admittat, paratus strenuè se gerere in pugna ineunda aduersus propriã concupiscentiam, *quæ cùm conceperit parit peccatum.* Iacobi 5. atque adeo subtrahere sibi iucunda, & vtilia, & assumere contraria, imitatione Christi præeuntis: in quo, *qui dicit se manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare,* 1. Ioan. 2.

Illud obiter monendum occurrit: sæpius relabi in idem peccatum, aut auersari animo grauem, & difficilem Pœnitentiam sibi à Confessario iniungendam, aut iniunctam non impleuisse, argumenta esse fragilitatis potiùs, & imbecillitatis, aut desuetudinis exercendi opera pœnalia, & difficilia, quàm impœnitentiæ. In quam sententiam Petrus à Soto in instit. sacerd. *g* Qui vitam, inquit, ita instituit, vt à consuetudine peccandi, & facilitate se cohibeat: quamquam nõnumquam labatur, etiã in mortalia, etiãsi aliquando frequentiùs ea cõmittat, modò nõ pro nihilo ea ducat, non contẽnat Pœnitentiam, vel post habeat, satis mutasse vitam videri potest, modò conetur in hoc proficere, quod omni Christiano quidem, sed Pœnitenti putamus maximè necessarium. Hæc ille.

Relabi in idem peccatũ non est signum impœnitentiæ.

g de perfectione contritionis lect. 17. sub finem.

De

De ratione disponendi ad contritionem durum corde: ac primò ex indignitate peccati.

SECTIO TERTIA.

PErtinet secũdò ad propositam Confessarij prudentiam, vt cùm Pœnitentem suum deprehenderit sine contritione, durúmque esse, studeat illum emollire, seu ad odium, & detestationem peccatorum suorum (quæ est prior contritionis pars) disponere.

10. Sacerdos ad Christi auxilium recurrere debet, pro obtinẽda Pœnitentis cõtritione.

Quo in negotio Confessarius ipse recurrere debet ad Christi auxilium, tam sibi, quàm Pœnitenti humiliter implorandum; quia *nemo corrigere potest quem ille despexerit*. Eccl. cap. 7. *& neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*, ex priori ad Corinth. cap. 3. atque fretus spe bona talis auxilij, adhibere motiua ad ipsum negotium perficiendum accommodata: quæ sunt indignitas, & pernicies peccati. Naturaliter enim, vt apprehensa rei dignitate, & vtilitate amor illius, & desiderium in voluntate excitatur; sic & apprehensa indignitate, & pernicie, excitatur odium, & detestatio illius. Iam peccati, præsertim mortalis, indignitas; & secundùm se, & secundùm omne circumstantiarum genus facilè apprehenditur sequentibus perpensis; & ideo Pœnitenti duro, suauiter, & cum affectu compassionis inculcandis ad ipsius emollitionem.

Indignitas peccati apprehensa contritionẽ excitat.

11. Peccatum quoddã naturæ monstrum est.

Primum est eiusdem peccati conditio naturalis, quâ est quoddam naturæ monstrum, tum teterrimum sua pernicie, de qúa postea; tum turpissimum

sua

sua imperfectione, quæ tanta est, vt ipsum perfectionis non modò expers sit, sed etiam omninò incapax. Quia enim directè contrarium est Deo, qui *seipsum negare non potest*, ex posteriori ad Timoth. cap. 2. nihil perfectionis ab eo potest accipere: nulla autem perfectio est nisi accepta à Deo, *ex quo, per quem, & in quo sunt omnia*, ad Rom. 11. Vnde patet peccatum sua natura, non tantùm à Dei, sed etiam ab omnium creaturarum societate alienum esse, nihilque eo indignius, turpius, & vilius cogitari posse, nisi statum peccatoris excipias eo nomine, quòd is seruus sit peccati, iuxta illud, Ioan. 8. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.*

11. Per peccatũ Deo negatur obedientia.

Secundum est, quòd per peccatum Deo negetur obedientia debita: quod quantæ indignitatis sit, patet ex eo, quòd sit quasi velle de manibus ipsius eripere sceptrum summi quod habet, vniuersalissimique imperij; atque adeo velle (quæ doctrina est D. Bernardi sermo. 3. in tempore resurrect.) ipsum quasi de medio tollere: cùm Deus esse non possit, sine summa supra omne quod est, dignitate, & imperio: ipsum inquam, qui princeps est maiestatis infinitæ, tantopere de nobis benemeritus; & multò veriùs pater noster, quàm ille, qui nos carnaliter genuit: cùm solus ipse nobis animam contulerit, illeque ad formationem corporis tam parum contulerit, vt ea quoque Deo ipsi absolutè tribuatur, Iob. 10. cùm dicitur: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu:* & 2. Machab. 7. cùm mater sancta, sanctis filiis ait, *Neque spiritum & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem.* Hinc

Matth. 23. ait Dominus, *nolite vocare vobis patrem super terram. Vnus enim est pater vester, qui in cœlis est.*

Adde præterea sponsum esse, qui sponsam addictam seruituti turpissimi immanissimique tyranni dæmonis, atque supplicio ignis inferni cruciãdam, sibi sociarit, vt assereret eam in libertatem filiorum Dei, & regni cœlorum faceret participem. Sic igitur peccatum indignitatem habet, tum reatus læsæ diuinæ maiestatis, tum ingratitudinis infinitæ, tum etiam nefandi parricidij & adulterij: atque adeo indignitatem maiorem, quàm possit cogitari, propter rebellionem, quæ in eo patrando exercetur, aduersus tantæ liberalitatis Dominum, tantæque bonitatis patrem, ac tantæ maiestatis sponsum: idque ab homine vilissimo, qui *breui viuens tempore, repletur multis miserijs*, Iob. 14. nihilque habet, vel habere potest quin acceperit ab eo, quem offendit, iuxta illud, 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?*

13. Deus grauissimo odio peccatum prosequitur.

Tertium est odium grauissimũ, quo Deus peccatum semper est prosecutus; seueriſſimis legibus illud vetans, & pœnis grauissimis puniens reos illius: vt patet de angelis malis, primo parente, & iis qui perierunt in diluuio, & in incendio Sodomæ, ac finitimarũ ciuitatum, & de iis demum, qui igne æterno cruciantur apud inferos. Adde & pœnas quas voluit Christum perferre ob in se susceptas iniquitates nostras: etiamsi vnicus, ac dilectissimus esset filius, innocẽs, impollutus, & segregatus à peccatoribus, ad Hebr. 7.

Certè constat indignissimum esse, non tantùm contrà niti tantæ potentiæ, sed etiam nolle se accom

commodare voluntati: Cum Domini tantæ maiestatis qui nos ad obsequium suum condidit, iuxta illud, Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*: ac etiam venundatos sub peccato *redemit non corruptibilibus auro, & argento, sed Christi, quasi agni immaculati pretioso sanguine*, 1. Petr. 10. Imò (licet seruos inutiles) conduxit mercede æternæ beatitudinis; tum etiam patris de nostra salute à Deo soliciti, vt carne sanctissima eiusdem Christi veri Dei, & hominis nos pasci voluerit. Tum denique sponsi tam beneuoli: vt nos dotarit suo sancto spiritu, iuxta illud, ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Pudeat nos iustam causam dedisse antiquis illis querimoniis, Isaiæ 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis*, & cap. 5. *Quid est quod vltra potui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruscas?* & Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

14. Beneficium cõseruationis diuinæ.

Quartum est beneficium vbique præsentis Dei, nos sustinentis, suáque in nobis dona conseruãtis, & noua subinde conferentis: quo perpenso cognoscitur (quod valde indignum est) ante ipsius videntis, & reclamantis oculos peccando, inferri illi iniuriam eius generis, cuius est, si seruus amplissima mercede conductus à Domino ad suum obsequiũ, plurimisque muneribus auctus liberalissimè, iisdem

ipso vidente abuteretur ad illum offendendum; aut infans infirmus à patre amantissimè sustentatus, gladium quem in sua potestate habet (vt nos habemus nostram voluntatem) in eiusdem patris pectus adigere impius conaretur. Vnde rursus antiquis querimoniis datur occasio: Ierem. 18. *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ;* & ad Hebr. 6. *Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes.*

Breuitas huius vitæ.

Quintum est breuis hæc vita nostra, quam agimus super terram, constituti inter cœlum sedem Christi; sanctorúmque omnium; & infernum, ergastulum dæmonis, & omnium sceleratorum; atque allecti, & attracti, tum à Christo ad tenendam viam salutis, obseruatione mandatorum: tum à dæmone ad sequendam viam perditionis, eorumdem mandatorum transgressione: peccantes mortaliter non perinde gerimus ac si constituti Iudices, cui adhærere præstet; Christóne, an dæmoni? Dæmonem præferimus Christo ad illum conuersi, & ab hoc auersi: quod quàm indignum sit, patet ex exprobratione, quæ ideo potest Christo fieri à dæmone nimirum quòd illum, pro quo saluando carnem humanam ipse susceperit, & tam multa tum egit, tum passus est in ea: quémque tot donis diuinis ad hoc locupletauit, vt suam in cœlo ruinam repararet, iam habeat non coactum, sed volentem mancipatum suo obsequio.

Dæmonis in Christũ exprobratio.

Ad hoc attende anima redempta, lotáque Christi sanguine, charactere ipsius insignita, ei desponsata fide, ab eo dotata sancto Spiritu: quæ coram tanto sponso, specioso præ filiis hominum, abominabilis facta es, denigrata super carbones; Tũ eum,

eum,cui millia millium miniſtrant,& decies centena millia aſſiſtunt,qui illud,Ierem.3.tibi meritò exprobrent,*frons mulieris meretricis facta es tibi, noluisti erubeſcere:*quiſque pro eo quo ardent diuini honoris zelo, te tanquam vita indignum malè mulctarent, ſi Chriſtus ipſe permitteret : ita vt debeas illud Threnorum 3. vſurpare : *Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* Ad tam bonum igitur Dominũ conuertere, humiliter petens cum Dauide, Pſalm.12. *Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me, reſpice & exaudi me Deus meus. Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in morte, nec dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum.*

Sextum eſt infinita Dei maieſtas, & perfectio, contra quam homo,terra,& cinis,peccando ſuperbit: quo nihil poteſt cogitari indignius, præſertim cùm ille contra quem peccatur, Dominus ſit, cui timor;& pater, cui honor omnis debetur.hinc illa querimonia aduerſus peccantes, Malach.1.*Si pater ego ſum,vbi eſt honor meus;& ſi Dominus ego ſum,vbi eſt timor meus?* 15. Dei maieſtas infinita.

Poſtremum eſt noſtra nequitia in eum, *in quo viuimus,mouemur & ſumus.* Actor.17.quiſque à ſordibus peccatorum nos abluit, diuina gratia ſua exornauit, vitam æternam promiſit, & de cuius ſolius munere venit, quidquid in nobis eſt boni, ſiue animæ,ſiue corporis,& quidquid mali, cui obnoxij fuerimus, euaſerimus. Indigniſſimum enim eſt noſtram nequitiam tantam eſſe, vt ſummum benefactorem offendamus aſſiduè variis partibus, membriſve noſtris:non vno tantùm, ſed multiplici peccatorum genere;non ſemel aut bis, ſed mul- Nequitia noſtra deteſtanda.

toties; idque leuissimas plerumque ob causas, atque adeo sponte, neque ad id multùm stimulati, imò quasi per ludum, ac iocum. Quem non pudeat obnoxium esse illi obiurgationi Mosis, Deuteron.32. *Hæccine reddis Domino populo stulte, & insipiens; numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Deum qui* te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini *creatoris tui.* Gusta, anima Christiana, & vide, quàm suauis sit Christus tuus: qui *dilexit te caritate perpetua, & ideo attraxit te miserans tui*; vt dicit Hierem. 31. nascendo in stabulo, dans se tibi in socium: discipulis conuescendo in cœna, tradens se in cibum; moriens in cruce, tradens se in pretium: & denique in cœlo ad dexteram patris sedens, traditurus se in præmium, vt ait D. Thomas in hymno corporis Christi. Amantem igitur nos redamemus, nec recedamus à Deo salutari nostro: quo nihil melius offerre se potest. *Diuites enim eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono,* Psal.32. exaltatum à terra, vt nos ad se traheret, & in cruce mortuum pro peccatis nostris consideremus; indéque ad eorum detestationem excitemus nos, ne tantæ bonitatis diuitias contemnentes, *thesaurizemus nobis iram in die iræ iusti iudicij Dei,* iuxta Apostolum ad Rom.2.

De eadem ratione ex seueritate diuinæ iustitiæ.

SECTIO QVARTA.

16. QVando notatum fuerit non sufficere aliqua antedicta ad concipiendum peccati odium,

ideóque ipsum non esse de illorum numero, *qui oderunt peccare virtutis amore:* sed potius de aliorum *qui oderunt peccare formidine pœnæ*: pertinet 3. ad Confessarij prudentiam, tali inculcare diuinæ iustitiæ seueritatem, qua iniuriam per peccatum sibi illatam, Deus vlciscitur: propositis nimirum iudiciis seueris, quæ omnipotens exercuit in Luciferum, & cæteros Angelos peccantes: quibus non pepercit, *sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* 2. Petr. 2. Deinde in primos nostros parentes, quos ex paradiso voluptatis expulsos, vitam laboribus, & molestiis plenam, ac morbis, mortíque obnoxiam agere fecit, Gen. 3. qualem & nos miseriæ ipsius hæredes nos agere patet experientia. Præterea quomodo aquis suffocauerit omnes homines, exceptis quatuor viris, & totidem fœminis tempore Noë, Gen. 7. Atque igne consumpserit Sodomam, & finitimas ciuitates tempore Abrahæ, Gen. 18. Item terra dehiscente viuos in infernum protruserit Dathan, Core, & Abiron tempore Mosis, Num. 16. Atque immissa pestilẽtia in Israel tempore Dauidis propter ipsius peccatum, extinxerit septuaginta millia virorum, 2. Reg. 24. multáque alia eius generis fecerit, quę tum in sacris literis, tum in aliis historiis commemorantur, aut etiam quotidiana experientia cognoscuntur: accommodanda ad peccata iis similia, quibus Pœnitens se inquinauerit: vrgẽdo ob ea meritò similem aliquem miserum vitæ exitum sibi timere debere, ab eodem iusto iudice Deo, qui non est personarum acceptor, vt sæpius repetitum habetur in sacris literis tum alibi, tum Deuter. 10. 2. Paral. 19. ad Rom. 2. ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. 1. Petr. 1. Apoc. 10. quæ repeti-

Horat.

Iustitiæ diuinę seueritas.

tio apertè indicat id pro certissimo documento esse tenendum,& frequenter ad memoriam reuocãdum.Nec quemquam fallere debet,quòd Deus infinita sua bonitate, tale supplicium inferre misericorditer tardet : quia talem tarditatem grauitate supplicij compensat, iuxta illud Eccl. 5. *Ne dixeris peccaui,& quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Et illud ad Rom.2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit:secundùm autem duritiem tuam,& impœnitens cor , thesaurisas tibi iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicij Dei,qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* Illam enim iram , supra quàm dici,vel cogitari potest , accendet peccatoris indurati ingratitudo,qua leuissimam ac momentaneam, quæ ex peccato percipitur voluptatem, & antepositit & anteponere pergit amicitiæ Dei: quod puderet committere erga quemcumque hominem, qui beneficia sine comparatione minora quàm ille contulisset; neque vt ille posset illatam sibi iniuriam punire æterno, qui diabolo & angelis eius paratus est,igne, omnium rerum timendarum maximè timendo , dicente Domino,Matt.10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus,&c.sed potiustimete eum,qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Certè non fallit Apostolus ad Hebr.10. dicens *horrendum esse incidere in manus Dei viuentis,* nec fallebatur *Iob vir simplex,& rectus,ac timens Deum,& recedens à malo* (vt describitur initio suæ historiæ, c.1. cùm *verebatur omnia sua opera sciens, quòd Deus non parceret delinquẽti,*ex cap.9. eiusdem historiæ ipsius. *Et cùm semper quasi timẽtes super se fluctus,sic timuit Deum* , ex sequent. cap.31. Quàm igitur nequam sibi est,qui negligit audire sapientis

salu

saluberrimum monitum. Eccleſiaſt. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuũ in ſanctitate eius.* nam ex 1. Petr. 4. *Si vix iuſtus ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Cum diuinæ iuſtitiæ ſeueritate magna benignitas coniuncta. §. *vnicus.*

IAm cùm tanta ſeueritate quanta ſit benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducentis, patet ex ſequentibus, quæ ſimul inculcanda ſunt Pœnitenti, tum vt is ex terrore ad amorem inducatur Dei, ſicut filum inducitur in corium traiectione ſetæ, ex cap. Sicut ſeta. de Pœniten. diſtin. 2. tum vt nos ea ratione cum zelo diuinæ iuſtitiæ coniungamus cõpaſſionem proximi, quæ per diſcretionem illi admiſceri debet tanquã vinum oleo, ad curationem ſauciati. 18. Benignitas Dei coniũcta cum ſeueritate.

Primum igitur eſt, quòd morte æterna non punierit nos extemplo, ſicut dæmones: ſed Pœnitentiæ tempus nullo noſtro merito nobis conceſſerit. Interea tamen priuans ſuis donis cœleſtibus, vt in ſequen. ſectione exponetur, ſicut rex, qui proditori miſericorditer donans vitam, aufert caſtra ei antea commiſſa. Luc. 10.

Secundum eſt, quòd non deſiſtat nos conſeruare, quamtumcumque vita, & viribus quas confert, ad ipſius offenſam impiè abutamur.

Tertium eſt, quòd nõ obſtante nequitia noſtra, velit nos rebus omnibus, quantumuis peruerſiſſimos, non ſecus vti ac ſanctiſſimos; atque adeo cœlum, & ſydera, aërem, & terram, animalia, & plantas, aliáque corporea nobis ſeruire: imò & vnum

ex beatis Angelis custodē nobis adesse: quo etiam tempore fidem nostro, ac ipsorum communi Domino frangimus, atque illa quasi cogimus nobiscū eidem Domino rebellare: qui nihilominus, vt habetur Matth. 5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos:* quod experientia docet in condemnationem nostræ iniquitatis.

Quartum, quòd res, ad faciendum verbum eius creatas, prohibuerit, ne in nos perfidos & desertores iustè impetu facto vlciscerentur domini sui iniuriam, præsertim satellites ipsius Angelos Sanctos, coercueritque infernales carnifices, in quorum potestate cùm essemus constituti, moliebantur vitam nobis eripere ad adimendam resipiscendi ab ipsorum laqueis commoditatē omnem: imò & repressserit ne vehementiùs sollicitarent, impelleréntve ad scelera, cùm dubium non sit, quin ad grauiora lapsuri essemus, nisi nos auxilio suo diuino iuuisset aduersus tentationes, vel eas à nobis auertisset: sicut & auertit plurima vitæ quoque nostræ corporalis pericula, quæ nos nec aduertere nec etiā sentire solemus.

Nos etiam Deus quo tempore eū fugiebamus ad se reuocauit.

Postremum, tunc etiam temporis, cùm pertinaciter illum fugeremus, misericordissimè cum summa patientia nos insecutus sit, ad seque reuocarit tum tacitis suis afflatibus diuinis, tum etiam apertis proximorū, aut aliquorum euētuum extraordinariorum monitis: ita vt gesserit se nobiscū, geratque sicut se bonus aliquis pater gereret cum vnico filio charissimo, vi febris de mente deiecto, cui assidet & ministrat cum magna solicitudine, pietate, & patientia, quantumcumque nec beneficia, nec patrē agnoscat.

agnoscat, sed ipsum malè excipiat, grauiter lacessens iniuriis, & contumeliis. Quæ tanta Dei benignitas, & patientia in peccatores, tandem verteretur in indignationem & iram: iuxta illud Psalm. 2. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tũc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos,* & si quamdiu in hac vita sumus, reconciliationi locus est, iuxta illud Ioan. 6. *Eum qui venit ad me, non eijciam foras.*

De eadem tertiò, ex iactura bonorum quæ fit per peccatum mortale.

SECTIO QVINTA.

PErnicies, quam mortale peccatum adfert, & ad illius odium, seu detestationem magnum est motiuum, consistit tum in iactura præstantissimorum bonorum, tum in inuectione ingentium malorum: ideóque ad prudentiam quoque Confessarij pertinet vtramque Pœnitenti inculcare, cùm opus fuerit ad emolliẽdum ipsum ad cõtritionem.

Atque de priore, in hac: de posteriore, in sequenti sectione. Iactura igitur istiusmodi (de qua Threno. 1. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius*) est primò meritorum nostrorum præteritorum, quia per peccatum mortale in nobis mortificantur omnia nostra bona opera, ita vt *quasi argentum versum in scoriam* ex Isaia cap. 1. vltra non imputentur nobis ad meritum æternæ salutis, iuxta illud Ezec. 18. *Si iustus auerterit se, & fecerit iniquitatem, &c. omnes iustitiæ quas fecerat nõ recordabuntur.*

Omnia bona opera per peccatũ mortificantur.

Secundò priuamur paternâ illa beneuolentiâ, & præcipua

præcipua cura, tutela, ac blanditiis, quibus parens optimus vti solet erga bonos, & pios. Quò spectat illud Ierem. 22. *Si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis, sicut annulus in dextera mea, inde euellam eum:* & illud Psalm. 118. *Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum*, & illud Prouerb. 1. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me, eo quòd exosam habuerunt disciplinam, & timorem Domini non susceperunt.* Adde & illud Isaię 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderũt faciem eius à vobis ne exaudiret*, ac illud Ierem. 5. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.*

Priuamur iure cœlestis hæreditatis.

Tertiò spoliamur iure cœlestis hæreditatis, facti mancipia diaboli ex filiis Dei, qui paulò pòst eramus Reges futuri, & fruituri fœlicissima iucundissimáque vita in illo Dei tabernaculo, *in quo is tantùm habitabit, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*, Psalm. 14. Vnde existimare debemus in eo instanti, quo mortaliter peccauimus, contra nos prolatam fuisse sententiam, qua è cœlo exules esse pronunciati sumus, spoliati bonis omnibus spiritalibus eò ducentibus, & sathanæ, ipsiusque ministris addicti cruciandi: perinde quadam ratione, ac nefarius sacerdos per degradationem ab Ecclesiastica dignitate alienus declaratur, sacerdotalibus indumentis exuitur, & brachio seculari traditur mulctandus.

20. Quartò abalienatur à nobis *Spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus abba pater: quique testimonium reddit spiritui nostro quòd filij Dei sumus*, ad Rom. 8. & per quem nobis datum, *charitas diffunditur in cordibus nostris*, ad Rom. 5. atque adeo

per

per quem ſpiritu viuere,& ſpiritu ambulare (in via nimirum ſalutis) dicimur,iuxta illud ad Galat.5. *Si ſpiritu viuimus,ſpiritu & ambulemus*; & ratio eſt, quia vita animæ noſtræ conſiſtit in charitate.vnde dicitur 1. Ioan. 3. *Qui non diligit,manet in morte*. & peccatum mortale illam extinguens dicitur generare mortem,Iaco.1.*Peccatum*(inquit) *cùm conſummatum fuerit,generat mortem*; itemque *fides ſine illa eſt mortua ,ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt*,ex ſequen. cap.2.nec vllum noſtrum opus cenſetur vitæ æternę eſſe meritorium,niſi ex illa proueniat,vt patet ex cap.13.prioris ad Corinth.

Quintò ſpoliamur gratiâ diuinâ; qua decorante animam noſtram , ea ſic placet Deo , vt tamquam ſiue filiam , ſiue ſponſam chariſſimam velit æterni ſui regni eſſe conſortem:quod vox illa ſponſi Cant. 4.ſignificat. *Veni de libano ſponſa mea ,veni de libano, veni coronaberis*. Spoliamur, & charitate , eámque comitantibus Spiritus Sancti donis , & virtutibus infuſis (tamquam Madian omnia vaſtante in terra Iſrael. Iudic. 6. aut Antiocho diripiente omnia vaſa templi,1.Machab.1.)quibus corroborantibu facultates animæ noſtræ , idonei ſumus ,promptíque,& alacres reddimur ad exequenda opera æternæ ſalutis meritoria.Non enim tantùm ſunt ornamenta *filiæ regis* (*cuius omnis gloria ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate*,ex Pſal. 44.) ſed etiam adiumenta ſunt neceſſaria ad vitam æternæ ſalutis meritoriam agendam. Quæ ſicut cùm adſunt magnam præbent gaudendi materiam,iuxta illud Eſa.61. *Gaudens gaudebo in Domino , & exultabit anima in Deo meo*;quia *induit me veſtimento ſalutis , & indumento iuſtitiæ circumdedit me , & quaſi ſponſum*

20.

Spoliamur diuina gratia.

sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis: ita etiam cum absunt (quod nostra culpa fit per peccatum mortale) magnam præbent materiam doloris vehementis: qualem sensit Iob, cùm in cap. 19. diceret: *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me vndique, & pereo, quasi euulsæ arbori abstulit spem meam*: & qualem sentiret mercator, qui multis laboribus ex India aduectas merces vno iactu taxilli miserè perdidisset.

Væ illi, qui talem passus iacturam nullo dolore tangitur: se fortè diuitem esse, nulliúsque egere dicens (vt ille de quo Apoc. 3.) *cùm verè miser sit, & miserabilis pauper & nudus*: Vt pote qui ad instar descendentis ad Ierusalem in Iericho Lucæ 10. *spoliatus bonis omnibus, & plagis impositis semiuiuus relictus*, sic priùs lucrata perdiderit, vt ei commoditas in posterum lucrandi adempta sit; imò qui in longè miseriore statu quàm ille coniectus sit, prout longè grauior pernicioſiórque est bonorum spiritualium & æternorum, quàm corporalium, & caducorum iactura, minúsque pernicioſæ sint plagæ corporis, quàm plagæ animæ, cui illam tandem adferunt mortem, de qua Psal. 33. *Mors peccatorum pessima*; & interea semiuiuum relinquit peccatorem, nempe viuentem quidem carne, sed mortuum spiritu. Adde ad eiusmodi iacturam, & plagas animæ accedere reatum, quo peccator debitor est pœnæ ignis æterni parati diabolo, & Angelis, vt patet ex sententia in eos proferenda ex cap. 25. D. Matth. Plerúmque etiam accedere temporalia detrimenta infamiæ, morborum, paupertatis, & indigentiæ. Accedere denique ad miseriæ cumulum, quòd anima

ma peccato mortali inquinata, sit tamquam nauis vndique agitata ventis, & à nautis deserta: ac tamquam ciuitas militum præsidio destituta, quæ ab hostibus cingitur, & in qua ciues dissident, & proditores consilio præsunt: aut etiam tamquam virgo à procis vndique solicitata, quam deseruit pater custos castitatis ipsius; vel vidua solatio destituta, cui vndique lites intentantur, & molestiæ inferuntur. Quò spectare censeri potest illud psal. 70. *Consilium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum; persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

De eâdem quærtò, ex multitudine & magnitudine malorum, quæ per peccatum mortale incurruntur.

SECTIO SEXTA.

PErnicies, quam peccatum mortale adfert, habet cum iactura bonorum, coniunctam inuectionem multorum & ingentium malorum: quorum alia iã sunt præsentia, & alia adhuc misericorditer à Deo differuntur dante peccatori locum pœnitentiæ (quo tamen abutitur in superbia, ex Iob. cap. 24, ver. 23.) atque illa plagarum & hoc debitorum nomine intelligi possunt.

Plagæ quæ per peccatum mortale infliguntur animæ. § .1.

PRima autem plaga est in animæ substantia tum corruptionis cuiusdam, iuxta illud Psal. 37. *Putruerunt* 23.

truerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ, & illud psal. 52. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus*: Tum deturpationis, qua Dæmonis turpissimi nigri, & pallidi: non cœlestis sponsi pulcherrimi, candidi & rubicundi speciem referat, ita vt in eam cadat illud Thren. 4. *Denigrata est super carbone facies eorum*; tum denique monstrositatis, qua adinstar Nabuchodonosor, Dan. 4. monstrosam quandam bestiarum speciem induit, iuxta illud psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Secunda plaga est cæcitatis in intellectu: cuius iudicium voluntas per peccatum peruersa peruertit, vt malum dicat bonum, & contrà bonum malum, iuxta illud Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Item illud psal. 81. *Nescierunt, neque intellexerũt; in tenebris ambulant.* & illud Sopho. 1. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*: & illud Sapien. 2. *Excæcauit illos malitia, eorum* (id quod Sodomitis ita contigit, vt simul cæcitate oculorum percuterẽtur, Gen. 19.) & illud Prouerb. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruãt*: nimirum sicut Balaam, Nu. 22. (qua comparatione D. Petrus in 2. sua epist. cap. 2. vtitur) nesciuit Angelum ante se stare districto gladio, quia via illius erat peruersa. Adde etiam illud ad Ephes. 4. *Hoc dico, & testificor, vt non ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in*

illi

illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Ea igitur quæ illicitè amata idem Apostolus ad Philipp. 3. *arbitratus est vt stercora*, intellectum excæcant, sicut & stercus hirundinum cadens in oculos Tobiæ cæcitatem eis intulit, Tobiæ 1.

Tertia plaga est obliuionis Dei in memoria, de qua Deut. 32. *Oblitus es Dei creatoris tui*, & Psalm. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferentur iudicia tua à facie eius*, & Psalm. 53. *Non proposuerat Deum ante conspectum suum*: & Psalm. 85. *Non proposuerunt te in conspectu suo*: & Psal. 105. *Obliti sunt Dei, qui saluauit eos.*

Quarta plaga est peruersitatis in voluntate per quam seruituti appetitus, tamquam ancilla Dominæ nequissimæ addicitur, & famulari cogitur, debens dominari: peccatum enim propẽsioni ad malum (de qua Genesis 8. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia*) tamquam ferocissimæ bestiæ frænum detrahens, aut tamquã intemperantissimo mancipio libertatem tribuens, omnia perturbat ac peruertit, nec sensu rationi nec ratione obtemperante Deo ob abiectum à se omnem humanum timorem: imò & diuinum, exemplo eius qui Lucæ 18. dixisse refertur, *Deum non timeo, nec hominem reuereor.* In eo autem *quod filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua*, ex cap. 16. D. Lucæ; idem contingit ipsis, quod noctuis, quæ melius quàm aues cæteræ solent in tenebris volatum suum dirigere.

Quinta plaga est debilitatis in facúltate exequẽdi, constituentis eam infirmitatem, de qua in Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Ad quas plagas respexisse videri potest D. Bernardus, cùm in serm. 1. in cœna Domini, lapsum in peccatum comparauit lapsui in cloacam plenam lapidibus, per quam ille qui labitur, non solùm fœdatur: sed etiam in membris suis grauiter læditur. Quòd si quæ sint aliæ eiusdem modi plagæ, reducuntur ad memoratas: quarum perniciem aduente augeri per detrimenta, quæ in temporalibus bonis siue honorariis, siue pecuniariis, siue etiam corporeis secum ferunt.

Ratio quâ ob acceptas per peccatum plagas inducendus est peccator ad odium propriorum peccatorum. §. 2.

24. Erubescentia peccatoris de suo statu.

ATque per hæc adducetur peccator ad odium suorum peccatorum, si ei inculcetur, quàm habeat occasionem erubescendi coram Deo, & Sanctis ipsius de vilissimo, pauperrimóque statu, in quem per ea se coniecit. Etenim ipsum, talis plaga veris bonis adeo exinaniuit, vt possit meritò vsurpare illud Psalm. 72. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*: atque adeo sibi accommodare illud de diabolo dictum Ezechielis 28. *Nihil factus es.* Certè apertum est, quod in priori ad Corinth. 13. Apostolus ait se *sine charitate nihil esse.* Tale quid autē parum pendenti impudenter, eo quòd commoditatibus temporalibus, quibus fortè Dei beneficio abundat, sit contentus: inculcare oportet de talibus tamquàm concessis ad procurandam Dei gloriam, *rationem esse reddendam vsque ad nouissimum quadrantem*, Matthæi 5. Neque concessum esse diu illis vti, vt

patet per illud, quod ex Lucæ cap. 12. dicenti. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, epulare; responderit Deus: stulte, hac nocte repetent à te animam tuam, quæ autem parasti, cuius erunt?* & illud Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Nec etiam talis vsus facit hominem contentum, seu quiete animi frui. *Impij enim* (vt dicitur Isaiæ 57.) *quasi mare feruens quod quiescere non potest.* In quos proinde aptè quadrat illud Psal. 106. *Anima eorum in malis tabescebat: turbati sunt, & moti sicut ebrius, omnis sapientia eorum deuorata est.* Itemq; illud Isai. 48. *Non est pax impijs.* Esto *ducant in bonis dies suos: tamen in puncto in inferna descendunt.* Iob 21. Adde quòd *risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupet.* Prouer. 14. Item quòd abundantiam, & delectationem ipsorum summa egestas, molestiáque excipiet. Sic enim is qui *induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, ne quidem aquæ guttam habere potest, quâ linguam suã refrigeret cruciatus in flamma*, ex D. Luc. cap. 16. sicq; experitur verum esse de peccato, quod dicitur Prouerb. 5. *Fauus distillãs labia meretricis, nouissima autem illius amara quasi absynthium.*

Vrgendum vlterius est, talibus commoditatibus abundantes peccatores grauari vinculis grauissimis de quib. Prouer. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Cuius rei typũ Manasses gessit: inter cætera de se dicens in oratione sua, quæ habetur in fine Paralip. *Incuruatus sum multo vinculo ferreo, & non possum attollere caput meum.* Talia

vincula tunc demum sentiuntur à peccatore, cùm (ad instar auis escâ consumptâ) recedere conatur: vt D. Augustino accidisse ipsemet indicat, cùm ait in 8. Confess. cap. 5. Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & me constrinxerat. Hæc ille. Sic autem peccatorum suorum vinculis, quasi ferreis constringi, vt ab immanissimo humani generis hoste captiui teneantur ad ipsius voluntatem habetur ex 2. ad Timoth. cap. 2. in fine, atque in tali captiuitate multa, & grauia perpeti, patet per illud Psalm. 31. *Multa flagella peccatoris*; & illud, quod qui peccauerunt dixerunt in inferno positi (ex cap. 5. lib. Sapientiæ) lassati sumus in via iniquitatis, *& perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Vnde intelligitur peccatoris indurati quantumcumque vitæ huius commoditatibus abundantis, conditionem posse comparari cum ea qua asinus, non quidem solutus, cui Christus (ex Matth. cap. 21.) insideat ad ingressum triumphalem in Ierusalem: sed ligatus ad obsequium crudelissimi Domini, & onere graui oppressus, fustibúsque crudeliter verberatus, cui ad esum suppetant tantùm aliquot cardui. Cum quibus temporales ipsæ commoditates comparari possunt, sicut comparantur cum spinis in parabola de semente, Matth. 13. Mar. 4. Lucæ 8.

Catena qua Aug. tenebatur adstrictus.

De debitis quæ per peccatum mortale contrahuntur. §. 3.

25. QVod attinet ad debita peccatoris, seu mala, quibus post hanc vitam expositus est, nisi resi-

piscat,ea talia sunt quæ nec humana cogitatio comprehendere, nec lingua exprimere valeat,sicut nec præmia,seu bona iustis parata,iuxta illud Apostoli 1.Corinth.2.ex Isaia cap. 64. *Oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Comprehenduntur autem nomine pœnæ æternæ damnationis, quæ duplex est : vna dicitur pœna damni,per quam pariter omnes damnati excluduntur à beatifica visione Dei, regnóque cœlorum:iuxta illud quod in Apoc.cap.21.sub finem dicitur,quòd in eam quæ ibi describitur cœlestem Ierusalem, non introibit aliquod coinquinatum. Ad quod etiam facit illud Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es,neque habitabit iuxta te malignus,neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem* : itémque illud Psal. 72. *Qui elongant se à te peribunt:perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Accedit etiam quòd ratio talis exclusionis sit carentia charitatis,tamquam vestis nuptialis, qua spoliamur,per quodcumque peccatum mortale. Altera verò pœna æternæ damnationis dicitur pœna sensus:qua torquentur damnati impariter pro imparitate numeri & grauitatis peccatorum ab vnoquoque commissorum, iuxta illud Apoc. 18. *Quantùm se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vnde intelligitur hominem,qui peccata, de quibus non egit pœnitentiam, commisit plura,& grauiora quàm multi dæmones, plura, & grauiora perpessurum tormenta, quàm multos dæmones:præsertim cùm non sit personarum acceptio apud Deum:vt habitum est antea pluribus sacræ scripturæ locis citatis.

Duplex est pœna damnatorum, dãni & sensus.

Pœna sensus grauissima.

Quàm autem horrenda sit istiusmodi pœna col-

ligere licet ex sententia per quam miseri sunt eidem addicendi à Christo ipsomet, teste Matth. 25. cùm dicet, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Nam illud *Ite maledicti*, ostendit pœnam ignominiosissimam, quæ separat à societate sanctorum cum Dei indignatione. Illud verò, *In ignem æternum*, pœnam acerbissimam, eámque nunquam finituram. Illud denique, *Qui paratus est diabolo & Angelis eius*: pœnam immanissimam, & ex ne quissimorũ societate molestissimam.

Ratio concipiendi odium peccati ob debita per illud contracta. §. 4.

COnsideret igitur Christianus, aut tamquam miles baptismali charactere Christi insignitus, mox coronandus, si legitimè certasset: aut tamquam filius adoptatus, mox ad regni solium ab adoptante euehendus, si paruisset paternis iussibus, aut tamquam sponsa ad delicias regales, de quibus (Lucæ 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*) mox admittenda, si fidem seruasset. Consideret, inquam, se à tam fœlici conditione excidere per peccatum mortale: adeóque exosum Deo reddi, vt is ipsum tamquam nihili factum, ac fœdissimè deturpatum, omninóque abominabilem, velit à domo sua alienum esse, & in infernum abijci, vt in cloacam, sordium vniuersi receptaculum immundissimum, atque igne inextinguibili in æternum cum dæmonibus cruciari, absque vllo prorsus solatio: quandoquidem ex cap. 5. Sapien. *Deus armabit creaturam ad vltionem inimicorum, &*

pugnabo

pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos: adeo vt, nec à Creatore nec à creatura solatium expectare debeant, sed potius vexationem.

Excitet igitur Christianus suam fidem, qua cum cæteris symboli articulis credit vitam æternam: & in infernum descendat adhuc viuens, ne descendat mortuus: serióque consideret (ex Iob. c. 10.) *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarũ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Itémque ex Apoc. cap. 21. *Stagnum ardens igne & sulphure, dæmonibus teterrimis,* tamquã serpentibus sæuissimis totum scatens: ac etiam tum ex nonnullis sacræ scripturæ locis (vt ex Isaiæ cap. 34. à ver. 8. & ex cap. 1. Sophoni. à versu item 8.) tum ex libris piis, in quibus de nouissimis hominis agitur, expendat omnis generis miserias ibi perferendas, maiores ac molestiores quàm mens humana capere possit, vel lingua exprimere. Eas vtcumque indicant ibidem constituti qui præ angustia spiritus gementes ex cit. cap. 5. Sapientiæ: ac stridentes dentibus, ex cap. 24. & 25. D. Matth. desiderant mortem fugientem ab eis, ex Apoc. cap. 9. dicúntque montibus, *Cadite super nos, & collibus, operite nos,* ex pręced. cap. 6. sub finem & ex cap. 23. D. Lucæ. Ex qua consideratione si in peccatoris voluntate non excitetur motus, tum pudoris de tam misero præsenti suo statu: tum timoris de impendente futuro omnium miserrimo; tum demum summi odij peccati vt fontis detestandi tantorum malorum: vix aliud superesse videtur, quàm vt pro eo oretur, & moneatur de eodem misero suo statu per similitudinem, qua D. Paulus vtitur ad Hebr. cap. 6. *quòd terra sæpe venientem super se bibens imbrem & producens tribulos &*

Pœnæ inferni expẽdendæ grauissimè.

spinas reproba est: cuius consummatio in combustionem

28. Itémque doceatur illam suam duritiem, non esse opus alterius quàm diaboli, tenentis ipsum captiuum ad suam volũtatem, iuxta Apostolum 2.ad Timoth.2. Neque enim est opus Dei, nisi permittentis, vt in Pharaone: neque est naturæ opus, vt ex eo patet, quòd soleant homines tam faciles esse ad concipiendum tum pudorem de turpitudine sui status, tum timorem impendentium sibi grauium malorum, tum demum odium eorum, quæ grauiter eis nocent; vt difficillimum sit eos cohibere à talibus motibus, & intra rationis limites coërcere. Neque refert quòd tale quid eis contingat circa temporalia, quæ sensu percipiuntur. Nam spiritualia percipiuntur fide quæ certiorem notitiam dat quàm sensus, spiritaliúmque iactura infinitis partibus maior est, & formidabilior quàm iactura temporalium: vt satis insinuatum est à Domino nostro, cùm dixit Luc.12. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Item (quod bene notatum est à D. Chrysost.homil.5.ad populum Antiochenum) tristitia quam dicimus contritionem, concepta propter Deum de iactura spiritalium, remedium est aduersus eamdem iacturam, dicente Apostolo in posteriori ad Corinth.cap.7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Susceptaverò tristitia de iactura temporalium, nihil ad eam proficit: quantumcumque enim tristetur quis de liberis, vel bonis amissis, vel de infamia, aut morbis contractis, non ideo talis iactu

Spiritualium iactura maior est infinitis partibus quàm temporalium.

lis iactura resarcietur, vt constat experientia. Itaque aduertat peccator induratus, quem suus tam miser status nihil mouet; quòd ipse sit in manu diaboli carnificis sæuissimi: à quo ducitur ad æternum gehennæ supplicium. Nostra enim hæc vita cursus est ad mortem, quam seuerum Dei iudicium sequitur, & cum eo idipsum supplicium peccatoribus impœnitentibus constitutum; ducitur verò, quasi obuerso dorso, ne territus, mentem muter, videns ollam succensam sibi paratam. Conuertatur ergo miser, animæ suæ misertus; & dum ei adhuc conceditur remedium Pœnitentiæ ad se liberandum, eo vtatur: cùm non desint illi ad id mutationes diuinæ misericordiæ, tum per interiores inspirationes, tum per exteriores monitiones, nimirum per varietatem prosperitatum & afflictionum, per conciones ac per exempla, quæ passim offerentur. Quas imitationes, & monitiones qui contemnit, quàm sibi malè prospiciat pro eo tempore, quo (etiam dæmone ipso vrgente vt inducat in desperationem) compelletur ad tribunal tremendum, & supplicium horribile faciem conuertere. Caueat ergo sibi, interea dum potest, à comminatione formidabili posita in cap. 1. Prouerb. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & nō fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Atque dum licet dicat saluberrimum peccaui; cuius singulæ literæ indices illi esse possunt miseriæ, in qua constituitur: puta 1. præmiis meritorum omnium priuatus. 2. egestate oppressus, 3. cæcitate mentis percussus. 4. charitate diuina spoliatus. 5. amaritudine repletus. 6. viam per-

ditionis ingressus. 7. iram Dei meritus.

Certè si depulsa mentis caligine posset seriò dicere : *Iniquitatem ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper :* seriò quoque vsurparet illud, *Miserere mei Deus secũdum magnam misericordiam tuam, &c.* ad obtinendam liberationem à miserimo suo statu.

CAPVT VI.

De Confessarij prudentia in dirigendo Pœnitente ad contritionem executioni mandandam.

SVMMARIVM.

1. *Maxima Dei miseratio in peccatores, quâ pro illis ad pœnitentiam vocandis, misit vnigenitum Filium suum.* 2. *Miseratio, quâ homines peccatores ad ipsum reuertentes recipit.* 3. *Miseratio, quâ benignissimè ad se vocat, patientissimèque suffert peccatores.* 4. *Miseratio, qua velut naturali propẽsione misereatur peccatoris.* 5. *Miseratio liberalissimè offerentis peccatori veniam suorum peccatorum.* 6. *Nulla est grauitas aut multitudo peccatorum, ob quam Pœnitens desperandum sit de Dei misericordia; & qualiter ad spem concipiendam excitari possit.* 7. *Continuatio diuinorum in nos beneficiorum tum communium, tum particularium.* 8. *Dignitas contritionis.* 9. *Facilitas tum euadendi æternam damnationem, tum gratiam, & cætera diuina dona recuperandi : tum etiam*

consequendi vitam æternam beneficio contritionis.
10. *Vtilitates contritionis, repurgandi animam à peccatis, claudendi infernum, & aperiendi cœlum.*
11. *Non esse fastidiendam contritionem ob ipsius difficultatem.* 12. *Rationes quibus potest Pœnitenti dissuaderi contritionis dilatio, ac primò ex periculo in mora.* 13. *Deinde ex difficultate quam talis mora parit resurgendi à peccato, & facilitate quam adfert labendi in nouum peccatum.* 14. *Postremò ex indignitate quæ in tali mora notatur.* 15. *Illusio dæmonis in nectenda tali mora.*

VT nonnullis corpore ægris vsuuenit desiderare quidem liberationem à morbo, quo detinentur, propter multitudinem, tum commoditatum quibus priuat, tum incommoditatum, quas adfert: auersari tamen sumptionem potionis ad illam consequendam necessariæ; sic etiam quibusdam peccatoribus contingit, vt optent quidem peccatorum suorum, præsertim mortalium, remissionem, tot quot ante dicta sunt detrimenta adferentium: auersentur tamen executionem contritionis necessariæ ad eamdem remissionem. Quod prouenire potest vel ex quadam desperatione consequendi talem remissionem, vel ex quodam horrore contritionis, tamquam ex nausea potionis amaræ ægro oblatæ, vel ex quadam socordia, per quam illius executio differtur de die in diem, vel denique ex ignoratione modi eam exequendi, quæ reddendo anxium, auocat ab ipsa executione. Quæ cùm ita sint, prudentiæ erit Confessarij primò Pœnitentem suum, cùm necessarium esse viderit, in

spem

ſpem diuinæ miſericordiæ erigere. 2. ei gratam reddere contritionem. 3. diſſuadere illius dilationem. 4. rationem illius exercendæ ei tradere, quam perſequemur ſeparatim in ſequenti capite: De cæteris verò dicemus in præſenti.

De erigendo Pœnitente in ſpem diuinæ miſericordiæ.

SECTIO PRIMA.

PErtinet igitur primò ad iſtiuſmodi prudentiam Confeſſarij, vt Pœnitentem erigat in ſpem veniæ à Deo conſequendæ, cùm illum aduertit ita perterritum conſideratione diuini iudicij, & multitudinis ac grauitatis ſuorum peccatorum, vt ad deſperationem inclinare videatur. Ad id autem conferre poteſt commemoratio miſerationum, quas Deus exercet, exercuitque in peccatores: ſicut commemoratio iudiciorum confert ad induratum perterrendum.

1. Principalis autem huiuſmodi miſeratio eſt, quòd Dei filius venerit peccatores ad Pœnitentiam vocare *a*, atque adeo *naſcens dederit ſe in ſocium, conueſcens in edulium, moriẽs in pretium, regnans daturus ſe in præmium*. Nimirum vnigenitus Dei filius, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil quod factum eſt: de ſinu patris in terram deſcẽdens vt quæreret, & ſaluum faceret quod perierat: non tantùm ſe exhibuit peregrinationis noſtræ ſocium, ſed etiam in ea mortem acerbiſſimam pro nobis paſſus eſt: imò & ſeipſum in eadem dedit in cibum, daturus in patria, quod diſpoſuit nobis re-

a Matth. 9. Dei filius ſe dedit in ſocium, vt nos ad Pœnitẽtiam vocaret.

gnum.

gnum, *vt edamus, & bibamus super mensam suam in regno suo b*, vbi & *aduocatus noster est apud patrem, & propitiatio pro peccatis nostris c*, hæcque sunt vnguenta pretiosa, quæ diuina bonitas in nos peccatores effudit vt post se traheret, & in eorum curremus odorem *d*, confidentes in ea charitate ineffabili qua sic dilexit mundum, *vt vnigenitum suum daret, vt omnis qui credet in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam e*, quaque idem filius *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, f vt exaltatus à terra omnia traheret ad seipsum*, iuxta ipsius prædictionem, Ioānis 12. Ergone diffidemus de eo *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum? quomodo enim nō etiam omnia nobis cum illo donabit*, vt D. Paul. argumentatur, ad Rom. 8. Quin potius hauriemus aquas de fontibus saluatoris, iuxta prædictionem Isaiæ ca. 12. Hoc est, ex seria consideratione eorum quæ Christus pro nobis egit, & passus est, spiritales lachrymas ciebimus, compungemurve de tanta, tamq; enormi nostra ingratitudine, quanta est peccantium in talium beneficiorum largitorem amantissimum: ratione quorum infinitis nominibus illi omnis laus, honor, & gloria, perpetua gratiarū actio, perpetuumque obsequium à nobis debetur.

b Luc. 22.

c 1. Ioan. 2.

d quod petit sponsa cantu 1.

e Ioan. 3.

f ad Phil. 2.

Altera miseratio est, qua peccatores reuertentes ad se recipit benignissimè, prout ostendit parabola de prodigo. Luc. 15, neque eos exhorrescit, quantumuis abominabiles: sic enim non exhorruit confitentem latronem, nec lachrymantem peccatricem, nec Chananæam supplicantem, nec deprehensam in adulterio mulierem: nec sedentem in telonio Matthæum, nec orantem Publicanum: 2.

nec

nec discipulum negantem, nec persequentem Apostolum: nec demum suos crucifixores, ad ipsum reuertentes reiecisset: pro quibus ipsum ridentibus orauit pendens in cruce. Quam primùm David Pœnitens dixit: *Peccaui Domino*, audiuit à Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. 2. Regum 12. Facinorosissimi reges (Manasses inquam, 2. Paralip. 33. & Nabuchodonosor, Dan. 4.) Conuersi ad Deum, statim sunt ab eo misericordiam consecuti. hinc ipse Dauid in Psal. 76. *Nunquid in æternum proïciet Deus, aut nõ apponet vt complacitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem, aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?*

3. Dei benignitas erga peccatores.

Tertia miseratio est benignitatis, patientiæ, & suauitatis, qua vtitur in reuocandis ad se peccatoribus in viam salutis. Hanc ostendunt tum illud, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; tum illud, Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit, intrabo & cœnabo cum illo, & ipse mecum*: tum etiam illud, Isaiæ 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis*: & in sequent. cap. 45. *Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius*. Ecce qui non minus nos, quàm Angelos peccantes posset statim in infernum præcipitare, & alios Abrahæ filios sibi de lapidibus excitare, Matth. 3. non modò tempus ad horrẽdum illud supplicium per pœnitentiam euadendum concedit misericordissimè, iuxta illud, Threnorum 4. *Misericordiæ Domini quòd non sumus consumpti*: sed etiam ad

vtend
Qu
sione
ad illi
Nolo
uuat
cui pr
sicut
gere v
prium
dò cù
alient
so dic
eius: v
eius a
labor
cis me
Qu
niten
reum
dum;
venia
emen
tum i
multi
paulò
virgin
obliui
tur fil
obliui
Cant.
no, *ve*
Sunam
vec

vtendũ beneficio tam insigni inuitat benignissimè.

Quarta miseratio est, qua velut naturali propensione Deus misereturpeccatoris, & quasi inuitus ad illius punitionem procedit, iuxta illud, Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat:* & illud quod Ecclesia ipsum orans dicit: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Nimirum, sicut apum semper proprium est mellificare, pungere verò, non nisi quando irritantur: ita Dei proprium est semper misereri, punire autem solummodò cùm prouocatur. Vnde tamquam à puniendo alienus nobis proponitur per illud, Isaiæ 28. de ipso dictum: *Irascetur, vt faciat opus suum,* alienũ opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo: & per illud in præced. cap. 1. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* 4. Deus quasi inuitus punit, & miseretur volẽs.

Quinta miseratio est liberalissimè offerẽtis Pœnitenti veniam suorum peccatorum: perinde ac si reum læsæ Maiestatis extremo supplicio afficiendum; Rex ad se vocatum inuitaret ad petendam veniam, libentissimè concessurus eam petenti, & emendationem ex animo pollicenti: hanc indicant tum illud, Ierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & suscipiam te*; & paulò post, *saltem à modò voca me Pater meus, dux virginitatis meæ tu es:* tum illud, Isaiæ 49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miserea-tur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui,* tum demum illud (vt cætera omittã) Cant. 4. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, *veni coronaberis.* & cap. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, & intueamur te.* 5. Dei liberalissima miseratio in Pœnitẽtem.

Ne

6. Ne autẽ quis ob grauitatem, aut multitudinem suorum peccatorum se à tanta benignitate excludi existimare debeat, facit illud Domini, Matth.11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui enim omnes dicit, nullum excipit. Igitur quisquis est amaro animo, hortante Dauide in Psalm.33. Gustet & videat quàm suauis est Dominus, sibíque persuadeat: quòd is solus sit vir beatus, qui sperat in eo. Etenim vocans ad se caro, tantùm dicere potest, inficiam: mundus verò, deficiam: & diabolus, decipiam ac interficiam: solus autem Christus reficiam. Quid ergo restat nisi vt

g Psal.72. statuat cum eodem Dauide: *g Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam,* & vt in spiritu humilitatis animóque contrito cum eodem precetur. *h Dic animæ meæ, salus tua ego sum,* & cum Iob, *i manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat:* ac demum vt seipsum excitet ad sentiendum de Deo in bonitate per illud, Psalm.41. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, &c.* & illud Psalm.102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitã tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Illum autem ad hæc, isto ferè modo hortari poterimus. Ne quæso fugias bonum pastorem qui pro ouibus animam suam posuit, & post errantem vadit & quærit, inuentámque imponit humeris, & lætus reportat in ouile. *k* Pius Samaritanus te spoliatum & plagis impositis semiuiuum relictum, iumento suo imponet, & de tua curatione erit solli-

h Psal.34.
i cap.13.
k Luc.15.
l Luc.10. citus. *l* Aspice adstantem tibi, séque demittentem,

vt te iacentem ſubleuet; & audi exigentem tuum concurſum, per illud, Ierem. 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos*, ac etiam per Pœnitentiæ præceptum, à quo ſuas conciones inchoauit ex Matth. cap. 4. cùm dicitur: *Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Audi precor benigniſſimam illam cohortationem Domini dominantium, Ezechiel. 18. *Proïcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & venite.* Animaduerte quæſo, quòd conſtrictus peccatorum tuorum funibus, teneris à diabolo captiuus ad ipſius voluntatem excarnificandus, quódque vltro tibi Chriſtus occurrat offerens libertatem filiorum Dei, ſi quidem pœnitere velis: quod te facere eſt rationi conſentaneum, & tibi facilè, ipſo præſertim opem ferente, iuxta illud promiſſum ſuũ, Ierem. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quod facturus eſſes pro temporali corporis tui vita, ſi traditus carnifici exurendus flammis te ad ſe rex benignè inuitaret, Pœnitẽti pollicens liberationem à ſupplicio, & ſuppeditationem neceſſariorum ad vitam iucundam: ne detractes facere pro æterna animæ tuæ morte vitanda, æternáque vita conſequenda. Tãquam alter Saulus perſecutus es Chriſtum peccando (iuxta illud Hebr. 6. Rurſum crucifigentes Chriſtum in ſemetipſis) circumfulget te lux de cœlo, gratia ſcilicet Dei te præueniens: audi interius vocantem & dicentem. *Quid me perſequeris?* & reſponde humiliter: *domine quid me vis facere?*

atque per Confessarium, tamquam alterum Ananiam te restituet spiritali sanitati, beneficio absolutionis Sacramentalis, squamis peccatorum cadentibus de oculis cordis tui, vt visum recipias, ad videndum & gustandum, *quoniam suauis est Dominus, & quòd beati qui sperant in eo*, ex Psal. 33.

7. Cõtinuatio beneficiorũ diuinorum cõsiderãda.

Postrema miseratio, alias plurimas complectés, est continuationis diuinorum in nos beneficiorum tam communium, quàm particularium: quibus nos Deus ad se allicit ad instar mulieris grana manu deiicientis in terram, vt pullos certa voce vocatos attrahat ad se. Communia beneficia indicantur in Symbolo Apostolorum, & reducuntur ad creationem, redemptionem, iustificationem & glorificationem. Particularia verò diuersa sunt diuersorum, à quibus ideo notari debent, quòd plurimùm valeant ad eos erigendos in spem diuinæ misericordiæ, & ad admittendam cum perfecto voluntatis consensu præparationem, qua modo admirabili peccatorem, etiam alia cogitantem, dignatur Deus disponere, ad diuinæ suæ gratiæ receptionem. Qui modus talis esse solet. Primò mentem occupans, eam sic illustrat, vt moueat ad cognoscendam rerum caducarum vilitatem, & ad considerandum vitæ propriæ statum: positis ei antè oculos periculis in quibus versatur, deinde timorem diuinorum iudiciorum: tum præterea ad spem veniæ consequendæ, eum erigit ex consideratione infinitæ misericordiæ suæ, ac summæ bonitatis in indignos, & ingratos: atque ex ea tandem perducat ad affectum pietatis erga illam suam diuinam bonitatem immensam: ex quo affectu sequitur dolor de eiusdem offensa contritiõve, quæ

est

est proxima dispositio ad diuinam ipsam gratiam recipiendam : qua nihil potest nobis contingere melius, nec fructuosius : vtpote quæ conciliatrix est bonorum & repultrix malorum eorum, de quibus dictum est in præced. cap.

De contritione reddenda Pœnitenti grata.

SECTIO SECVNDA.

PErtinet secundò, ad propositam Cõfessarij prudentiam vt cùm notauerit suum Pœnitentem auersari, aut fastidire contritionem, conetur eam illi reddere amabilem, ac gratam : quod cum Dei auxilio obtinere maximè poterit, proponendo illi, eiusdem cõtritionis tum dignitatem eximiam, tum etiam vtilitatem maximam.

De dignitate contritionis ex illius effectis. §. 1.

DIgnitas autem in hoc consistit : quòd à Deo tanti fiat, vt per eam facilis sit, non modò emundatio à turpissima peccati macula; sed etiam euasio mortis æternæ, & recuperatio gratiæ perditæ, cæterorúmque donorum, quia cum ea datus Spiritus sanctus, effunditur in corde accipientis : *n* & demum adeptio vitæ æternæ : quibus nihil optabilius potest esse peccatori, seriò consideranti, ante se quidem, tremendum tribunal diuini iudicij, ad quod incessanter properat, propiúsque accedit quotidie, vt & ad mortem, cui illud 8.

n ad Rom. cap.5.ver.5.

proximè ſuccedit: dicente Apoſtolo ad Hebr.9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium*; poſt ſe verò, multa peccata commiſſa, & merita omnia omiſſa, iuxta illud quod de iuſto auertente ſe à iuſtitia ſua, & faciente iniquitatem dictum eſt, Ezechiel.18. Iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: ſupra ſe autem, Deum iratum, & ad puniendum paratum iuxta illud, Pſalm.7. *Deus iudex fortis & patiens, numquid iraſcetur per ſingulos dies? niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit: & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis.* Infra ſe porrò infernum, hoc eſt, ex Iob cap.10. *Terram miſeriæ:* vtpote locum tormentorum tum animę, tum etiam corporis: tam quoad totam ſubſtantiam, quàm quoad omnes facultates, omníſque conſolationis adeo expertem, vt cruciato in flamma, ne quidem aquæ gutulæ ſuppetat ad linguæ refrigerationem *o*. *Terram item tenebrarum*: vtpote conuerſam in ſulfur, & torrentes ipſius in picem ardentem, *p* eſt ad inſtar clibani ignis *q* flammam intra ſe renitentis, qui ex fumi abundantia totus caliginoſus, & tenebroſiſſimus. *Vbi etiam nullus eſt ordo*: quia omnia ibi geruntur cum deprauatiſſima voluntate. Eſt verò *vmbra mortis*: quia cùm miſeri maximos ibi patiantur dolores, iis comparandos qui acerbiſſimi contingunt morientibus; non tamen ideo moriuntur iuxta illud, Apocal.9. *Deſiderabunt mori, & mors fugiet ab illis, ſempiternus demum horror inhabitat.* Et pœnarum varietate, ex tortorum ſæuitia, qui nullam dant requiem: *r* ex vocibus item clamantium & vlulantium præ dolore *ſ*; & demum ex flamma obſcuritate, & timore continuo: illic enim ign-

o Luc.16.

p ex Iſaiæ 34.ver.9.

q ex Pſal. 10.ver.10.

r Ierem.16. verſu 13.

ſ Iſai. 65. verſ.14.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

crucians non illuminat, nec metus amittitur, cum semper tolerari incipiat quod timebatur. Ad quam terram finali sententiâ Christi relegandi sunt peccatores cruciandi cum diabolo, & angelis eius, Matth. 25. Denique consideranti à dextris quidem ciues cœlestes contristatos de ipsius statu perditionis: à sinistris verò dæmones tenentes eum captiuum executuri dictam maledictionis sententiam. Quæ cùm ita sint, & aduersus talia contritio sit speciale, ac singulare remedium: dubium non est, quin maximè optabilis sit, gratissimáque debeat esse cuicumque (iuxta Sapientis monitum, Eccl. 30.) *miserenti animæ suæ placendo Deo.* Quòd enim per eam peccator possit tot ac tanta incommoda euadere, constat ex diuino illo promisso, Ezechiel. 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

Quàm facilè ex contritione, effecta illius sequantur. §. 2.

IAm verò facilitas, cuius meminimus, euadendi pœnam æternam per contritionem, declaratur exemplo illius qui in scelere deprehensus à Iudice sine tergiuersatione damnatur morte, & constrictus vinculis ad patibulum ducitur: semper enim sumus in conspectu Dei, siue bene siue malè agentes, iuxta illud, Psalm. 118. *Omnes viæ meæ in conspectu tuo*: sicque comprehensus in operibus manuum suarum peccator, *t* sine tergiuersatione mortis sententiam accipit (iuxta illud, Ezechiel. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* & illud, Rom. 6. *Stipendia peccati mors*, atque peccatorum suorum 9.

t Psal. 9. vers. 17.

v Prouer. 5. vers. 22.

quasi funibus constrictus v ad patibulum, quod tamquam alter Aman sibi in inferno erexit, ducitur; supplicium ignis æterni subiturus: quod sine difficultate euadere potest contritus, dicente Deo, Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur.* Facilitas item gratiam, & alia diuina dona, ac merita perdita recuperandi per contritionem, intelligitur ex parabola de prodigo, Luc. 15. Cui pater pœnitenti, & ad se reuertenti obuiauit, dato amplexu; ac stolam primam, calceamenta in pedibus, annulum in manu dedit; sic enim Deus peccatori verè pœnitenti restituit gratiam cum donis supernaturalibus eam concitantibus, & meritis bonorum operum antea factorum in gratia: de qua re Suarez x, in qua immorari non est præsentis instituti. Facilitas demum vitam æternam post admissum mortale peccatum consequendi beneficio contritionis, illustratur exemplo illius, cui pinguissimum beneficium Papa pollicitus est, si in obsequio ipsius bene se gereret; sed aliquid commisit propter quod Papa ipse eam suam voluntatem mutauit: ita tamen vt delinquenti proponat optionem, vt si de tali offensa doleat ex animo, emendationisque firmissimum propositum concipiat, fruiturus sit promisso. Cuiusmodi optionem Deum similiter dare peccatori in ordine ad regnum cœlorum, si vt par est pœniteat, ac resipiscat; satis indicant verba Domini nostri, Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*, & illa Eccles. 12. *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus*, restituendo scilicet eos suæ gratiæ, vt tandem faciat participes suæ gloriæ, iuxta illud, Psalm. 83.

Per contritionem recuperat homo merita perdita.

x in tomo opusculorũ opusc. quinto.

Gra

Gratiam & gloriam dabit Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

De vtilitatibus contritionis. §. 3.

QVod attinet ad vtilitates contritionis, ea sunt tres iam memoratæ, ex quibus tamquam præcipuis, spectauimus ipsius dignitatem, itemque aliæ multæ eisdem coniunctæ. Contenti erimus autem tres referre. 1. est repurgationis animæ à peccatorum sordibus, & corruptione: vnde potest contritio censeri fons ille patens domui Dauid, in ablutionem peccatorum: de quo Zachariæ 13. & comparari potioni illi amaræ quæ datur infantibus ad repurgandum vermibus stomachum ipsorum, aut etiam mari cadauera proiicienti ad littus, cui vtilitati alia duplex maxima coniuncta est: tum vt anima fiat habitatio Spiritus sancti, quæ erat dæmonis ex cap. resuscitatus. de pœnitent. distinct. 1. tum vt peccator cum remissione peccatorum consequatur restitutionem præcedentium meritorum: opus enim diaboli non est fortius, & efficacius opere Christi. Si ergo peccatum destruit gratiam & charitatem cum omnibus præcedentibus meritis, deletio quoque peccati, quæ opus Christi est, peccatum ipsum sic destruet, vt simul reparet quidquid per illud fuerit perditum. Hinc in lib. de vera & falsa pœnit. cap. 14. tom. 5. operum D. Augustini, dicitur: Pium est credere, vt recepta Dei gratia, quæ in Pœnitente destruit mala priora, etiam remuneret bona: vt cùm destruxerit quod sanum non inuenit, amet & diligat bonum, quod etiam in peccante prius plantauit. Figura eius rei habetur in eo quod

10.

Tres vtilitates contritionis.

Per contritionē restituũtur merita præcedentia.

Ioel 2. ait Deus, *reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & ærugo.*

Vtilitas secunda est quòd contritio extinguat inferni incendium, iuxta illud ante citatum ex Ezech. cap. 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

Tertia est, quòd aditum aperiat ad gaudia regni cœlestis, iuxta illud, Matht. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* & illud, Ioan. 16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* & illud, Psal. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent: euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos:* Quod est facientes fructus dignos pœnitentiæ repositam habere æternorum gaudiorum mercedem, iuxta illud, Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, &c. vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis præ spiritu mœroris.*

11. Neque est quòd quis rem tam salutarem fastidiat ob molestiam tristitiæ, quam habet coniunctam: quia si talis molestia quotidie suscipitur pro damnis temporalibus, quibus nullum adfert remedium: quis eam suscipere recusset ad tot, ac tantas vtilitates consequēdas, quot, & quantas adfert contritio: præsertim cùm sufficiat talem tristitiam esse in voluntate, nec necesse sit redundare in sensum: vt iam in præcedētibus docuimus. Accedit quod non desit consolatio Spiritus sancti, mouentis, & adiuuantis nos in tam salutari opere, ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ita vt dicere liceat ex Psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ ædificauerunt animam meam.*

De

De dissuadenda Pœnitenti contritionis dilatione.

SECTIO TERTIA.

PErtinet tertiò ad propositam Confessarij prudentiam, vt cùm inuenerit Pœnitentem bene quidem affectum ad contritionem, sed illius executionẽ velle diutius differre, studeat ipsum mouere ad statim exequẽdam: tum ex eo quòd indignum sit stare Christum ante ostium nostrum; seu expectare nos vt misereatur nostri *a*, nosque miseros negligere tantam misericordiam: tum ex eo quòd temerarium sit vibratũ in te gladium arcúmque tensum *b* non statim declinare, sicut & ignem te corripientem non statim excutere, *ne tardes*, inquit Sapiens Eccl.5. *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius*, & Dominus Matth.24. *Estote parati, quia nescitis, quâ hora filius hominis venturus sit.* & Luc.12. *Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.* Neque dicas vt monet Sapiens in cit.cap.5.Eccl. *Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Neque etiam nequam sis, quia ille bonus est misericorditer te expectans ad pœnitentiam, ac etiam vrgens per missiones morborum, aliarúmque incommoditatum huius vitæ, & terrores futuri iudicij: dando nobis significationem, vt

12.

a Isai.30.

b Psal.7.

Contritio non est differẽda, quãdo haberi potest.

e Psal.59. fugiamus (quod per contritionem fit) à facie arcus tanquam misso Angelo, qui districto gladio nos à via nostra peruersa reuocet, ad instar Balaam, de quo Numerorum cap.22.& 2.Petr.2.

13. Perniciosum est diutius in sordibus peccatorum hærere.

Tum etiam ex eo quòd pernicioſum ſit in ſordibus peccati diutius hærere, quia talis longior mora difficilem reddit reuerſionem ad Deum per pœnitentiam. cum enim longè ſit à peccatoribus ſalus (Pſalm.118.) Peccatum eſt quaſi ventus contrarius, longè expellens à portu ſalutis; & quò grauius eſt, aut iteratur ſæpius, eò longius expellit, & regreſſum facit difficiliorem, ad quod pertinet illud Ierem.13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè.* tum præterea, quòd peccatum diſponat ad facilius labendum in nouum peccatum, quaſi abyſſo inuocante abyſſum, & ſanguine ſanguinem tãgente, ad quod facit illud Pſal.68. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*: facit etiam illud, quod D. Paul.in cap.1.ad Rom.de gentilibus habet, ac illud Apoc.22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Quibus accedit, quòd excluſo Spiritu ſancto, dæmone dominante in anima, talis mora viam muniat ad duritiem cordis, iuxta illud Prouerb.18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnet.*

14. Tum denique ex eo quòd ſi miſerabile in regno ſit, regem potentiſſimum habere infenſum, & grauiſſima ſupplicia inferre parantem, nihil de illo placando curare oblata commoditate: longè miſerabilius ſit regem regum ſic habere iratum, vt ſtatuat offenſas punire æternis ſuppliciis, ſupra quàm cogitari poteſt grauiſſimis, & nihilominus negligere oblatam præſentem occaſionem (expectatâ futura omnia

omninò incertâ)reconciliandi eum ſibi per contritionem:de qua Pſal.50. *Cor cõtritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Certè per mortem tollitur nobis omnis talis occaſio:quandoquidem ſolùm tempus huius vitæ eſt tempus obtinendi à Deo miſericordiam,& liberationẽ à reatu æternæ damnationis, cui obnoxij ſunt,qui ſe addixerunt diaboli ſeruituti:de qua Ioan.8. *Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati*, & 2. Petri 2. *A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt.* Tollitur inquam omnis talis occaſio,quia in morte ex cap.11. Eccleſiaſt. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonẽ, in quocumque loco ceciderit,ibi erit.*

Tẽpus huius vitæ eſt ad obtinendum à Deo pœnitẽtiã.

Hortante igitur Apoſtolo ad Galat.6. *Dum tempus habemus,operemur bonum:* & maximè bonum contritionis,per quod cætera à Deo in animam deriuantur;nec ſinamus nobis illudi à diabolo,qui ſoletab illius ſaluberrimo vſu eos, quos captiuos tenet,auertere,obtrudendo,conuiuiorum,ludorum, chorearum,aliorumque id genus oblectationes:cũ quibus contritioni tam vacari non poteſt,quàm nemo poteſt ſimul flare,& ſorbere, vt habet Prouerbium. Qua in re idem facit callidus hoſtis, ac faceret is,qui detractam puero pretioſiſſimam gemmam,pomum ne fleat offerret; non dando in manu,ſed oſtendendo à longè.ſuggerit enim præteritarum voluptatum temporalium recordationem, per quam faſtidium inducit æternarum; ſicut memoria carnium,& cæterarum rerum, quibus Iſraelitæ vſi fuerant in Ægypto,fecit eos faſtidire mãna ſuauiſſimum,quo alebantur,& abiicere deſiderium tẽrræ promiſſionis.Numer.11.cum quo faſtidio inducit horrorem pœnitentiæ, qualem iidem Iſraelitæ habue

tæ habuerunt deserti, per quod iussu Dei, eumdum illis fuit ad terram promissionis.

CAPVT VII.

De ratione exercendi contritionem.

SVMMARIVM.

1. *Spectantia ad exercitium contritionis de peccatis mortalibus.* 2. *Ratio rite, fructuo seq; talis exercitij perficiendi.* 3. *Ratio exercendæ contritionis de venialibus.* 4. *Peccatorum venialium indignitas perniciosa.* 5. *Qualiter oporteat de peccatis venialibus coram Christo confundi.* 6. *Ratio trinæ tunsionis pectoris, dicendo mea culpa, &c. in signum contritionis.*

PErtinet adhuc ad propositam Confessarij prudentiam, non tantùm vt suum Pœnitentem ad cõtritionem exercendam excitet, sed etiam cùm opus esse viderit, instruat de ratione illam exercendi: de qua ideo dicemus paucis. Contritio igitur vel habenda est de peccatis mortalibus, vel de venialibus seu quotidianis.

Ratio exercendi contritionem de mortalibus. §. 1.

1. SI de mortalibus: primò relinquere oportet affectum peccati. secũdo sumpto tempore, locóque idoneo, petere à Christo gratiam recordãdi, ac cognoscen

gnoscendi peccata à nobis commissa, de illisque dolendi. tertiò reuocare in memoriam multitudinẽ eorumdem peccatorũ. quartò indignitatem & pernicie m illorum (de quibus in præced. cap.) quintò ponderare, simul que de illis dolere propter Deum; & veniam petere cum spe eam obtinendi, & cum proposito non relabendi, siue in eadem, siue in alia mortalia: ac de eis suo tempore confitendi, & pro eis satisfaciendi.

Quæ ad cõtritionem exercẽdam iuuare possunt.

Ad ista autem ritè fructuoseque peragenda, iuuerit prouidere Christum ante conspectum nostrum: vt contritionem (quæ donum Dei est, vt habet concil. Triden. sess. 14. cap. 4.) ab eo petere cum magna humilitate, animique demissione; deinde fiduciâ de misericordia ipsius concepta, mentis oculos ad ipsum erigere, tamquam diligentem omnia quæ sunt, nihilque eorum, quæ fecit odio habentem: atque perspicere qualiter peccatum (quod & de se nihil est, nec ab ipso factum est) ipse oderit: cùm creaturas suas præstantissimas tam Angelos, quàm homines propter illud, grauissimis addicat inferni supplicijs æternis. Præterea considerare, quòd vt nos à talibus suppliciis eriperet, satisfaciendo diuinæ iustitiæ, misericordissimè dolores immensos, ac mortem acerbissimam perferre voluerit. Denique ex tanta erga nos misericordia, qua nobis sanguinis sui pretiosissimi effusione promeruit gratiam, & peccatorum remissionem, erecti in spem liberationis ab æterna illa miseria liberatorem ipsum nostrum magno amoris affectu complecti; tamquam redemptorem, satisfactorem, & aduocatum nostrum: atque ipsam gratiam, & peccatorum remissionem petere instanter, quam

2.

Contritio Dei donum est.

quam non negabit bonus pastor, qui perditam ouem quæsiuit, humerísque suis impositam in ouile reportauit, Luc. 15. Cui petitioni comitem adiungere oportet considerationem, qua coram Christo ipso confundamur, erubescentes de misero nostro statu: perpendendo, quid perdiderimus per peccatum mortale: nempe Deum bonorum omnium fontem, æternam fœlicitatem, atque adeo nosipsos. Quid acquisierimus, nempe æternas inferni pœnas cum animæ morte peioris conditionis in eo quàm bestiæ; vtpote duplicis mortis rei, cùm vni tantùm obnoxiæ sint bestiæ: expendendo præterea summã tum peccati indignitatem, de qua antea *b*, tum etiam ingratitudinem nostram, qua peccando iniquissimè insurreximus aduersus Deum opt. max. sanctissimum, in nos beneficentissimum, adeóque nostri amantem, vt pro nobis mori dignatus sit; & sic ei cui tamquam munificentissimo benefactori, gratiam referre, & tanquam principi summo obsequium & honorẽ deferre omni iure debuimus, peruersè ipso spectante obstiterimus, immò in crucem rursum egerimus, ac sanguinem ipsius conculcauerimus: vtpote id agentes quod esset sufficiens causa mortis ipsius, & fructuum eiusdem, impedimentum sufficiens.

Quæ per peccatum perdidimus

b cap. 5. sect. 3.

Ratio exercendi contritionem de venialibus. §. 2.

3. CVm autem contritio habenda est tantùm de venialibus, oportet primò diligenter cauere ne nobis blandiamur, nec exuamus omnem affectum, aut dispositionem ad illa dissimulando, nec repellen

repellendo occasiones perseuerandi ac consenescendi in illis. Pro qua re, ad Christum recurrendum est, vt cõferre dignetur vires ad eam peragendam necessarias, & lumen ad detegendum, si quæ fraus fortè lateat. Secundò eumdem Christum intueri tamquam exemplar, & ideam puritatis, ac sanctitatis infinitæ; cui nihil tam contrarium sit & abominabile, quàm peccatum, etiam tantùm veniale: quod cum maculet animã, ad eius quoq; deletionem sanguinem suum fudit, *qui voluit exhibere sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam.* c Tertiò intueri nosipsos, expẽdendo primò peccatorum nostrorum varietatem, & multitudinem; addc & alienorum quibus cooperati fuerimus. Secundò quanta fuerit negligentia, socordiáque nostra in illis cauendis; quámque facilè, ac temerè, imò per contemptum quodammodò, & ludum commissa sunt: non obstante quòd sufficiens diuinorum notitia nobis adfuerit cum diuinæ gratiæ impulsu, interníve Spiritus sancti stimulis: ac cum externis adiumentis siue exemplorum bonorum, siue sanctarum institutionum. Tertiò quanta sit peccatorum etiam venialium indignitas, quibus creator, & Dominus omnium, ac munificentissimus bonorum innumerabilium largitor offenditur per summam impudentiam, & ingratitudinem à vilissimo mancipio misero, miserabili, paupere, cæco, & nudo, cui vt tepido minatur Christus, Apoc. 3. *Incipiam te euomere ex ore meo.* Adde & quibus in conspectu Christi inuerecundè polluitur, maculatúrve anima pro qua mundanda tantopere laborauit; tam multa docuit, instituitque, tum verbo tum exemplo: atque mundatum lauacro aquæ, in verbo vitæ, d voluit

c ad Eph. c. 5. vers. 27.

Indignitas peccatorũ etiã venialium.

d in cit. cap. 5. ver. 26.

luit mundum permanere in perpetuum: *hæc est enim voluntas Dei sanctificatio nostra*, *e* & quamuis peccatum veniale gratiam non adimat animæ, tamen tamquam displicens Deo, ipsam maculat ad eum modum, quo displicet filius patri, coram eo maculam imprimens vesti nouæ pretiosæ, quam ille vult seruari mundam. Cuiusmodi displicentia tanti momenti est, vt nulla omnino de causa peccatum quodcumque veniale censeatur licitum, ne quidem ad liberandum ab interitu totum mundum: quia nimirum est contra Deum infinitum, rebus omnibus præferendum. Quibus denique tamquam sordibus contaminatur templum sanctum Dei, quod sumus nos *f*, vnde quasi contristato Spiritu sancto qui habitat in nobis, *g* charitas quæ per eum diffunditur in cordibus nostris, *h* refrigescit: eámque comitátes virtutes diuinitus infusæ, sic opprimuntur, vt quodammodo præfocatæ, impediantur erumpere in præclaras actiones, neque emittant nisi remissas, & languidas, tamquam exangues quosdam fœtus. Præterea animus ad illuminationes, & afflatus eiusdem Spiritus, ac monita Angeli custodis excipienda, sentiendáque, redditur durus, & segnis: atque redigitur in angustias quasdam tenebrarum, & molestiarum, ac sollicitudinum affiduè spinarum instar pungentium, efficitúrque obnoxius, tum in vita futura pœnis grauissimis purgatorij: tum in præsenti omnis generis tentationibus in pœnam suæ socordiæ: ob eam enim diabolus permittitur audaciùs aggredi, siue solicitando ad peccata mortalia (ad quæ venialia, procliue parant lapsum, iuxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*) siue inijciendo scrupulos a-

xieta

Peccatũ veniale pro toto mundo lucrãdo nõ est committendum.

e 1. ad Thessal. c. 4. ver. 3.

f 1. ad Cor. cap. 3.

g vt ibid. dicitur.

h ad Rom. 5.

xietatéſve animi, quibus pax ipſius turbatur, quam vitæ puritas gignit; ſiue reddendo grauem & moleſtam, immò & contemptibilem, vitam ſpiritalem. cum enim eam amor Dei ſuauem, amabilem, & honorabilem reddat, peccatum veniale (debilitatus ſpiritualibus viribus) eumdem amorem diminuens diſponit maximè animum ipſum ad eiuſdem vitæ faſtidium, & contemptum.

Poſtremò oportet quaſi rurſum conuerſis ad Chriſtum oculis, coram illo confundi de tam exiguo noſtro profectu, ac tãta noſtra paupertate: cùm in ſuis donis adeo liberalis fuerit erga nos, condemnantes ignauiam noſtram, per quam tam ſteriles ſumus, & frigidi: vt nos non fœcundet, nec calefaciat ſanguis Chriſti, cum tanto feruore ſuper nos effuſus, & poſt tot accepta beneficia, tanquam infideles ſumus ſine ſancta affectione, tum erga Deũ, quem fraudamus debito obſequio & gloria, quæ ex vitæ noſtræ puritate illi acceſsiſſet: tum erga ſanctos in cœlo regnãtes, quos priuamus gaudio, quod ex ſancta noſtra conuerſatione capiant; tum erga animas in purgatorio detentas, quibus non detulimus expetitam, & expectatam à nobis opem: tum demum erga proximos adhuc viuentes, quos malis exemplis reuocauimus à via ſalutis cùm debuerimus (memores mortis acerbiſsimæ à Chriſto pro illis obitæ) ſedulam ponere operam in ipſis per preces, cohortationes, & exempla iuuandis ad progreſſum in eadem via faciendum: ad quodquidem præſtandum peccata venialia impedimentum adferre, patet ex eo quòd faciant preces languidas, cohortationes frigidas, & vitam diſſolutam ac incompoſitam. Porro cum tali confuſione Chriſtum ipſum

5. Ignauia noſtra grauis in fugiendis peccatis venialibus.

intueri oportet, tamquam fontem omnis bonitatis, & miſericordiæ abyſſum, ab eóque per ipſius ac beatæ Virginis, aliorúmque ſanctorum merita petere aquam illam viuam *i*, non tantùm peccatorum ſordes inundãtem: ſed etiam ſitim reſtinguentem malarum cupiditatum, quibus neceſſe eſt reſiſtere ad vitæ emendationem. Cuius emendationis firmum propoſitum vſque adeo requiritur ad contritionem, vt hæc ſine illo ad Pœnitentiæ Sacramentum nequeat ſufficere, ne quidem imperfecta illa, quæ attritio dicitur, prout cõſtat ex Concil. Triden. ſeſſ. 14. cap. 4.

i de qua Ioan. 4.

De trina tunſione pectoris dicendo mea culpa, &c. in ſignum contritionis.

SECTIO TERTIA.

LOcus hic exigere videtur, vt rationem reddamus communis vſus fidelium, quo in ſignum interioris contritionis de ſuis peccatis vtuntur illa repetitione verborum, *Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, percutiendo imitatione Publicani (ex Luc. 18.) pectus, in quo ſedes eſt cordis: ex quo peccata prouenire habetur Matt. 15. ver. 19. & Marc. 7. ver. 21. Trina igitur repetitio verborum cum trina pectoris percuſſione, oſtendit deteſtationem omnium peccatorum naſcentium vel ex concupiſcentia carnis, vel ex concupiſcentia oculorum, vel ex ſuperbia vitæ *k* (quod eſt prouenire ex inordinato amore vel voluptatum, vel diuitiarum, vel honorũ) & perpetratorum, vel cogitatione, vel verbo, vel opere; idque vel contra Deum, vel contra ſeipſum, vel

6. Quid denotat trina pectoris percuſſio.

k 1. Ioan. 2.

vel contra proximum: quam detestationem comitetur dolor de amissa Dei gratia in præsenti vita, & gloria cœlesti in futura, deque obligatione ad inferni supplicium: quo dolore tam iusto perculsi, confitẽtes aduersum nos iniustitiam nostram Domino, vt remittat iniquitatem peccati nostri: dicimus, *Mea culpa*, quia Dei & Spiritussancti dona perdidi: *mea culpa*, quia omni merito me spoliaui, & me potestati diaboli subdidi: *mea maxima culpa*, quia reatum æternæ damnationis contraxi, & inextinguibili igni, ardoribúsque sempiternis me addixi: auditurus tremendam illam Christi sententiã, *Ite maledicti in ignem æternum*: priuandus dulcissima sacrosanctæ Trinitatis visione, & suauissima societate beatissimæ Virginis, & sanctorum omnium. Non despero tamen, sed quamuis pauper & debilis ac supra modum grauatus & infirmus: in lacu miseriæ, & luto fæcis mersus, iratumque habens peccatis meis Deum ac sanctos: *recogitabo cum Ezech.* l *annos meos in amaritudine animæ meæ*, dicens *mea culpa Deus*; item cum Dauide m, *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo*, dicens *mea culpa Deus. Dimittam* cum S. Iob *aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, mea maxima culpa.* Peccaui enim cum Rege Manasse super numerum arenæ maris, & *non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ, quoniã irritaui iram tuã, & malum coram te feci*, & cætera quæ habentur in eiusdem oratione addita ad libros Paralipomenon.

l Isaiæ 38.

m Psal. 6.

CAPVT

CAPVT VIII.

De prudentia Confessarij in expendendo Pœnitentis proposito non peccandi de cætero, iuuandiq; ipsum aduersus recidiuum.

SVMMARIVM.

1. *Expendendum esse à Confessario propositum Pœnitentis.* 2. *Propositum Pœnitentis, vt capax sit absolutionis, non tantùm debet esse vitandi peccatum mortale, sed etiam occasionem ex qua illud secuturum probabiliter creditur.* 3. *Recidisse in peccatum, non est signum impœnitentiæ sufficiens ad denegandam absolutionem.* 4. *Quod habet locum etiam in eo, qui pluries recidit, dummodo aliqua sit emendatio, aut emendationis inchoatio.* 5. *Praxis à Nauarro tradita, quoad versantem cum persona, quæ illi est occasio peccandi.* 6. *Remedia aduersus recidiuum.*

1. Contritio quid requirat.

AD hanc Confessarij prudentiam pertinet, vt quia contritio, cum detestatione, & odio peccati requirit propositum firmum emendandi vitam, & abstinẽdi pro virili ab omnibus peccatis, saltem mortalibus: próque commissis satisfaciendi, tum Deo, tum proximo per ea læso: petat, si non appareret satis; An habeat tale propositum: síque deprehenderit non habere satis firmum, neque ipsum satis paratum esse ad peccatũ aliquod mortale relinquendum, vel illius occasiones proximas vel

vel ad resarciendum notabile damnum proximo à se iniustè illatum ; conetur quacumque poterit accommodata ratione (maximè vrgendo peccati indignitatem,& perniciem) *a* animam ipsius Christo lucrifacere : sique nihil possit efficere , non absoluat : sed dimittat ad imitationem dicentium Ierem.51.*Curauimus Babylonem,& non est sanata,derelinquamus eam :* Attamen prius monitum de malo statu,in quo permanet, & adiuncta exhortatione, qua excitetur ad vacandum bonis operibus , & ad cauenda peccata,vt sic præparetur ad receptionem diuinæ gratiæ, cuius auxilio emergat ex illo perditionis statu,antequam omnem emergendi facultatem mors adimat.Proponentem verò seriò, peccata relinquere , consolari oportet, proposita spe remissionis illorum per susceptionem Sacramenti, in quo Dei misericordia,per meritum Passionis Christi,supplebit id quod ex parte ipsius defuerit:dummodo studeat facere quod in se est : & præsertim sincerè,integréque confiteri de omnibus de quibus sentit conscientiam suam grauatam, déque illis dolendo ex animo propter Deum,concipere firmum propositum deserendi statum peccati.

a vt supra cap.5.

Aduerte autem censendum carere proposito vitandi peccata , non modò eum,qui in aliquo mortali sibi complacet,sed eum etiam qui occasionem aliquam peccati mortalis deserere non vult,etiamsi infirmitatis propriæ sibi conscius , dubitet,aut credat , vel debeat probabiliter credere se vtendo eâ, in peccatum mortale prolapsurum , nempe quia experientiâ didicit , se non subsistere eiusmodi occasione oblata, sed statim , aut quasi statim cadere. Id quod Caiet. in summ. verbo Periculum anno-

2. Qui cēsendus est non habere propositum vitādi peccata.

tans,addit nullam necessitatem vtendi tali occasione, vincere obligationem abstinendi ab ea,cùm ex Eccl.cap.3. *Qui amat periculum,pereat in illo:* & dicat Dominus Matth.5.*Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, &c.* Vnde quod Nauarrus habet in Enchir. *b* posse absolui adolescentes qui versantur inter mulieres emendo, vendendo,& conuersando absque cohabitatione illarum in eadem domo: etiamsi à tali conuersatione noluit abstinere,quæ illis sæpe fuit occasio peccandi mortaliter, verbis, aut tactibus impudicis aut etiam copula,hoc, inquam, & quodcumque simile in quæ ibidem memoratus auctor facit libertatem absoluendi, sic temperandum videtur, vt locum non habeat, quando Pœnitens expertus est,se tali occasione data, statim, aut quasi statim cadere: nisi accedant nouæ rationes & circumstantiæ, ob quas rationabiliter sperare posset se non peccaturum etiam occasione eiusmodi data. Confirmatur per illud quod Nauarrus ipse habet *c*, occasionem propinquam à qua pœnitens necessariò debet abstinere vt absolui possit, esse non tantùm eam, quæ peccatum est mortale, sed etiam eam, ex qua bene perpensis occurrentibus circumstantiis, credit, aut credere debet Confessarius, Pœnitentem suum numquam illa vsurum esse sine peccato: inter quas circumstantias, si quæ valeat ad id persuadendum, maximè valet hæc quod pœnitens expertus sit se tali data occasione, statim, aut quasi statim cadere. In illo enim (isto posito) nequeunt concurrere quatuor illa,quæ idem quoque Nauarrus *d* requirit vt absolui possit is qui non vult relinquere occasionem peccati mortalis: quarum

b cap.3. nu. 5.lit.F. Nauarri dictum interpretandum.

c ibid.lit.D.

d ibid. etiã lit.E.

rum prima est vera pœnitudo peccatorum: secũda, verum propositum numquam redeundi ad illa: tertia, propositũ semper, cum Dei auxilio, cauendi ne peccetur tali occasione occurrente: quarta, notabilis causa, verbi gratia, pro subleuanda inopia, vel pro vitando scandalo aliáve eiusmodi) non abstinendi à tali occasione, nequeunt, inquam, quia saltem quoad secundam, manifestum est eum, qui non vult relinquere occasionem, qua data sæpe expertus est se statim, aut quasi statim peccare, non habere verum propositum numquam redeundi ad peccatum. Et quoad tertiam probatur: quia non cauetur, sed admittitur peccatum subeundo tale periculum: de quo si de quoquam alio merito intelligitur illud antecitatum, *Qui amat periculũ, peribit in illo.*

Pars altera capitis de prudentia iuuandi relapsum in peccatum.

NOtandum est ex Nauarro: *e* si quis in idẽ peccatum reciderit, non esse illi eo solo nomine absolutionem negandam tamquam impœnitenti, quia recidisse in idem peccatum, non est argumentum necessarium defectus veræ pœnitentiæ, sed signum infirmitatis; vnde communiter absoluuntur semel in anno confitentes, si nullum aliud adferant impedimentum, quantumuis in peccata, de quibus confessi erant, recidisse deprehenduntur. Procedit autem istud ex eodem Nauarro, etiamsi confitens nolit abstinere ab eo, quod fuit ei occasio recidendi, vt conuersatio cum aliqua persona, aut aliud simile; dummodo non sit aliquid de se mor-

e ibidẽ quoque lit. I.

Recidisse in idẽ peccatũ, non est signum impœnitentæ.

tale aut nõ ſit occaſio propinqua peccati mortalis, ſeu qua data ſtatim, aut quaſi ſtatim cadatur in mortale, interueniántque quatuor circumſtantiæ antè memoratæ ex Nauarro ipſo.

Procedit etiam in eo, qui bis, ter aut ſæpius recidit, argumento eius quod non tantùm ſemel, aut ſepties, ſed ſeptuagies ſepties in nos peccandi parcendum ſit, cap. Septies, De pœniten. diſtinct. 3. ex Matth. cap. 18. & Luc. 17. Attamen ex eodem Nauarro *f*, videretur non abſoluendus pœnitens recidiuus, tamquam nõ dans ſignum ſufficiens propoſiti firmi non peccandi de cætero, ſi nulla emendatio, neque emendationis inchoatio præteritis vicibus in eo extitiſſe obſeruaretur, aut ſi infirmitas, imbecillitáſque ipſius, aut ingens propenſio ad peccatum, aut externæ occaſiones recidendi, perſuadent nullam ſecuturam emendationem.

f ibidem.

5. Remedium Nauarri cõtra recidiuũ

Vbi nota praxim quam idem addit pro caſu difficili & ſatis frequenti; vt cum Pœnitens occaſionem habet recidendi ex cohabitatione ſeu conuerſatione cum aliqua perſona; iubendum illi eſſe antequam abſoluatur, vt forti Chriſtianóque animo dicat eidem perſonæ, cum qua malè verſatur, & peccat, ſibi denegari abſolutionem, niſi ſeparentur, proinde vehementer obſecrare per Deum, vt ineant rationem, quâ honeſtè ſeparentur. Quo peracto, inquit ille, abſoluerem concurrentibus quatuor antedictis circumſtantiis: & poſtea, quamuis non ſequeretur ſeparatio, ſi tamen ſequeretur notabilis emendatio, abſoluerem ſpe maioris correctionis futuræ, commendata re Ieſu Chriſto Domino noſtro, & vtendo prudentia, ac circumſpectione varia, quæ debet ob varietatem circumſtantiarum

adhibe ri

adhiberi: propositoante oculos primùm remedio spirituali animarum; deinde etiam honoris, & bonorum temporalium quantùm fieri possit. Hæc ille. Quibus exemplo tanti viri Confessarios in magnis & quotidianis difficultatib. vti, non est inconueniens; dummodò procedatur cum illa cuius meminit circumspectione; atque concepto timore quem tale negotium exigit: in quo medicus ægrum suum occidendo, seipsum simul occidit: secus quàm accidat in curatione corporali.

Remedia aduersus recidiuum.

POrro aduersus recidiuum adhibenda remedia hæc ex Gersone commemorat Polancus *g*, & cum eo Iacobus à Graphiis *h*. Primum est sequenti die, cùm recidere contigerit, ieiunare in pane & aqua. 2. recitare certum Psalmorum numerum. 3. aliquid charum, vel certè aliquam pecuniam dare in eleemosynam. 4. confiteri intra triduum post peccatum commissum. 5. cùm succumbendo tentationi contigerit consensus in peccatum, flexis genibus ad misericordiam Dei consequendam, aliquas orationes dicere, aut certè, vt Iacobus à Graphiis attigit, cùm id cæterorum præsentia impedit, saltem manu ad pectus admotâ (quod fieri potest aliis non aduertentibus) dolere. 6. recidiuus iuxta conditionem ipsius, & peccatorum grauitatem, vltra pœnitentiam, quam par fuerit ei imponi, iniungere aliquid recitandum, vt Pater & Aue, aut aliquid huiusmodi, in memoriam gratiæ resurgendi, à Deo per Sacramentum obtentæ. 7. addi potest ex Nauarro in Enchir. *i* vt contra tentationem pec-

g in direct. cap. 3. art. 2.
h lib. 1. decis. aurear. cap. 29.
i cap. 26. num. 15.

cati, in quod relabi contigit, imploret diuinum auxilium per preces alicuius sancti, qui virtute contraria plurimùm enituit: & vt firmiter proponat, ac etiam interdum voueat saltem ad tempus se illam vel illam Pœnitentiam facturum, si adhuc relabatur: tamquam sibi legem imponens, qua seipsum coerceat, ac sibimet terrori sit: quasi Dei auctoritate gladio accinctus ad pugnam, pro tuendo ipsius diuino honore aduersus proprios affectus: à quibus importunè oppugnatur, illos scilicet per Pœnitentiam mortificando. In qua pugna difficultas ea occurrit, quòd is impugnandus sit, qui diligitur, iuxta illud, ad Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed fouet, & nutrit eam.* Verùm amore coronæ gloriæ, & timore gehennæ, talis difficultas facilè superatur: dum simul in mentem venit, quòd *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. quódque *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* 2. ad Timoth. 2. Veniunt item Sanctorum exempla qui cum tanta austeritate vixerunt; ac etiam exempla illorum, qui mundanam militiam sequuntur, in qua tam multa incommoda, & plerumque inani spe fulti, perferunt. Non voueat autem, se numquam tale peccatum admissurum, aut se ingressurum religionem si admittat argumento cap. clericos, de cohabitatione clericorum, & mulierum: in quo prohibetur, ne clerici concubinarij per iuramentum compellãtur concubinas dimittere.

Non vouẽdũ esse tale peccatum non commissuros.

Ad necessarium autem auxilium diuinum obtinendum, iuuerit petendo illud humilitatem exercere (si tempus, & locus patiantur) flexis in terram genibus coram imagine crucifixi, detestandóque nostram

noſtram erga ipſum nequitiam,& ingratitudinem; atque ſi placet oſculando terram ipſam,à qua ſuſtineri nos reddidimus indignos. Etenim cor ſic contritum, & humiliatum non deſpiciet Deus. Addi poteſt ad extremum conſideratio, quòd cùm turpitudo,& pernicies peccati omnem aliam ſuperet, vt ſatis patet ex antedictis : *k* quiddam tamen adhuc vilius & peius ineſſe cenſeatur in relapſu,quàm in peccatis primò commiſſis, iuxta illud, Ierem.2. *Quàm vilis facta es,nimis iterans vias tuas :* & illud, Prouerb.26. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum:ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam :* & illud Domini,Matth.12.& Luc.11.*Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

k in præced. cap.5. ſect.3. & ſequentib.

CAPVT IX.

De prudentia ac ratione iudicandi,de ijs de quibus Pœnitens confitetur, ſintne peccata mortalia,an non.

IN fungendo munere ſpiritalis medici, Confeſſario neceſſaria eſt prudentia,cùm ad diiudicandum,quę ex iis de quibus Pœnitens confitetur,ſint peccata mortalia, vt poſſit conſulere ſalutem tam eiuſdem Pœnitentis,iuuando ſeipſum interrogationibus ad talia integrè cõfitenda, eíque præſcribendo aduerſus eadem, accommodata remedia: quàm ſuæ propriæ, cauendo ne in perniciem ſuam abſoluat perperam eum,qui velit adhuc

ſor

sordescere in aliquo peccato mortali. Tum etiam ad tranquillandum eiusdem Pœnitentis animum, quem inuenerit scrupulis agitatum. Nam his quoque, vt & peccatis, tamquam spiritalibus morbis mederi debet, adhibitis remediis accommodatis: quæ persecuturi sumus in 10. & 11. capite, in hoc tradituri regulas ex quibus (sicut ex regulis grammaticæ solœcismi) deprehendi potest quæ peccata committantur in vita humana, déque illis iudicari an mortifera sint, nécne. Quibus nonnulla præmittemus, aliáque nonnulla subiiciemus, quorum ratio habenda est in ferendo tali iudicio. Remedia verò aduersus eadem attingemus partim in 13. partim in 19. capite sequenti.

Pars prima capitis, in qua traduntur nonnulla de peccato mortali, & veniali.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dari possit regula distinguendi inter peccatum mortale, & veniale.* 2. *Peccatum suo genere mortale fit per accidens veniale, tum per rei paruitatem, tum per deliberationis imperfectionem.* 3. *Qualis sit hæc imperfectio, & qualiter deprehendatur interuenisse in peccato.* 4. *Peccatum quod est veniale ex suo genere, potest ex accidenti fieri mortale quinque modis.* 5. *Similitudo qua illustratur id, quod dicitur, peccatum esse tum mortale, tum veniale ex suo genere, aut ex accidenti.*

Rectè

RECTE admonet Gerson *l* in lib. de vita spirituali animæ, exigere vnam aliquam rationem generalem, qua vniuersaliter possimus in vnaquaque morali actione peccatum mortale discernere à veniali, perinde absurdum esse atque eiusmodi aliquam à medico quærere, qua possimus inter omnes cibos salubres, & insalubres discernere. Etenim sicut in salubribus & in insalubribus ob circumstantiarum mutationem, nihil inest firmitatis, adeo vt generaliter de illis statuta sæpe fallant, dum cibi genus vni homini salutare, inuenitur alteri noxium: & quod in vno tempore iuuat, in altero nocere deprehenditur; ita etiam in mortalibus, in quibus contingit similis circumstantiarum mutatio, fallere possunt quæ generaliter decernuntur de mortiferis & venialibus. Quamquam tamen non desunt obseruationes generales, quas pro regulis vsurpare possimus, propterea quòd applicatio ad actiones singulas, probabiliter, sufficientérve ad moralem certitudinem ostendunt, vtrum malitiam mortalem habeant, nécne: Id quod nobis sufficit, cùm absolutè Deo soli notum sit, quod in vita humana ei sic displiceat, vt velit illud æterna morte puniri, aut non velit. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit?* ad Rom. cap. 11.

l lect. 5. lit. e.

Certa dari regula non potest, ad discernendum mortale à veniali.

Peccatum, quod mortale est suo genere, veniale fieri ex accidenti.

SECTIO PRIOR.

QVibus obseruationibus præmittendũ est peccatum dupliciter tum mortale, tum veniale esse: 2.

esse:vno modo ex suo genere, altero modo ex accidenti: mortale enim est ex suo genere cùm exinteriori ordine, quem habet ad aliquod obiectum, tamquam motus ad terminum suum proprium, priuat hominem charitate, nisi imperfectio operis excuset:vt contingit excusare(hocque in omni materia seu actione morali,vt insinuatum est à Nauarro in Enchiridio) *m* tum per rei paruitatem,id est, illatæ iniuriæ leuitatem, vt per quamdam materiæ imperfectionem;tum per defectum deliberationis, tamquam per imperfectionem quàmdam formæ: hæc enim reddere peccatum imperfectum (sicut imperfectio materiæ, vel formæ reddit rem naturalem imperfectam)seu quod idem est, peccatum ex suo genere mortale facere veniale per accidens, id est,per contingentiam talis imperfectionis,consensus est communis Catholicorum: & probatur de imperfectione materiæ: quia non est consentaneum peiorem,ac miseriorem in hac vita esse animæ subiectionem quàm corporis: cùm igitur lex numquam obliget hominem ad mortem corporalem,pro re seu læsione leui: nec obligabit ad peccatum mortale,quod est mors animæ. Itaque furtum, quod ex suo genere tollit charitatem proximo debitam,tantùm est veniale, si sit rei de facto leuis, seu qua parum proximus lædatur de facto, vt vnius oboli. Dico de facto ad excludendam rem de se quidem leuem, sed per quam ex circumstantia aliqua, proximus grauiter lædatur; vt furtum vnius acus, quo pauper sartor impeditur aliquis notabile lucrari suo artificio. Itémque ad excludendam rem eam quæ adiunctam habet notabilem Dei iniuriam: vt mendacium iocosum iuramenti

m prælud. 9. num.10.

Peccatũ ex se mortale, ex rei leuitate fit veniale.

confirmatum. Est enim periurium mortale, etiamsi factum in re leui: quoniam hac non obstante, est inuocatio Dei in testem falsitatis.

Quoad imperfectionem autem deliberationis; probatur item quia quæ fiunt ex repentino aliquo motu, & sine plena deliberatione, non sufficiunt ad rationabiliter conciliandam amicitiam, ergo nec censeri debent sufficere, ad eam conciliatam dissoluendam. Sic ergo infidelitas, quæ ex se priuat hominem charitate debita Deo: & luxuria mentalis quæ charitate debita sibiipsi, ex defectu plenæ deliberationis sunt tantummodò peccata venialia, ex communi doctrina tradita à nobis in praxi fori pœnitentialis. 1. par. lib. 1. *n* cap. 5. regula 3.

Cæterùm defectus istiusmodi contingit ex inaduertentia ad malitiam eius, quod obiicitur voluntati. Nam in actu voluntatis plena deliberatio deficit, quoties hæc in illud exit, intellectu non aduertente plenè ad illius malitiam repugnantiámve cum lege, vel honestate, etiamsi ab eo illud sub alia ratione cognoscatur, & consideretur: vt verbi gratia sub ratione iucundi, aut vtilis. namque sola aduertentia ad malitiam obiecti, facit vt actus moralis sit dictum vel factum vel concupitum, contra legem æternam, in quo natura, propriáve ratio peccati consistit, neque peccatum est, plenum & perfectum seu mortale, nisi aduertentia ipsa sit plena, & perfecta: quantumuis esset alioqui mortale ex obiecto, aut ex circumstantiis, & apud homines tale iudicaretur. Porro aduertentia, semper iudicatur non plena, tum in semidormientibus, tum in semiebriis, tum etiam in iis, quibus simili modo imaginatio discursui intellectus practici seruiens, impeditur

3.

exor

exorta aliqua vehementiore appetitus passione, aut intellectus ipse aliunde retrahitur ab attentione, & consideratione dictæ malitiæ. Quod quando contingat, quisque in seipso cognoscet, qui distractus post moram aliquam factam in re illicita, ad se reuertitur plenè aduertens ad illius malitiam, & cognoscit se omninò assensurum non fuisse, si tali modo priùs aduertisset: perinde ac dum omnino excitatus à somno, excutit turpem cogitationem in qua semidormiens immorabatur, satis cognoscit se minimè immoraturum fuisse, si priùs similiter cognouisset. Sed nota, cùm id in quo malitia reperitur, possit esse vel actus interior, vel omissio, vel actus exterior: circa hunc, cùm perpetratur in vigilia, non facilè contingere inaduertentiam, aut imperfectam aduertentiam ad malitiam ipsius, quando ea fuerit manifesta, sicut est malitia actus fornicandi, vel occidendi.

Peccatum quod suo genere veniale est, fieri mortale ex accidenti.

SECTIO POSTERIOR.

4. Peccatũ veniale quodnam sit.

PORro peccatum, veniale est ex suo genere, cùm ex interiori ordine ad obiectum suum, non priuat hominem charitate: vt mendacium iocosum, verbum otiosum: hæc enim, vtpote de se leues offensæ, nequaquam natæ sunt amicitiam cum Deo dissoluere. Ex accidenti verò, id est, ex aduenienti aliqua conditione, peccatum eius generis, mortale esse potest quinque modis: vt ex D. Thom. & alijs notat Sylu. in verbo peccatum. *o*

o quæst. 3.

Primò,

Primò, si quis illud committat cum ea præparatione animi, vt quantumuis mortale, seu contra legem ad mortale obligantem cogitaret, aut sciret esse, committeret illud nihilominus: quo sensu Nauarr. *p* rectè monet accipiendum esse illud D. August. relatum distinct. 25. cap. vnius. §. criminis, nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat criminale dum placet, non autem, vt quis fortè existimaret, quòd sensus sit, venialia fieri mortalia eo ipso quòd placent. Nam inde sequeretur omnia venialia esse mortalia, cùm omnia placeant, voluntariáve sint: quia nullum peccatum est, nisi voluntarium. Atque hinc intelligitur furtum paucu-lorum nummorum quod committitur cum ea prę-paratione animi, & affectu: vt si multi essent perinde caperentur, peccatum esse mortale, quantumcumque commissum in re parua. Quod idem iudicandum est de percussione cum læsione leui, facta cum animo occidendi: & sic de aliis similibus.

Quomodo fiat mortale.

p ad cap. Tres. de pœnit. dist. 1. num. 6. & in Enchir. ca. 23. nu. 17.

Secundò, si perpetretur in aliquem finem, qui sit peccatum mortale: vt si quis dicat mendacium iocosum, vt alius blasphemet, peccat mortaliter. hoc constat ex cap. cum minister. 13. quæst. quinta. ratióque est quia actio talis est qualis fuerit finis, in quem fit, prout explicamus in praxi par. 1. lib. 2. *r*

r cap. 2. circa initium.

Tertiò, Si quis illud perpetret in contemptum legis, aut legislatoris. In eo enim est superbia directè pugnans cum charitate, quæ debetur superiori, illamque destruens: & quod sufficit ad constituendum peccatum mortale. Id quod pleniùs postea declarabitur.

Quartò, si illius perpetrationem sequatur graue nocumentum, siue animæ, siue corporis: tunc enim

ex circumstantia effectus, directè pugnat cum charitate,& adeo sufficit ad ipsam tollendam, quæ est spiritalis vita animæ.

Postremò, si quis peccatum ipsum veniale perpetret dubitando,aut credendo se perpetrare mortale:quia tale (mortale inquam) efficitur ex dictamine conscientiæ, iuxta ea quæ in praxi tomo 1. lib.3. *f* de conscientia erronea, & dubia traditur. Secus autem contingeret,si absolutè dubitaret, aut crederet se facere peccatum:quia tunc ex conscientiæ dictamine non esset plusquam veniale, ex Nauarro in Enchir. *t* Hanc quasi degenerationē peccati ex suo genere mortalis,in veniale ex accidenti, & venialis ex suo genere, in mortale ex accidenti: D.Thomas in quæst.7. de malo art.1. illustrat præclara similitudine.Sicut in vita humana,inquit,cibi aliqui sunt vitæ omninò contrarij, vt venenosi:aliqui verò, tantùm causant malam quandam constitutionem,vt illi,qui graues sunt, & difficilis digestionis: fieriqúe potest, vt venenosi propter modicam quantitatem, in qua sumuntur, non tollant vitam; & non venenosi, propter nimiam copiam, & voracitatem sumentis, afferant mortem:sic peccatum quod ex suo genere tamquam animæ venenum,mortale est, potest ex accidēti esse veniale,& contra. Ac cùm ex his satis constet quodnam peccatum sit ex accidenti mortale, & quodnam ex accidenti veniale:deinceps tradendæ sunt regulæ ex quibus cognoscatur, quodnam sit ex suo genere mortale, & quodnam ex suo genere tantùm veniale.

f tract.2. cap.5. & 6.

5.

t prælud.9. num.9.

Part

Pars altera capitis, in qua traduntur regulæ iudicandi de peccato, sítne mortale an veniale ex ſuo genere.

SVMMARIVM.

6. *Regula iuris naturalis ad iudicandum de peccato sítne ſuo genere mortale, an veniale.* 7. *Dictum Richardi à Sancto Victore communiter approbatum, & ratio qua confirmatur.* 8. *Dari nequit generalis ratio ſtatuendi de grauitate iniuriæ, ex quâ peccatum ſit genere ſuo mortale, ideóque relinquitur prudentis arbitrio.* 9. *Regula de peccato iudicandi ex ſacris literis, sítne mortale an veniale.* 10. *Regula idem iudicandi ex lege humana.* 11. *Quod aliqua talis lex obliget ad mortale.*

Regula prima de naturali rationis dictamine.

PRIMA regula eſt, quam ad ius naturale pertinere, cùm ratio naturalis eam perſuadeat, meritò dicimus, eſt; illud habendum eſſe peccatum ex ſuo genere mortale, quo grauem iniuriam Deo, aut proximo, aut nobis ipſis inferri naturalis ratio dictat: vt de peccatis iis dictat, per quæ Deo debitus amor, debitáque reuerentia tollitur; vt de odio Dei, de idololatria, blaſphemia, periurio, & id genus aliis: itémque de iis quibus notabile nocumentum affertur proximo: vt de homicidio, furto, adulterio, & aliis ſimilibus: aut de iis, quibus amor

6. Mortale peccatum quodnam ſit ex genere ſuo.

ei debitus tollitur, vt de odio, inuidia, & huiusmodi aliis: ac demum de iis per quæ graui damno afficimur in necessariis ad conseruationem salutis, siue animæ, siue corporis; vt de iis per quæ tollũtur virtutes ad diuinam gratiam necessariæ: vt de infidelitate, desperatione, & impœnitentia, & aliis similibus: aut per quæ sanitati corporis notabiliter nocetur, vt de crapula assidua, ac ebrietate, & luxuria.

7. Hinc communiter à Doctoribus approbatur dictum illud Richardi à Victore sub finem tractatus de differentia peccati mortalis, & vẽnialis. Mortale est quod non potest à quouis committi sine grandi corruptione sui. Item mortale est, quod non potest committi sine grandi læsione proximi; mortale nihilominus est, quod non potest committi sine magno contemptu Dei. Cætera verò omnia mihi videntur venialia. hæc ille.

Et fauet ratio: quia quò Dei bonitas maior est bonitate creaturarum, eo difficilius dissoluitur amicitia, quæ cum eo est, quàm quæ cum homine. At inter homines nemo nisi inhumanus ex leui tantùm causa, leuíve iniuria vellet amicitiam cum alio contractam rescindere. Multo igitur minus id de Deo putandum est; nisi ea, quæ de se est leuis iniuria, aggrauetur in aliquo casu particulari ex circumstantiis: vt ex scandalo, alióve notabili damno quod adfert. nihil enim est tam leue, quin possit ex hoc censeri graue. Aut certè Deus ipse declarauerit se (quod potest) in re aliqua, etiamsi de se leui, obedientiam tantam exigere, quantam exigeret in re graui: vt cùm prohibuit Adamo, ne comederet de ligno scientię boni & mali, addita comminatione. *In quocũq; die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2.

Iam

Iam ratio statuendi quando grauis, & quando leuis iniuria per peccatum inferatur ; nulla generalis, & certa dari potest, propter circumstantiarum, quibus vestiri potest, ac subinde mutari varietatem: vt videre est in furto, quo grauis iniuria censetur fieri, non modò cùm fuerit rei notabilis valoris, sed etiam cùm rei modici quidem valoris, sed quam persona cui surripitur tanti faciat, vt ex illius iactura magnam concipiat molestiam, vel inde necessitatem notabilem patiatur, quia pauper est; vel notabile damnum, quia ex illa quæstum faciebat. Cùm ergo in actibus singularibus nulla sit circumstantiarum constantia, sed perpetua mutatio, iudicium de grauitate vel leuitate iniuriæ, quæ per illos infertur peccando, relinquitur viro prudēti faciendum congruenter iis quæ ex communi doctrina de circumstantiis, quam in praxi parte 1. lib. 4. persecuti sumus; aut repetendum est iam factum ab auctoribus, qui de tali re scripserint. 8.

Regula secunda de sacrarum literarum auctoritate.

SEcunda regula spectans ad ius diuinum positiuum, est: ea peccata censeri mortalia, ob quæ sacra Scriptura hominem à regno cœlorum excludit: cuiusmodi multa esse patet & ex cap. 1. epist. ad Rom. ver. 29. & sequentibus. & ex cap. 6. prioris ad Corinth. ver. 9. & 10. & ex cap. 5. epist. ad Galat. ver. 19. 20. & 21. & ex cap. 5. epist. ad Ephes. versu 5. Tum etiã ob quæ mortem temporalem proponit, vt apud Ezechiel. cap. 18. ver. 10. 11. 12. & 13. de quibus sigillatim est dicendum, cùm traditur ratio par- 9. Illa peccata sunt mortalia, quæ à regno cœlorum excludunt.

ticularis iudicandi de peccatis ex præceptis decalogi,prout facimus in praxi par.3.tom. 2.Ratio autem huius regulæ aperta est, quia pœna tã mortis quàm priuationis regni cœlorum est grauissima. Ergo culpa ob quam imponitur, cùm debeat pœna proportionari delicto,ex cap.fœlicis.de pœnis in 6.§.Verũ. Quando autem scriptura mitiùs de aliquo peccato loquitur,signum est ipsum esse tantùm veniale. Sic possumus existimare stultiloquium non esse peccatum mortale,sicut sunt fornicatio, immunditia,& furtum:quia in citato cap.5. epist. ad Ephes. Apostolus de illo tantummodo vno dicit ad rem non pertinere : cùm de cæteris dicat, quòd *omnis fornicator,aut immundus,aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Est etiam aliud signum quando datur præceptum in materia leui : vt censetur illud cuius transgressio vi sua nulli potest inferre iniuriam, vel adferre detrimentum magnum. Sic veniale solummodo peccatum fuit transgredi præcepta,Deuter.22. data de non arando in boue, & asino ; de non accipienda ex nido matre cum pullis;de non serendo agro duplici semine, de non vtendo veste lana, linoque intexta : & in nouo Testamento,Matth.5.de non loquendo verbo otioso, nonnullisque aliis de quibus D.Bernard. in lib. de præcepto & dispensatione.

Regula tertia de lege humana.

10. *v* prælud.9. nu.7.& seq. & ca.23. nu. 40.aliquótque sequẽtibus.

TErtia regula pertinens ad legem humanã traditur, fuséque explicatur à Nauarro in Enchir. *v* Est autem illum mortaliter peccare, qui legem humanam ad mortale obligantem, iustam, promul

promulgatam, ac receptam nec abrogatam, post elapsum tempus ad obligationem requisitum trāsgreditur, sine ignorantia inuincibili, aut alia iusta causa ipsum excusante, aut dispensatione valida. Hæc de se manifesta est: ad cuius plenam notitiam faciunt à nobis tradita in praxi fori pœnitentialis par.3.tomo 1.lib.3.tractat.4. Postulat autem hic locus vt suppositò quòd lex humana possit obligare ad mortale, prout est communis Catholicorū consensus (de Ecclesiastica. n. patet per illud, Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & publicanus*: de ciuili verò, per illud ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt*) explicemus quænam talis lex, censenda sit taliter (nempe ad mortale) obligare: & quibus modis ea distinguenda sit, tum à consilio, quod non modò humanum, sed nec diuinum obligat ad peccatum etiam veniale, ex sententia teste Nauarro *x* communiter recepta per cap. finale 14. q.1. nisi quis contra illud agat ex contemptu: quia tunc peccat etiam mortaliter, vt postea declarabitur: tum etiam à præcepto obligante solummodò ad veniale; quod qui transgreditur, peccat solummodo venialiter, iuxta cap. vnum. §. criminis. distinc. 25. dicta explicatio autem continetur sequentibus documentis.

Quæ lex humana obligat ad mortale.

x in cit. cap. 23. num. 49. Consilia nō obligant etiam ad veniale.

Tertia pars capitis, in qua traduntur documenta, per quæ cognoscendum est quæ lex humana obliget ad peccatum mortale.

SVMMARIVM.

11. *Lex humana potest dupliciter diuinâ ad mortale obligantem in se continere, indéque ad mortale obligare.* 12. *Obligat sub mortali cùm editur in materia graui à superiore intendente eiusmodi obligationem imponere.* 13. *Sine graui materia, principis voluntas non sufficit ad hoc, vt lex humana obliget sub mortali.* 14. *Obiectio in contrarium cum solutione.* 15. *In qua materia graui lex humana vt ad mortale obliget, requirat aut non requirat legislatoris voluntatem taliter obligandi.* 16. *Extra casus etiam contemptus, & scandali, legem humanam obligare posse ad mortale: non modò Ecclesiasticam, sed etiam ciuilem.* 17. *Ex quibus cognoscatur legislatoris intentio obligandi ad mortale.* 18. *Ratio qua cognoscitur ex consuetudine.* 19. *Quo modo ex verbis legis cognoscenda sit.* 20. *De pœnis spiritalibus, quæ per leges impositæ indicant ipsam sub mortali obligare.* 21. *Quòd pœnæ ciuiles non sint sufficiens signum talis obligationis.* 22. *Solutio obiectionum in contrarium.* 23. *Verba præceptiua de se non indicant sufficienter, leges ea continentes obligare ad mortale.* 24. *Exceptio in lege Ecclesiastica secundùm Nauarrum.* 25. *Eiusdem exceptionis moderatio.* 26. *Quòd verba præceptiua non obstent, quin lex Ecclesiastica benignam admittat interpretationem, qua censeatur non obligare ad*

ad mortale. 27. *Id exemplo declaratur, & ratione confirmatur.* 28. *Qua ratione responderi possit obiectioni factæ in contrarium.* 29. *Legis humanæ obligatio cessat cessante causa ipsius.* 30. *Circa idipsum quædam pro praxi notanda.*

Primum documentum de lege humana includente diuinam.

PRimum documentum est: legem humanam obligare ad mortale cùm in se continet ius diuinum obligans ad mortale. In hoc omnes conueniunt, neque de eo dubitandi causa esse potest; quia si ius aliquod diuinum sine humano obliget ad mortale, multo magis obligabit ei coniunctum. Pro illius autem explicatione notandum est dupliciter posse contingere, vt ius humanum in se contineat diuinum: Primò ex parte materiæ, quando illud, quod prohibetur lege humana, prohibetur quoque lege Dei, vel expressè, vt ne quis blasphemet: vel tacitè, vt quando lex humana talis est, cuius transgressio infert graue damnum proximo, vel est causa magni scandali, vel pro principali causa habet contemptum superioris, vel est cōtra votum, aut iuramentum transgressoris. Tunc enim continet legem Dei obligantem ad mortale, quia inferre graue damnum proximo, per antea traditam primam regulam; aut illum grauiter scandalizare, per illud Domini Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria collo eius, & mergatur in profundum maris.* aut in contemptum superioris legem transgredi, per quintam regulam postea tradēdam:

Ius humanum potest continere diuinū dupliciter.

aut demum votum, aut iuramentum violare, per secundum præceptum decalogi, peccatum est prohibitum lege diuina obligante ad mortale.

Secundo modo potest contingere ex parte finis, in quem lex humana dirigitur: quãdo is est aliquid iuris diuini obligantis ad mortale; ratione cuius obligationis, transgressio dictæ legis humanæ peccatum est mortale, si illa eo consilio admittatur, vt talis finis impediatur. Exemplum est, cùm quis ideo non vult missam in die festo audire, quòd nolit vacare Deo, nec ei cultum debitum exhibere. Idem iudicandum est, quoties peccatur, vt impedimentũ adferatur charitati, quæ est præceptorum omnium finis communis. Rationem adfert Caietanus in summula, verbo præceptum, quia transgrediens hoc modo præceptum humanum, proportionaliter se habet ad finem eiusdem præcepti, sicut transgrediens illud ex contẽptu, se habet vel ad idipsum præceptum, vel ad præcipientem: vtpote qui finem præcepti respuit, sicut alter respuit præceptum.

Secundum documentum de lege humana edita in materia graui.

12. SEcundum documentum est legem humanam ad mortale obligare, quæ à legislatore edita est in materia graui, cum voluntate obligandi ad mortale. In hoc perinde ac in præcedenti omnes Catholici conueniunt. Cùm enim consentiant legem humanam posse habere vim obligandi ad mortale, vt in præcedenti parte huius capitis annotatum est, negare nequeunt id ei vsuuenire maximè in materia graui, & quando legislatoris voluntas est, taliter obliga

obligare. Ad pleniorem autem illius intelligentiam notãdum est primò materiam legis dupliciter censeri grauem: vno modo ex se, suoque genere: quando scilicet transgressio eiusdem legis à quocumque fiat, iniuriam ac detrimentum notabile adfert: altero modo ex relatione ad bonum cõmune, nempe quando transgressio legis, si ab vno, vel altero fiat, parum tantummodò nocere potest (quo nomine eiusmodi lex censetur esse in materia leui ex suo genere) sed si fiat ab omnibus, vel à pluribus, infert graue detrimentum reipub. vnde ea ipsa lex habet vt censeatur esse de facto in materia graui. Exemplo sunt transgressiones legis ciuilis, qua prohibentur pecuniæ exportari extra regnum: & legis Ecclesiasticæ, qua Clerici prohibentur venari, aut qua iubentur ferre tonsuram, & vestem Clericalem. Nam pecunias aliquas ab vno, vel altero exportari extra regnum, non potest de se magnum ei afferre nocumentum: exportari autem ab omnibus communiter, vel à pluribus, potest eidẽ grauiter nocere: quia sic exhauriretur pecuniis. Similiter Clericum vnũ, vel alterum venari, aut habitum & tonsuram Clericalem non ferre, haud magnum infert damnum Ecclesiæ: sed omnes venari, vel nullum eorum tonsuram, & habitum Clericalem ferre, grauiter nocet Ecclesiasticæ disciplinæ.

Materia legis dupliciter censetur grauis.

Leges ciuiles & Ecclesiasticę, quę obligant ad mortale.

13. Notandum est secundò, vt lex humana obliget ad mortale, grauitatem materiæ debere necessariò concurrere cum legislatoris voluntate. Vnde si constiterit eam esse cõditam in materia neutro dictorum modorum graui; constabit quoque non obligare ad mortale quæcumque fuerit voluntas legislatoris: quia lex condita in materia in vtroque eodem

dem modo leui:seu(quod idem est)disponens de re nec magni momẽti,nec multùm necessaria reipub. (prout contingit cùm transgressio illius nec ex se nec ex ordine ad bonum commune,nata est afferre notabile detrimentum) non potest sufficientem habere causam imponendi obligationem ad mortale:vt Alphonsus à Castro in lib.1.de lege pœnali[a] rectè ex eo confirmat,quod alioqui peior,miseriorque esset in hac vita subiectio animæ,quàm corporis.nam lex humana nequit hominem pro re leui ad mortem corporalem obligare:adeo vt ille verè tyrannus haberetur,qui talem constitueret legem. imponentem inquam, capitis pœnam pro re leui: multò igitur minùs obligare poterit ad mortem spiritalem,seu damnationem æternam, quæ infinitis partibus grauior est: præsertim cùm omnis legum condendarum potestas principibus tam Ecclesiasticis,quàm sæcularibus concessa sit in subditorum bonum,non in perniciem, & animarum laqueum.

[a] cap.5. documen.2.

Si obiicias ex leg. 1. ff. de constitut. principum: *quod Principi placuit,legis habere vigorem*:respondet Alphonsus,id esse intelligendum, si iusta adsit voluntas:aliàs solam voluntatem principis sine causa legitima, non posse aliquem obligare in conscientia:quia iure naturæ quisque à tali obligatione eximitur,cùm sit contra rectam rationem. Quæ verò iuris naturalis existunt,principi non licet tollere,ex Clemen. Pastoralis.de senten. & re iudicata.§.Cæterùm.

Principis voluntas sine causa legitima non potest in cõ scientia obligare.

Si secundò obiicias ex Caietano in Summula, verbo præceptum: in iure Canonico esse quædam præcepta minima,seu de re leui,sub mortali imposita;quale est in extrauag.communi detestandæ.de sepult.

sepult. De cadaueribus non exenterandis, & in frusta cõcidendis, vt ad alia loca trãsferantur. Ea enim exenteratio & cõcisio res est de se non magni momẽti, & nihilominùs prohibetur sub pœna excommunicationis maioris, & ideo sub peccato mortali, cum excommunicatio maior imponi possit tantùm ob mortale, ex cap. Nemo Episcoporum 2. quæst. 3. Respondendum est talia præcepta propterea dici minima, quòd dentur de re leui ex suo genere. Ipsa autem sub mortali imponi ob aliquam eiusmodi rei circumstantiam, per quam ea sic aggrauatur in ordine ad commune bonum; vt superiori sufficientem præbeat causam præcipiẽdi sub mortali: prout in casu proposito præbuit, quòd eiusmodi exenteratio, & concisio abiisset in consuetudinem: quæ mentes fidelium horrore commouebat, & perturbabat auditum, vt sub initium memoratæ extrauagantis habetur.

Præbet similiter caritas annonæ facultatẽ præcipiendi quoque sub mortali, ne ex vrbe frumentum efferatur, id quod est alioqui ex se leue: seu naturâ suâ nulli iniuriosum. Similiter bellum ingruẽs, præbet materiam præcipiendi, vt ciues sumant arma, & portas ciuitatis custodiant, quod aliàs est quid ex se indifferens. Quam responsionem Alphonsus loco citato insinuauit, cùm postquã colligit ex antè dictis, perperam eos religionum prælatos sentire, qui putant se posse ad mortalem culpam obligare subditos, ob solam silentij violationẽ, aut ob solam vnius lactucæ manducationem sine licentia, aut ob aliud simile, quod ex se parui momenti sit, nec possit grauiter religioni nocere: subiungit posse his rebus paruis talem, tamque grauem circumstantiam

coniungi

coniungi (vt graue scandalum religionis, aut magnam occasionem transgressionis votorum) quod meritò prælatus posset, res eiusmodi prohibere sub interminatione gehennæ.

15. Lex humana eo ipso quod fertur in materia graui obligat ad mortale.

Notandum est tertiò, legem humanam, ex ipso quod ferturin materia graui priore modo, obligare ad mortale: etiamsi legislator non habuerit intentionẽ taliter obligãdi. Ratio est, quia ex voluntate quidẽ legislatoris pẽdet præcipere, aut nõ præcipere; tamẽ posito semel præcepto, vis, & quantitas obligationis spectãda est nõ ex illa volũtate, sed ex naturali iure quo parendum est superioribus, secundum rectam rationem præcipientibus, & ex rei quæ præcipitur, grauitate. Sicut enim superior non potest in re leui dare præceptum obligans ad culpam mortalem, vt habitum est antea: ita nec potest in re graui dare, obligans solummodò ad veniale. Id quod declaratur exemplo vouentis aut iurantis se aliquid magni momenti facturum: qui ex naturali lege de voto, & iuramento seruando, & ex materiæ grauitate tenetur sub mortali illud implere, non obstante quòd in potestate ipsius fuerit non vouere, aut non iurare. De qua re pluribus Gabriel Vasquez ad 1.2. D. Thomæ. *b*

b disput. 158. cap. 4.

Quòd verò non sufficiat legem humanam conditam esse in materia posteriore modo graui vt censeatur obligare ad mortale (quamuis contrarium infirmet Frãciscus à Victoria *c*, dum absolutè dicit legem humanam in materia graui obligare ad mortale, & in leui solùm ad veniale) sed simul requirat, vt à legislatore condita sit, cum iusta voluntate imponendi talem obligationem, vt docet Alphonsus: *d* ex eóque constat quòd alioqui fatendum

c in relect. de potestate ciuili nu. 19.

d merit. cap. 5. docum. 4.

dum esset, hominem legislatorem sua lege semper obligare ad mortale, quoties ipse potest: cùm in materia leui numquam possit. Si opponas, videri antedictis repugnare, quòd lex in materia graui obliget tantùm ad veniale; respondetur antedicta esse intelligenda de materia graui priore modo, in qua transgressio legis, etiamsi tantùm ab vno fiat, notabile infert damnum: quo nomine talis lex humana censenda est diuinam includere ad mortale obligantem: hîc autem agi de materia secundo modo graui: in qua transgressio legis, quæ fuerit purè humana, si ab vno vel altero, vel à paucis fiat, nullum affert notabile detrimentum; licet afferret reipub. si à pluribus fieret, aut ab eodem nimium repeteretur. Lex igitur posita in tali materia, ex intentione tantùm legislatoris obligat ab culpam seu tantùm venialem, seu etiam ad nullam, sed tantummodo ad pœnam temporalem, iuxta ea quæ tradimus in praxi par. 3. to. 1. lib. 3. *e* ita vt lata lege cum intentione obligandi ad mortale, ne quis extra regnum pecuniam exportet, exportans peccet mortaliter, etiamsi ea ipsius exportatio parum noceat reipub. prout loco citato Franciscus à Victoria expressit: lata verò cum intentione obligandi tantùm ad veniale, aut tantùm ad pœnam temporalem, non peccet plusquam venialiter, aut ne venialiter quidem, sed tantùm reus pœnæ temporalis constituatur. Iam verò, quòd talis obligatio ad culpam siue mortalem siue venialem, non requirat necessariò expressam intentionem legislatoris talem imponendi, sed sufficere possit tacita, in eodem loco ostendimus: ad hunc verò locum spectat propriè, rationem tradere cognoscendi an legislatoris intentio

e tract. 4 tit. 1. cap. 3. quæst. 3.

tio

tio fuerit obligandi ad peccatum mortale, de quo subijciendum est documentum.

Tertium documentum de lege humana prout obligatio illius pendet ex sola legislatoris voluntate.

DOcumento tertio, quo traditur ratio cognoscẽdi legislatoris siue expressam siue tacitam intentionem obligandi ad mortale: duo præmittenda sunt.

f cap.23. nu.55.

Prius est meritò Nauarrum in Enchir. *f* improbare quòd Imola, Felinus & Caietanus sentiunt leges humanas non obligare per se sub mortali secluso contemptu, vel scandalo. nam id nequeunt asserere ob defectum potestatis in legislatore, in quo aliquam esse ad obligandum sub mortali patet ex habitis in hoc eodem cap.5. *g* eámque non definitam ad duos tantùm illos casus, vt constat ex communi existimatione fidelium, qui leges aliquas humanas secluso etiam contemptu, & scandalo censent ex iuxta superioris voluntate, obseruandas esse sub mortali: vt leges de quadragesimali ieiunio, de annali confessione & communione: de Missa in die festo audienda, nec item possunt id asserere ob voluntatis defectum, quia impossibile est scire, quòd superiores numquam velint (cum possint) sua lege obligare ad mortale.

g nu.10. Leges ciuiles possunt obligare ad mortale.

Posterius est leges ciuiles, sicut & Ecclesiasticas obligare posse sub mortali (quidquid contra insinuet Sotus in lib.1. de iust.& iure) *h* quando legislator id vult iusta intentione: hoc patet per illud quod

h quæst.6. art.4.

quod de lege humana in genere ostendimus *i* eam in conscientia obligare ex iusta intentione legislatoris. Quod etiam Alphonsus à Castro in lib. 1. de lege pœnali, & Nauarrus ad cap. fraternitas. 12. qu. 1. *k* docent hac potissimum ratione: quòd magistratibus in ordine ad rempublicam, debeatur perinde obedientia, immò etiam magis, quàm parentibus in ordine ad rem familiarem. Sed præcepta, quæ à patre dantur filio in ordine ad rem familiarem, possunt hunc obligare ad mortale. Ergo præcepta, quæ dantur à magistratu in ordine ad rempub. poterunt similiter obligare ipsius subditum. Consequenti a est manifesta. Maior probatur, quia quando potestates diuersæ sunt, & subordinatæ, potiùs superiori, quàm inferiori obediẽdum est. Potestates autem patris, & principis sunt subordinatæ, cùm pater in rebus ciuilibus subdatur principi. Ergo filius qui subditur vtrique, debet potiùs principi in re ciuili, quàm patri in re domestica obedire. Minor autem ex eo patet, quòd D. Paulus ad Rom. 1. inter multa & grauia gentilium peccata (quæ ipse ibidem enumerat) ponat parentum inobedientiam, & tandem omnibus enumeratis dicat. *Qui talia agunt, digni sunt morte:* quod idem est, ac omnia peccata illic nominata, atque adeo inobedientiam parentum esse mortalia.

i in cit. cap. 3. quæst. 2.

k ille cap. 4. & hic nu. 17.

Quibus ita positis hoc tertium documentum statuitur. An intentio legislatoris ferentis legem humanam, fuerit vt ea ipsa lex sub mortale obligaret, cognosci primò & præcipuè ex legislatore ipso, si perspicuè eam esse suam intentionem declaret: itémque si legem ferat absolutè in materia graui: nec vllo verbo, aut signo, alióve modo declaret

17.

se non habere intentionem obligandi in conscientia. Tunc enim locum habet illud Soti *l*, pro ratione materiæ iudicandum esse legem ex parte legislatoris obligare in conscientia sub veniali vel sub mortali peccato. Et confirmatur quia cùm legislator ipse non limitat vsum auctoritatis suæ, consentaneum est simpliciter iudicare quòd ex tota auctoritate sua legem condat, eique obligandi vim quam potest, tribuat. In graui autem materia potest ad mortale obligare, sicut in leui ad veniale per antè dicta.

in cit. art. 4.

Deinde cognosci potest ex consuetudine, optima legis interprete, per quam lex ipsa humana à maiori saltem parte populi obseruatur, tamquam obligans ad mortale; vt solent consuetudines ex quibus obseruantur leges de ieiunio quadragesimali, de facienda peccatorum confessione semel in anno, de sumenda Eucharistia in Paschate, nonnullæque aliæ: In quibus consuetudinibus diiudicandis, & discernendis ab iis, quæ non obseruantur tamquam obligantes ad culpam, saltem mortalem (qualis est consuetudo dicendi salutationem Angelicam, cùm ad eam ter in die signum datur) standum est existimationi, & iudicio prudentium, ac bonorum virorum: sicut & in discernendo vtrum lex aliqua obliget sub veniali tãtùm, vel nullo modo ad culpam. Quòd si neutro duorũ istorum modorum constare possit, an lex ad mortale obliget necne, recurrendum est ad verba illius, de quibus dantur documenta tractata à Nauarro in Enchir, quæ consequenter ponuntur.

m c. 23. nu. 49. & aliquot sequ.

Quartum

Quartum documentum de ratione cognoscendi ex verbis legis humanæ, an legislatoris intentio fuerit per eam obligare ad mortale.

QVartum igitur documentum est, leges humanas, etiam Canonicas non obligare ad mortale cùm non habuerint verba præceptiua, vel prohibitiua, sed tantùm ordinatiua, vel constitutiua: quorum illa sunt (vt notatum est ab Alphonso à Castro in lib. 1. de lege pœnali *n*) *præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico*, & his æquiualentia, vt ista, *debeant, necessariò teneantur, necesse est, non licet, non potest o*: hæc verò ex eodem ibidē sunt ista: *decernimus, statuimus, ordinamus, volumus, sancimus*: & alia etiamsi imperatiui modi sint, vt illa, *facite, dicite, faciant, dicant*, & similia quæ secundùm intelligentiam communem præceptum aut prohibitionem minimè significant. Cuius obseruationis rationem reddit Nauarrus *p*, quia licet auctor talis legis per eiusmodi verba significet voluntatem suam esse, vt illius transgressio sit actus vitiosus, cùm antea esset indifferens (sicut & actus illam obseruandi est ex indifferenti actu virtutis, vt Sotus bene notauit *q*) & consequenter vt sit peccatum saltem veniale; attamen quia per eadem verba, nec præcipit, nec prohibet, significat se nolle obligare ad mortale, nisi fortè lex ipsa contineat aliquid præsupponēs peccatum mortale, vt si contineat pœnam excommunicationis maioris; quia etiamsi tunc non sit lata per verba præceptiua, aut prohibitiua: tamen (vt Nauarrus notat *r*) censeri

19.

n cap. 5. documum. 4.

o Nauar. in citato c. 23. nu. 51. cōtra Alphonsum addit oportet.

p ibidē nu. 49.

q in eod. art. 4.

r in sequen. nu. 53.

debet voluntate legislatoris obligare ad peccatum mortale, cùm iuxta cap. Præterea. de officio delegati: is qui vult aliquid, censetur etiam velle aliud, sine quo illud esse nequit.

Qui vult aliquid, etiã id vult, sine quo illud esse nequit.

Quintum documentum, de pœnis, quæ in humana lege indicant eam obligare sub mortali.

10. INdicatur autem lex continere aliquid præsupponens peccatum mortale primò cùm fertur sub pœna indignationis Dei, vel maledictionis æternæ. Hanc enim nemo incurrit, nisi in statu peccati mortalis: deinde cùm præcipitur, vt transgressor impœnitens non absoluatur, vel ad alium mittatur pro absolutione Sacramentali: quia nulli neganda est talis absolutio, nisi pro peccato mortali. Præterea si talis lex ponatur in materia, in qua lex altera obligat ad mortale: quia tunc si non ratione sui, saltem ratione illius alterius quam continet, obligabit ad peccatum mortale; demum quando transgressori lex imponit pœnam, quæ non nisi ob peccatum mortale incurritur: quales sunt (prout loco citato Alphon. à Castro meminit) priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, degradatio, & excommunicatio maior, siue ipsa sit latæ sententiæ, ipsoque facto incurrẽda: siue sententiæ ferendæ, ac tantùm comminatoriæ: quod expresserũt Syluester in verbo præceptum, & Caietanus 22. *s* approbátque Nauarrus, *t* quia nullum peccatum nisi mortale causa est sufficiens feriendi aliquem excõmunicatione maiori, ex cap. Nemo. & cap. Nullus. 2. quæst. 3. Quanquam tamen vt Caietanus ipse habet in Sũmula, verbo Clericus, & appro

s ille quæst. 3. hic quæst. 186. art. 9.

t in eod. c. 23 nu. 52. secúmque alij quorũ meminit Vasquez postcitandus.

& approbant Alphonsus, & Nauarrus *u* si excommunicatio quam lex imponit, tantùm sit comminata, necdum per sententiam Iudicis fulminata, transgressor talis legis non est ex ea pœna iudicandus peccare mortaliter, quousque transgressio peruenerit eò, vt ille resistens monitorio, tamquam plenè inobediens sit dignus excommunicari. De qua re latè Suarez tomo 5. disput. 18. sect. 3. à nu. 20. Exemplum est, si lex sit, vt Clericus comam nutriens excommunicetur. Is enim non peccat mortaliter talis legis transgressione, quousque monitus perseueret in ea: quia tunc solùm tamquam plenè inobediens, est excommunicatione dignus.

u Locis cit. quibus assentiẽs Vasquez ad 1.2. disput. 158. cap. 5. monet, cùm lex fertur absolutè sub pœna excommunicationis comminatæ, non intelligi præmittendam esse monitionem, nisi id exprimatur in ipsa lege. Ratio est quia eadem ipsa lex alioqui, de se satis admonet.

De pœnis irregularitatis, suspensionis, & interdicti, difficultas est, de qua auctores, & rationes in vtramque partẽ adfert Gabriel Vasquez ad. 1.2. D. Thomæ disput. 158. Cap. 4. nu. 46. & sequen. affirmantémque contra Nauar. sequitur cum Syluestro, & Medina, nempe cùm infligantur à lege ob peccatum, eas sufficiens signum esse, quòd tale peccatum sit mortale. Nam cùm sint graues pœnæ, quæ remedium habent difficile, vt patet ex iis quæ communiter traduntur de illarum relaxatione: causæ ob quas imponuntur debent esse graues, atque adeo si illis sint peccata, debent esse grauia.

Potro quod ad tales pœnas (quæ cum spiritales sunt, imponi tantùm possunt ab Ecclesiasticis prælatis, per spiritualem, quam habent, potestatem) Alphonsus adiũxit mortem, carcerem perpetuum, confiscationem omnium bonorum, & infamiam: quæ possunt à magistratibus secularibus imponi tamquam signa sufficientia legis obligantis ad mortale: reiicitur per illud quod Nauar. in Enchir. cap.

23.nu.55.& aliquot sequentibus confirmat: ex pœna temporaria, quam lex humana imponit, non duci argumentum sufficiens ad ostendendum in dubio, obligationem illius esse ad peccatum mortale; ne si quidem (vt ille in nu.57.expressit) sunt illę graues memoratæ ex ipso Alphonso: nisi aliunde ex aliquo certo signo constet legislatorem voluisse eiusmodi legem pœnalem subditos obligare, non tantùm ad temporalem pœnam subeundam, sed etiam ad reatum peccati mortalis; nempe si lex Ecclesiastica pœnam spiritalem quæ non nisi ob mortale incurritur, imponat simul cum temporaria; aut lex ciuilis lata à principe, cui subditi obedientiam, & fidelitatem iurarunt (sicut plurimùm solent Christiani 15.quæst.6.Cap.2.& sequentib.) si feratur iniungendo vel inhibendo aliquid, in virtute præstiti iuramenti, addita pœna aliqua temporaria transgressori. Illa autem confirmatio Nauarri *a* est, tum ex cõsuetudine, & existimatione cõmuni hominũ, qui siue nobiles, siue plebeij, siue docti, siue indocti persuadent sibi legislatorem ad eam tantùm pœnã temporalem obligare voluisse, quam solam expressit: neque ad spiritalem peccati mortalis extendisse intentionem suam, quando nullum eius rei exhibuit certum signum: tamquam putans eam pœnæ temporalis comminationem satis fore ad deterrendum subditos à legis suæ transgressione: Tum ex auctoritate eorum, qui asserunt legem purè pœnalem non obligare ad culpam; quorum sententiam secuti sumus in praxi fori pœnitentialis par.3.tomo 1.lib.3.*b* ex qua sequitur, pœnam lege humana impositam, non modò non esse de se sufficiens signum obligationis illius ad mortale, sed nec sufficiens esse ad

a loco memorato.

b tract.4.sit. vlt.c.3. qu.1.

se ad obligationem ad culpam, siue mortalem, siue venialem. Tum demum ea ratione; quòd lex in dubio accipienda sit secundùm eum sensum, qui est minus pœnalis, iuxta cap. In pœnis. de regul. iuris in 6. & legem Si præses, & legem De interpretatione. ff. de pœnis. Quando igitur lege pœnam temporalem imponente, nihil datur, ex quo intelligatur obligare ad mortale; ea sic accipi potest, vt censeatur talem obligationem minimè continere: præsertim cum ille qui de duobus propositis vnum affirmat, alterum negare videatur, ex cap. Nonne. de præsumptionibus: ideóque legislator qui ad pœnam æternam, & ad temporalem obligare potest; hanc irrogando, videtur illam, de qua penitus tacet, excludere.

Lex in dubio accipiẽda est in eo sẽsu, qui est minus pœnalis.

Sed duo obiici possunt: alterum, quòd sit mortale obijcere se probabili periculo amissionis vitæ, aut alicuius membri. Eum autem qui transgreditur legem imponentem transgressori mortis, vel mutilationis supplicium, exponere se tali periculo. Alterum est, quòd talis lex iniusta esset, tam grauem constituens pœnam, ob actum, qui non sit peccatum mortale. Priori autem Nauarrus occurrit: esse quidem peccatum mortale exponere se temerè probabili periculo mortis vel mutilationis, quia violatur quintum decalogi præceptum: sed transgredi legem quæ mortis, vel mutilationis pœnam imponit, non esse de se tali periculo se exponere: vt argumento est quòd possit quis tanta cautione eiusmodi legẽ violare, vt nõ incurrat in probabile periculũ pœnæ ab ea cõstitutæ. Posteriori verò pœnã iustè constitui non tantùm propter culpam, sed etiam propter causam seu propter omissum aliquid neces- 21.

sarium, aut valde vtile ad commune reipub. bonum: à qua omissione legislator velit subditos reuocare, solius grauioris pœnæ temporalis metu: quo modo Nauar. ait aliquot exercituũ *c* ductores suo tempore laudatos fuisse, quòd propter minima furta, morte affecerint aliquos milites, ad militarem disciplinam conseruandam. Quibus obiectionibus addi posse videretur impositionem pœnæ temporalis per legem, indicium esse, quòd legislator eam ferèns voluerit obligare subditos, quàm seuerissimè potuit, atque adeo ad peccatum mortale. Sed necessarium non est id sentire: quia cùm præsumendum etiam sit, legislatores velle suauiter, & quantùm res patitur, sine periculo animarum gubernare subditos: conijcere possumus dum leges ferunt comminatorias pœnæ solummodò temporalis, ipsos existimare satis fore prospectum bono communi per easdem suas leges, si eæ ad pœnam solummodò temporalem obligent, neque intentionem habere ad quid amplius obligandi.

c sub finem citati nu. 58.

Sextum documentum, de vi verborum præceptiuorum considerandâ in lege humana, ad indicandum an hæc obliget sub mortali.

23. Verba non obligant ad præceptum mortale. *d* nu. 50. & 51.

SExtum documentum est. Nullum verbum in lege quantumuis præceptiuum, vel prohibitiuum, per significatum quod ex i. sua impositione habet sufficienter ostendere, quòd legislatoris intentio fuerit obligare transgressorem ad peccatum mortale. Istud post Caiet. Nauarrus *d* confir-

mat ex eo quòd verba, *Præcipimus, obligamus, mandamus, vetamus, inhibemus, prohibemus, debeat, obligetur, teneatur*: omnia, ac singula sint generalia, tam apta ad inducendam obligationem ad veniale, quàm ad mortale peccatum. Nam ideo apta sunt obligationem inducere, quia sunt apta facere legem præceptiuam: quæ in hoc à consultoria distinguitur, quòd inducat obligationem ad aliquod peccatum, & consultoria ad nullum: vtpote quæ sit de bono, cuius contrarium non est malum, vt de virginitate in priore ad Corinth. cap. septimo, cuius contrarium in vsu legitimi matrimonij, non est malum. Lex autem non obligat necessariò ad mortale, hoc ipso quòd præceptiua est: quia lex de nõ mentiendo iocosè absque damno alterius, aliæq; multæ præceptiuæ, sunt ex communi Catholicorum sentẽtia, nec obligant nisi ad veniale. Accedit quòd ex sacræ Scripturæ vsu, ne ipsum quidem præcipiendi verbum denotet obligationem ad peccatum mortale. nõ enim (vt rectè ait Alphõsus *e*, cùm Christus Marci 8. præcepit discumbere eos, quos septem panibus refecturus erat: nec cùm præcepit discipulis, vt paucos quos habebant, piscículos apponerent; nec cùm præcepit infirmis ab ipso curatis, vt nemini dicerent, putandus est talibus præceptis ad peccatum mortale obligare voluisse. Accedit etiam, quòd ex Aristotele in 6. Ethicorum precipere sit actus prudentiæ; omnibus actibus bonis communis: & ideo cõtrarius omnibus actibus malis, tam venialibus, quàm mortalibus; ita vt ex vi significationis, quam per primam suã impositionem habet, possit indifferenter constituere legem preceptiuam siue ad mortale, siue ad veniale obligantem.

e in supra cit. documen. 4.

24. Addit nihilominus Nauarrus, talia verba in lege Ecclesiastica, indicare conditorem ipsius habuisse animum obligandi transgressorem ad peccatum mortale : nisi quid in ea expressum sit quo contrarium sufficienter significetur : idque confirmat ex Clemen. Exiui de paradiso. §. Cùm autem. de verborum signific. vbi habetur, S. Franciscum noluisse æqualiter obligare suos religiosos ad omnia, quæ regula ipsius continet: cùm ad quædam apponat verbum præcepti, vel ei æquipollens : quoad quædam verò, non apponat. Quæ ratio vt valeat, fatendum est Pontificem præsupponere tamquam manifestum, quòd verba præceptiua, illisque æquipollentia in iure Canonico, vim habeant exprimendi obligationem ad culpam mortalem. Vnde sumpta est communis (teste Nauarro) Doctorum sententia: quod intentio cuiuslibet legislatoris Ecclesiastici vtentis in sua lege verbo præceptiuo, aut prohibitiuo (nisi contrariũ sufficienter significetur per aliquod aliud indiciũ) sit obligare ad mortale: maximè autẽ si tali verbo fiant additiones quæ insinuẽt obligationis incremẽtũ; vt si dicatur, *districtè præcipimus, arctè prohibemus: in virtute sanctæ obedientiæ præcipim⁹, sub obtestatione diuini iudicij prohibemus.*

Intentio legislatoris Ecclesiastici vtendo verbo præceptiuo quæ sit.

25. Quam Nauarri sententiã qui reiicere volet tamquam duriorem, & fundamentum multiplicandi leges ad mortale obligantes; atque adeo nectendi quodammodo laqueum animabus, patronum habebit Gabrielem Vasquez ad primam secundæ D. Thomæ *f*. sed placet potius illam admittere cum restrictione : nempe vt ea non obstante, approbemus quod Alphonsus notat lib. 1. *g* de lege pœnali cap. 6. ex eo quòd verba præceptiua, illisque æquipollen

f disput. 158. c. 4.

g cap. 5. docum. 4.

pollentia in iure canonico vim habeant exprimendi obligationem ad culpam mortalem, non esse inferendum in omnibus aliis statutis, idem etiam semper vsuuenire: quia vt ostensum est antea, ne quidem in lege diuina id perpetuum est. Præterea existimemus legislatoris Ecclesiastici legem admittere interpretationem benignam viri prudentis, de pia præcipientis, vel prohibentis intentione præsumentis ex iusta causa, quòd non fuerit obligandi ad mortale. Hinc (quod Caietanus notat) *h* etiamsi D. Augustinus in principio suæ regulæ dicat: hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti: tamen non omnia quæ ipse subiungit, iudicantur obligare ad mortale.

h 2.2. quæst. 186. art. 9. circa respõsionẽ ad 2.

Deinde vt Driedo habet de libertate Christiana *i*: humana mandata, & statuta seu decreta, etiã vniuersaliter prolata, numquam ita generaliter intelliguntur, quin interpretationes, & conditiones ciuiles, seu non duras intelligentias suscipiant, prout sapiens rectè iudicabit: quantumuis sint iurata, aut in virtute præstiti iuramenti imposita: iuxta illud quod in cap. 1. de iureiurando in 6. definitur: iuramenta sub quacumque generalitate præstita, vel præstanda super statutis, vel consuetudinibus seruandis; ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obuiantia tantummodò extendi: ipsósque iurantes ad alia per præstationem iuramenti non teneri. Licita autem intellige cum eodem Driedone, non omnia: sed ea quæ non sunt abolita: quia licita, quæ per non vsum abierunt in desuetudinem; non intelliguntur generali statuto comprehensa, ex ea parte, quæ per consuetudinem contrariam abolita sunt: quáve statutum ipsum vim

i pag. 174. in editione Louanienſi anni 1540. Mãdata humana semper conditiones non duras suscipiunt.

ſuam non retinet ampliùs : adeo vt intentio generaliter iurantis ſe alicuius collegij, aut communitatis ſtatuta ſeruaturum, non referatur ad alia, quàm ad licita non abolita; niſi is quoque expreſsè ſcientérque iuraret, ſe licita etiam abolita ſeruaturum.

27. In exemplum talis interpretationis ciuilis ſeu nó duræ, vſurpari poteſt, quod idem auctor paulò ſuperiùs habet: ſtatuta, quibus rectores in vniuerſitatibus præcipiunt virtute præſtiti iuramenti vt omnes interſint congregationi à ſe indictæ, aut Miſſæ ſolemni, aut aliud eiuſmodi ; interpretanda eſſe præſumendo de pia intentione mandantis, quòd in talibus non magni ponderis, id eſt, non admodum neceſſariis ad finem in quem diriguntur (qualis eſt rectori honorem, & vniuerſitati decorem deferre, cui ſufficere poteſt notabilium aliquot perſonarum præſentia) nolit obligare ad reatum periurij: ſed ſolùm velle reuocare in memoriã iuramentum præſtitum; ne mandatum ipſius habeatur tamquam contemnendum : nam intentio alioqui eſſet irrationabilis, quippe quæ eſſet obligandi ad mortale in leui materia. Secus foret autem in materia graui, prout idem auctor ſatis indicat, cùm addit poſtea: Dum rector ſigillatim ſingulos vocari facit, pro cauſa, & negotiis arduis, quæ meritò exigunt præſentias, conſenſus, conſilia, & deliberationes ſingulorum, non habentium legitimam abeſſendi cauſam: tunc mortalem culpam poſſe continere.

Præcepta in religione quæ ad mortale vim obligandi habent.

Mitigari adhuc poteſt propoſitæ ſentẽtiæ rigor de præceptiua legis Eccleſiaſticæ obligatione ad mortale, per illud quod habet Caiet. in ſummula, verbo præceptum. circa finem. In qualibet Eccleſia, ſeu religione illa tantummodo verba vim obtinere præce

præcepti antonomasticè (id est obligantis ad mortale, vt ipsemet ibidem circa principium interpretatur) quæ consueuerunt intelligi apud illos, habeníve pro antonomasticè præceptis: quæ verò non consueuerunt sic intelligi (quandoquidem id argumento est vel non fuisse à superiore posita, vel non fuisse à subditis recepta, cum tam graui obligatione) non habere vim præcepti illius modi, etiamsi verba sint præceptiua; quæ accipi debent secundùm communem vsum, receptámque consuetudinem: quæ facere potest, vt lex non recipiatur, vel recepta abrogetur.

Quòd si obiiciatur Pontificem in citata Clem. ostendisse rationem optimam interpretandi leges Ecclesiasticas, quoad earum obligationé sub mortali: vnde cùm ibi determinet ea, quæ in regula S. Francisci statuuntur per verba præceptiua obligare ad mortale; non videri consentaneum, vt alias eiusdem generis leges interpretemur, negando ipsis talem obligationem: respondeti potest, peculiarem fuisse causam rigidæ interpretationis verbi præceptiui in regula S. Francisci: nempe (vt Nauarri verbis vtar) *k* quòd positum in ore tam magni sancti, & auctoris tam sanctæ & arctæ regulæ, & ad subditos tantæ perfectionis, & asperitatis, meritò iudicari debeat vsurpatum rigidè iuxta communem iuris Ecclesiastici vsum. 28.

k in cit. cap. 23. num. 51.

Documen

Documentum vltimum de legis humanæ ceſſatione ab obligatione ad mortale ceſſante illius cauſa.

SECTIO VLTIMA.

29. l cap. 5. vbi illud facit 3. Lex cum iuſta cauſſa obligans ad mortale, ea ceſſante nõ obligat.

POſtremum documẽtum, quod habet Alphonſus à Caſtro in lib. 1. de lege pœnali l, legem humanam, quæ propter aliquam cauſam obligat trãſgreſſorem ad peccatum mortale, ceſſante tali cauſa, non inducere amplius eiuſmodi obligationem. Ratio eſt quia vt lex obligans ad mortale ferri non potuiſſet, niſi iuſta adfuiſſet cauſa talis obligationis; ita nec lata manere poteſt cum tali obligatione, niſi manente tali cauſa: quia ceſſante cauſa, ceſſat & effectus. cap. Cùm ceſſante. de appellationibus. Itaque ſi propter graue ſcandalum, quod ex aliquo facto timetur, ipſum ſub pœna peccati mortalis prohibetur; ceſſante omni talis ſcandali occaſione, ceſſat & talis legis obligatio. Præterea ſi non extent amplius iuſtæ cauſæ, propter quas conſtat lege eſſe impoſita aliqua tributa, ceſſat & obligatio illa ſoluendi: vt plenius ibidem explicat Alphonſus. Qui etiam de duobus admonet; alterum eſt, intelligendum eſſe hoc documentum de ceſſatione totalis cauſæ legis; neque enim ceſſante cauſa partiali ceſſare legem: niſi fortè ſit talis cauſa, ex qua legis obligatio ita pendeat, vt ea ad hanc inducendam per ſe ſufficiat, omni alia cauſa ſecluſa. Alterum eſt eam ceſſationem contingere poſſe, vel vniuersè; vt quando totalis ipſa cauſa legis omnino tollitur; vel in aliquo particulari, vt quando aliqua rationabilem ſufficientémque cauſam habet, cur à commu-

communi talis legis obligatione eximatur, de quibus videre possunt plura in praxi fori pœnit. 3. part. tom. 1. lib. 3. *m* Sufficit autem hîc addere ex ipso Alphonso; *n* tunc siue cessatio vniuersè, siue in particulari contingat, posse quemque licitè (nisi obstet scandalum, quo debita superiori obedientia videatur ei denegari) contra legem agere. Intellige verò, supposito quòd res clara fuerit, seu apertè cõstiterit rationabilem causam adesse, ob quam si legislator præsens esset, omnino decerneret, aut decernere deberet, legem suam non esse seruandam. Nam si dubia sit cessatio causæ legis; vt contra hanc licitè agi possit, ne nos in nostra causa (quod facilè est) decipi contingat, recurrendum est ad superiorem, qui potestatem habet in lege ipsa dispensandi. Quomodo D. Thom. 2. 2. *o* id hoc habetur ex leg. 1. Cod. de legibus: *Nemini nisi principi licere legis interpretationem dare*, explicat inquiens, interpretationem locum habere in dubiis, in quibus non licet absque determinatione principis à verbis legis recedere: in manifestis autem non esse opus interpretatione, sed executione.

m tract. 4. cap. 3. q. 3. *n* in seq. docum. 5.

o qu. 120. art. 1. ad 3. Nemini nisi Principi legis interpretationẽ dare licet.

Quarta pars capitis, in qua traduntur reliquæ regulæ iudicandi de peccato, num sit mortale, an veniale, cum quibusdam additionibus eodem spectantibus.

SVMMARIVM.

31. *Pro regula iudicandi de peccatis haberi potest traditio virorum doctorum: & communis vsus piorum.*

32. *Duo*

32. *Duo documenta notanda de ijs, quæ in vsu, varia sint apud varios.* 33. *Transgrediens quamcumque legem superioris ex contemptu eiusdem legis, aut superioris, peccat mortaliter.* 34. *Quòd qua ratione probetur & restringatur.* 35. *Quomodo intelligi debeat diuisio peccati mortalis in superbiam, auaritiam, &c.* 36. *Quòd peccata venialia quantocumque sint numero, numquam æquiualeant vni mortali.* 37. *Obiectiones duæ in contrarium cum solutione.* 38. *Modus quo illud quod de se leuius est, per iterationem mortale esse contingit.* 39. *Idem actus potest successiuè esse peccatum veniale & mortale.*

40. *Veniale ex suo genere, non fit ex circumstantia mortale intra eamdem speciem.* 41. *Modi per se, & per aliud, sicut non mutant speciem in genere moris nec de veniali faciunt mortale.* 42. *Peccatum suo genere veniale non fit mortale per intensionem affectus voluntatis, in illius perpetratione.* 43. *Peccatum ex suo genere mortale, fit veniale, non per additionem aliquam, sed per detractionem.* 44. *Quomodo ex causa veniali, cogitatio aut delectatio genere suo mortalis, fit venialis.* 45. *Quod de cogitatione & delectatione in ea re dicitur, non habet pariter locum in operatione & omissione.* 46. *De defectu aduertentiæ excusantis operationem vel omissionem à mortali, & nonnumquam simpliciter à peccato.* 47. *Quòd ob metum etiam cadentem in constantem virum, peccatum non desinat esse mortale.*

Regula

Regula quarta de communi Doctorum & proborum sentiendi & agendi vsu.

REGVLA quarta ad iudicãdum de peccato, num sit mortale, sumi potest ex communi iudicio, & consuetudine virorum doctorum & piorum: nempe illud peccatum quod communis virorum doctorum traditio, communisque virorum piorum vsus damnat tamquam mortale, pro tali habendum esse; non autem illud de quo nullus solet ab illis fieri scrupulus. Hæc probatur: quia docti, si qui alij, possunt in dubio de lege aliqua ratiocinando cognoscere, num imponat obligationem ad mortale: ita vt id quod illi communi consensu dicunt esse peccatum mortale, ipsum censeri debeat tale esse, & confirmari optima ratione: vtpote quæ ad conciliandum inter homines iudicio præstantes vnanimem consensum valuerit: meritò etiam piorum virorum vita, communisq; sensus sumitur pro viuendi regula: quia sicut rectum habent circa res agendas affectum, ita meritò præsumuntur de iisdem rectum habere iudicium.

31. Peccatum quod communis Doctorum cõsensus tenet esse mortale, pro tale habendum est.

De istiusmodi autem, quæ variis in locis sunt vsu varia, operæpretium est duo documenta obseruare, quæ Driedo de libertate Christiana *q* collegit ex D. August. in epist. 118. ad Ianuarium. Prius est: vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid exhortationis melioris vitæ, id est, valent ad mouendos, & excitandos piè animos, accendendósque diuinæ dilectionis affectus: & ad excitationẽ, & custodiam fidei, diuiniq;

32.

q pagina 159 in antememorata editione.

cultus promotionem & augmentum : aut etiam ad inducendos Christianos in mysteriorum cœlestium reuerentiam, ac renouandam in illis, & confirmandam memoriam passionis Dominicæ, & beneficiorum per eam nobis impensorum : quæ inquam istiusmodi sunt, vbicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed & laudando, & imitando sectemur : nisi id aliquorum infirmitas ita impediat, vt maius detrimentum, quàm lucrum sit ex eorum obseruatione sperandum. Atque adeo in iis, quæ sic per loca variantur, non melior disciplina inueniri potest, quàm vt eo modo quisque agat, eúmque morem seruet, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè venerit, inquit loco citato D. Augustinus: & confirmat auctoritate D. Ambrosij, qui cum Mediolani ab ipso interrogaretur super consuetudine ieiunandi Sabbato, respondit: Cùm Romam venio ieiuno Sabbato: cum hîc sum, non ieiuno : sic etiam tu ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuipiam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.

Agẽda sunt quæ in Ecclesia in qua degimus agi videmus.

Posterius documentum est : ea quæ nec sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt: diuersorum autem locorum diuersis moribus ita variantur, vt vix, aut omninò nũquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis secuti sunt homines, nihílque valere videntur ad exhortationem melioris vitæ: meritò censeri resecanda, vbi facultas tribuitur : quia quantumcumque in eis non inueniatur, quòd ipsa sint contra fidem: religionem tamen

Quæ sint in Ecclesia resecanda.

tamen premunt seruilibus oneribus, à quibus Dominus noster illam voluit esse liberam : non subdens ampliùs suas, Mosaico illi iugo, quod (vt Actorum 15. D. Petrus dixit) *neque patres nostri, neque nos portare potuimus:* sed *suo iugo* (vt ipse vocat, Matt. 11.) *suaui, & oneri leui.* Vnde vt loco citato, sub initium ait D. Augustinus, Sacramentis numero pauciſſimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit. Quamquam tamē, vt addit Driedo *r* Ecclesia Dei nonnulla eiusmodi tolerat ad vitanda scandala, nisi sint contra fidem, aut bonos mores : qualia nec approbat, nec facit, nec dissimulat tacendo; sed reprehendit, auersatur, & damnat.

r pag. 161.

Regula quinta: de contemptu legis, aut legislatoris, ex quo iudicatur peccatum esse mortale.

QVinta, & postrema regula spectans ad omnē legem, potest hæc esse: quam Alphonsus tractat in lib. 1. de lege pœnali. sub finem quinti capitis. Lex omnis iusta quantumuis nullam aliàs induat obligationem ad culpam, vt consultoria : aut certè ad solam venialem; semper ad hoc obligat sub mortali, vt non contemnatur : seu (quod idem est) vt ei non contraueniatur ex contemptu. Cæterum censetur tunc legi contraueniri ex contemptu, non quidem quoties quis, etiam sciens, ei non obtemperauerit *s*; sed secundùm D. Thomam 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 3. & alios quos refert Couar. ad cap. Alma mater. de sententia excommunic. in 6. *t* quando voluntas ordinationi legis subiici renuit,

33. Lex omnis postulat vt non cōtraueniatur ei ex contemptu. / attamen contēnere dici potest, talis, idque cōgruenter verbis Leuitici cap. 26. ver. 15.

t parte prio re §. 7. nu. 6.

indéque procedit ad agendum contra illam: ita scilicet vt (Caietano interprete ad citatum D. Thomæ locum) simul concurrant transgressio legis tamquam effectus, & contemptus legis tamquam causa transgressionis, seu causa, qua quis mouetur, & inducitur ad legem ipsam transgrediendam. Quòd si ex aliqua alia particulari causa transgressio proueniat (addit D. Thomas) vt ex concupiscentia, vel ex ira, alióve huiusmodi affectu, non iudicabitur prouenire ex contemptu: ne quidem frequenter iterata: quidquid in contrarium plerique Canonistæ dixerint: quorum opinionem loco citato Couarruuias repudiat, hanc D. Thomas meritò cum Adriano & Alphonso approbans: quia *cùm septies in die cadat iustus*, ex cap. 24. Prouerb. iustus alioqui (quod absurdum est) dici deberet quotidie peccare ex contemptu, atque adeo mortaliter, secundùm hanc nostram regulam.

34. Quę à Caietano in summula, verbo cõtemptus, optimè ex eo confirmatur: quòd contra dilectionem Dei sit, nolle in aliquo ei subiici: & contra dilectionem proximi, quando subiectio ei debetur in aliquo, nolle tale debitum ei reddere. Atille, qui ex contemptu legem diuinam, aut humanam iustam transgreditur, non vult Deo, aut homini subiici quando debet. Talis ergo ipsius actio est contra dilectionem Dei, vel proximi, adeóque contra charitatem directè: & per consequens peccatum mortale, charitatísve (quæ est vita animæ) destructiuum. Itaque (inquit Caietanus) peccatum est mortale dicere verbum otiosum ex contemptu, hoc est, dicere, vt facias contra legem, quæ prohibet verbum otiosum.

Simi

Similiter peccatum est mortale nolle institutum religiosum suscipere ex contemptu consiliorum Christi, id est, vt non subiiciaris, sed contrauenias consiliis Christi. Admonet tamen idem Caietanus non peccare mortaliter eum, qui propterea legem transgreditur, quòd eam contemnat, non quidem simpliciter, id est, non quòd absolutè nolit legislatori obedire; sed secundum quid, nempe quòd illa sit in re leui, ob quam paruipendit non obedire: vt verbi gratia; Si prælatus subdito præcipiat, claude ostium, & subditus contemnat obtemperare in eiusmodi re leui, alioqui absolutè paratus obedire, non peccat mortaliter, nisi fortè ex scandalo, vel alia circumstantia peccatum aggrauaretur in infinitum: quia non præterit mandatum prælati, vt faciat contra illud absolutè prout mandatum est; sed cum hac additione prout mandatum est de re leui. Quo fit, vt talis transgressio mandati, non proueniat ex eo simpliciter, & absolutè, quòd contemnatur mandatum ipsum: sed ex eo quòd leue sit illud, quod in eo mandatur: ita vt affectus quasi sustentatus à tali leuitate, non tuat verè in contemptum: perinde ac vsuuenit in eo qui aliquid parui momenti furatur; cuius affectus ita sustentatur à paruitate rei, vt habeat se, quasi illius adimpletio, non esset transgressio præcepti, Non furaberis; maximè instituti ad impediendam proximi notabilem læsionē in suis rebus.

Quæ sint peccata ex contemptu.

Obseruationes cum prædictis regulis coniungendæ in iudicio de peccato, an sit mortale: quarum prima est de eo, quod peccatum mortale vulgo diuiditur in septem, quæ dicuntur capitalia.

35. HActenus regulæ iudicandi de peccato, an sit mortale: quibus addendæ sunt nonnullæ obseruationes, ipsis coniungendæ in tali iudicio: quarum prima est. Quòd vulgo existimatur peccatum mortale diuidi in superbiam, auaritiam, luxuriam, inuidiam, gulam, iram, & acediam: non esse sic intelligendum, quasi vel nulla sint alia peccata mortalia: id enim apertè falsum est: vel quasi illa sint cęteris omnibus peiora: quoniam hæresis (exempli gratia) desperatio, & odium Dei, sunt peiora, quàm auaritia & gula: vel demum quasi semper sint, aut sæpius sint mortalia: nam quædam ex eis tantùm sunt venialia ex suo genere: vt gula, & secundum quamdam acceptionem, tum ira, tum auaritia, tum etiam acedia sumpta generaliter pro pigritia, quorum explicationem persequimur in praxi, part. 3. tom. 2. cùm ad præcepta decalogi suis locis, de singulis inquirimus, sintne mortalia. Vera autem ratio ita diuidendi peccatum mortale est, quòd prædicta omnia peccata, præterquam quòd possunt esse mortalia, istud habeant peculiare, vt multorum aliorum fontes & quasi capita (vnde & peccata capitalia dicuntur) esse possint. Sic enim, cum quædam ex superbia vanáve gloria, tamquam ex infecto fonte scaturiant, ac quasi ex parente originem

Hæc propriè nō sunt mortalia peccata.

acci

accipiant, communiter appellantur filiæ ſuperbiæ ſeu vanæ gloriæ: quædam item ſimili de cauſa, filiæ auaritiæ: quædam filiæ luxuriæ, & ſic de cæteris, prout videri poteſt apud Nauarrum. in Enchirid. cap. 23. & ſuis locis declarabimus in praxi fori Pœnitentialis.

Obſeruatio ſecunda: de ratione, quâ contingere poteſt vt veniale ex ſuo genere, cenſeatur mortale.

SEcunda obſeruatio eſt. Peccata venialia, quantocumque ſint numero, non poſſe æquiualere vni mortali: ſicut nec pœnæ temporales illis debitæ æquiualere poſſunt vni æternæ, quæ huic debetur: cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Ita D. Thomas prima 2. quæſt. 88. art. 4. Et confirmatur, quia cùm peccata venialia non ſint contra charitatem, éa nuſquam hanc tollunt: etiamſi feruorem ipſius nonnihil impediant, dum per illa augentur affectus rerum terrenarum, quibus depreſſa voluntas, non ſolet eſſe tam prompta, neque tam feruere in Dei amore quàm alioqui poſſet: perinde ac puluiſculus in oculum iniectus, non extinguit quidem, obnubilat tamen viſum. Ad conſtitutionem autem peccati mortalis requiritur, vt ipſum ſit contra charitatem, hácque ſpoliet peccantem, & faciat æternæ mortis reum: quod omni peccato veniali negatur. 36. Peccata venialia numquam æquiualent vni mortali.

Si quis obiiciat ex cap. Tres. de pœnit. diſtinc. 1. Quæ humana fragilitate, quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt: ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, ſicut vnum aliquod 37.

grande peccatum respondendum est cum Nauarro ad idem cap. *t* non esse ita intelligenda ea verba, quasi plura venialia vnum mortale constituant: sed quòd dum multiplicantur, & negliguntur animam ad mortale disponant: sicut vulnus curabile si negligatur fit incurabile, vnde inquit D. Gregorius, lib. 10. moral. cap. 14. Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audacter etiam maiora perpetramus: parua enim illa, sunt quasi canículi latrantes, qui quamuis non mordeant, excitant tamen alios maiores domi dormientes, qui mordeant & deuorent, iuxta illud, Ecclesiastici 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Simili modo ad illud: peccata minima si negligantur, occidunt (quod est D. Augustini exponentis verba Ioan. 3. *Qui incredulus est filio non habebit vitam*) respondet D. Thom. loco cit. *v* inquiens sensum esse peccata venialia dispositiuè causare peccatum mortale: nempe impediendo feruorem charitatis, reddendóque hominem tepidum: cui in Apoc. cap. 3. dicitur: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*; aut etiam inducendo paulatim ad eum legis contemptum, de quo antea dictum est, prout communem annotationem habere Couarruuias ait ad cap. Alma mater. de sentent. excommunic. in 6. *x* Quod autem Panormitanus ad cap. Nam concupiscentiam. de constitut. aliíque nonnulli dixerunt peccatum veniale per consuetudinem, & frequentiam esse mortale, iuxta illud quod in cap. Vnum orarum distinct. 25. §. criminis, dicitur ebrietatem, si assidua sit in eorum (supple criminum capitaliũ) numero computari: idem Couar. ibidem ex eo reiicit, quòd sola iteratio actus non variet speciẽ illius in

t num. 6.

Multa venialia ad vnum mortale disponunt.

v ad 1.

x par. priore, 6. 7. nu. 7.

Iteratio actuũ nõ variat speciẽ illius in genere moru.

in genere morum, ſi ex parte operantis nihil aliud addatur vnde talis variatio oriatur: ita vt quintus ac ſextus actus ſint eiuſdem ſpeciei in genere morum, cum tertio & quarto; atque ita mendacium officioſum, aut verbum otioſum ſæpius iteratum, perinde eſt veniale centeſima vice (ſi cætera omnia ſint paria) ac prima vice prolatum. Illud verò capituli Vnum orarũ, gloſa ad verbum ebrietas, interpretatur de frequenti actu bibendi: qui quamuis de ſe tantùm ſit peccatum veniale: ſeu (vt in eodem paragrapho habetur) ad minuta peccata pertineat; tamen cùm ita aſſiduus eſt, vt tranſeat in ſtudiũ & voluntatem inebriandi ſe, peccatum eſt mortale, iuxta cap. Ante omnia. diſt. 35. & cap. à crapula, de vita & honeſt. Cleric.

Enimuerò ſi intentio agentis, ſiue in principio, ſiue poſtea per talis peccati iterationem deueniret ad aliquid in quo materia ſit ſufficiẽs ad peccatum mortale: vt per iterationem parui furti, ad quantitatem notabilem rei alienæ iniquè ſibi vſurpatæ; illud tali furtorum numero, per quod attingitur ad illam quantitatem notabilem, eriamſi non excedat præcedentia, ſitque perinde ac illa, furtum rei valoris tantùm modici, vt vnius oboli, peccatum erit mortale ratione præcedentium ſimilium cum quibus in vnum coaleſcens, & continuatum intentione agentis, conſtituit, ipſum reum notabilis iniuriæ proximo illatæ: atque adeo peccati mortalis iuxta primam regulam antè traditam. Huius doctrinæ (quam Nauarrus attingit in Enchir. c. 17. nu. 140.) fundamentum eſt, quòd per talem continuationẽ paruorum furtorum ſibi inuicem ſuccedentium facta ſit vna notabilis detentio rei alienæ; adeo vt

Multa venialia quomodo fiunt mortalia.

nihil in ea re minus sit, quàm si is qui talia furta cõtinuauit, totam summam simul sumpsisset. Idem iudicium est de quouis alio casu, in quo quis grauem proximo iniuriam in bonis siue animi, siue corporis inferre intẽdit, per leues iniurias iteratas: aut in quo per omissiones leues iteratas tẽditur ad notabilem Dei irreuerentiam. Illa enim omissio cuius continuatione cum præcedentibus, ad talem irreuerentiam pertingitur, peccatũ est mortale; vt cùm quis vouit quotidie recitare vnam orationem Dominicam cum salutatione Angelica, si negligit implere votum: primæ quidem omissiones ex paruitate materiæ tantùm sunt peccata venialia: sed illa quæ ratione præcedentium, cum quibus continuatur, & in vnam coalescit, continet notabilem Dei irreuerentiam, peccatũ est mortale. Quod intellige cùm intentio taliter vouentis fuerit applicare tempus ad rem voto promissam: id est, ita obligandi se ad aliquem dictarum orationum numerum, vt non debeat dies effluere, quin semel saltem eas recitet. Nam si intentio esset rem voto promissam applicare ad tempus: ita vt obligatio vltra illud non progrediatur (perinde scilicet ac obligatio recitãdi officium diuinum aliquo die occurrens, non progreditur vltra illum diem) neque maneat eo elapso: perinde centesima omissio peccatum esset veniale, ac prima: quia non cõtinuaretur, nec in vnam coalesceret cum præcedentibus. Cuiusmodi intentionem si vouens non habuerit expressam, censetur habuisse tacitam: quando votum emisit in reuerentiam diei assignati; vt quando vouit recitare semel dictam orationem Dominicam cum salutatione Ang-

Omissis orationis Dominicæ ex voto debitę quomodo sit peccatũ mortale.

Angelica, omni die Sabbathi: quia is ſpecialiter beatæ Virginis cultui dicatur.

Tertia obſeruatio: De ratione quâ idem actus humanus poteſt ſucceſſiuè eſſe peccatum veniale, & mortale.

OBſeruatio tertia eſt: actum liberum, qui in genere entis eſt idem numero, ſucceſſiuè in genere moris, poſſe eſſe peccatum veniale, & mortale. Quod de actu libero à voluntate imperato patet, ex eo quòd narratio fabuloſa, quæ ad inutiliter fallendum tempus inſtituta: inita fuit tantummodò peccatum veniale, in progreſſu relata ad finem mortaliter malum, fiet peccatum mortale: quia actio induit malitiam finis. Item ex eo quòd motus ſenſualitatis qui præcedens plenam deliberationē, eſt tantummodo peccatum veniale, permanens & approbatus à voluntate poſt perfectam deliberationem, peccatum ſit mortale, voluntate in eam plenè conſentiente, cùm priùs ſemiplenè ſolùm conſentiret, ob imperfectionem aduertentiæ ad eum. De elicito verò ſeu interiore voluntatis actu, idem (nempe ſucceſſiuè poſſe eſſe peccatum veniale, & mortale) patet: quia is exerceri poteſt circa obiectum mortaliter malum: prius quidem cum deliberatione, & aduertentia rationis tantùm ſemiplenâ; poſterius verò cum omnino plena, & per cōſequens ſucceſſiuè eſſe peccatum veniale, & mortale: voluntate ſcilicet prius ſemiplenè, & poſterius plenè conſentiente in tale malum. Neque eſt quòd quis opponat tunc eſſe diuerſum numero actum voluntatis, ſicut eſt intellectus. Id enim nullam vim habe 39.

habere, patet ex eo quòd aliqua cogitatione de nouo accedente circa obiectum, non varietur necessariò circa ipsum actus voluntatis: quia non omnis actus intellectus mouet voluntatem: vt argumento est, quòd eâ aliquid amplectente, multi interdum actus intellectus aduersus eam insurgant, tamquam reclamationes factæ ad ipsius reuocationem, nec effectum sortiantur: sed eadem in obiecto suum feratur perinde ac antea, contra propriam conscientiam remurmurantem.

Quarta obseruatio: De peccato veniali cuius malitia intra eamdem speciem augetur ex circumstantia.

40. OBseruatio quarta est, peccatum ex suo genere veniale, quod sub initium huius cap. descriptum est, numquam posse fieri mortale *a* ob solam circumstantiam ei addentem malitiam tantùm eiusdem speciei. Sic enim intelligendus est D. Thomas 1.2. quæst. 88. art. 5. cùm absolutè dixit peccatum veniale numquam posse fieri mortale ob circumstantiam. Nam id falsum est de veniali ex accidenti, seu ex imperfectione materiæ, vel deliberationis: siquidem imperfectioni illi succedente perfectione, ex veniali fit mortale: vt manifestum est in casu, quo voluntas furandi dilabitur à re modica ad magnam surripiendam: aut à consensu in fornicationem non plenè deliberato ad plenè deliberatum. Falsum etiam est de veniali in ordine ad circumstantiam mutantem peccati speciem. nam peccatum ex obiectio suo veniale essentialiter, ratione finis vel alterius

a nisi fortè ex superueniente conscientia erronea qua mortale esse iudicetur

Quomodo ex veniali fiat peccatũ mortale.

terius circumstantiæ mutantis speciem, effici potest, accidentaliter quidem, sed tamen verè mortale: vt visio quâ quis sine concupiscentia mulierem curiosè aspicit, peccatum est veniale curiositatis: quę perseuerans vsque ad deliberatam concupiscentiam, efficitur peccatum mortale ex ordinatione ipsius in finem mortaliter malum, malitiâ diuersæ speciei à malitia curiositatis.

Ex qua obseruatione intelligitur peccatum suo genere veniale, numquam fieri mortale, ex eo tantùm quòd prius propter se, & posterius propter aliud expetatur. Nam appeti propter se, aut propter aliud, modi sunt, qui etiamsi faciant diuersam speciem in ratione entis naturalis (illud enim facit intentionem finis, & hoc electionem medij, quæ sunt actiones voluntatis specie differentes) non faciunt tamen in ratione entis moralis: cùm ex illis secundùm se nõ exurgat diuersa deformitas seu repugnantia ad rectam rationem, morum regulam. Sic igitur mendacium iocosum numquam fit mortale, ex eo tantùm quòd prius expetitum propter aliud & tamquam medium: postea expetatur propter se, & tamquam finis: nisi fortè expetatur tamquam finis vltimus, hoc est, omnia in ipsum tamquam in summam beatitudinem Deúmve referendo, quia talis appetitio nouam acciperet peccati speciem; nempe idololatriæ, vel infidelitatis; quod peccatum cùm sit mortale (ex ordinatione scilicet mediorum in finẽ, Deo valde iniuriosa) certum est de veniali fieri peccatum mortale. Et quamuis eius generis appetitio vix expressè contingat ob illius absurditatem: tamen videri potest tacitè contingere in iis qui stultè ad aliquid nonnumquam ita 41.

ita afficiuntur, vt decernant omnia referre ad illius conseruationem: parati omnia iura violare ad illud consequendum, vel retinendum: qui quidem affectus peccatum est mortale per antedicta in 1. parte huius capitis, sectione posteriore.

42. Intelligitur adhuc ex eadem obseruatione: quòd cùm peccatū per intensionē affectus (quia nihil est aliud quā grauitas illius, in qua producitur à voluntate) non mutet speciem: ex veniali non fieri mortale ob solam intensionem actus & affectus voluntatis. Vnde non videtur assentiendum iis, qui docent verbum iocosum, secundùm libidinem, qua voluntas ad illud afficitur, posse ita crescere, vt sit peccatum mortale: Nam præterquam quod id durum est, dátque occasionem inquietudinis conscientiæ (quandoquidem subinde esset dubitandum de peccatis suo genere venialibus, an in eorum perpetratione tanta interuenerit libīdo quæ sufficiat ad peccatum mortale) ipsum ex eo reijcitur, quòd peccatum veniale non alio nomine à mortali in infinitum distare dicatur, quàm quod etiamsi per intentionem circa suum obiectum in immensum crescat, non perueniat ad mortale; nam si perueniret, nullo modo in infinitum ab eo distare diceretur.

Quia igitur peccatum ex suo genere veniale manens intra limites suæ speciei, quantumcumque intendatur, omnem suam malitiam ab obiecto proprio trahit; ex eóque nihil contrahit per quod tamquam charitati oppositum eam destruat (alioqui non esset ex suo genere veniale) non potest effici mortale, nisi per additionem circumstantiæ mutantis speciem: de qua re & in genere & in particulari

satis

ſatis multis agimus in Praxi fori pœniten. parte 3. tomo 1. lib. 4. ferè per totum.

Reliquæ obſeruationes.

OBſeruatio quinta eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 88. art. 6. peccatum quod eſt mortale ex ſuo genere, fieri poſſe veniale, non quidem per additionem alicuius, ſed per detractionem: aut deliberationis, vt cùm turpis affectus ex plenè deliberato fit ſemiplenè deliberatus: aut materiæ, vt cùm voluntas furandi à re magna ad paruam reuocatur. Defectus enim deliberationis & paruitas materiæ, vt iam in præcedentibus docuimus, facit culpam leuem, quæ cùm non diſſoluat amicitiam cum Deo, nec mortalis eſt. 43. Peccatum mortale quomodo fiat veniale.

Sexta obſeruatio eſt: motum cogitationis, vel delectationis ſecundùm ſe repugnantis præcepto, etiam obliganti ad mortale; ſicut ob aliquam circumſtantiam boni operis excuſatur omnino à peccato, iuxta communiter receptam doctrinam de iis, qui patiuntur turpes cogitationes in executione honeſti ſui muneris, (quale eſt audiendi confeſſiones, vel ſtudendi ad concionandum, &c.) *b* ita etiam & à mortali excuſari, ob id quod proueniat à cauſa venialiter tantùm illicita: vt exempli gratia, motum cogitationis, vel delectationis carnalis prouenientem ex verbis iocoſis, & otioſis, aut ex aſpectu aliquo inconſiderato, aut ex actione aliqua curioſa, non eſſe iudicandum peccatum mortale; etiamſi præuiſus eſſet, & cognitus ex tali cauſa ſequi: dummodò tamen quis eiuſmodi cauſis venialiter illicitis non occupet ſe ea intentione, vt delectatio 44. Quæ cogitatio vel delectatio turpis ſit ſine peccato mortali.

b De hoc in praxi fori pœnitẽ. par. 3. tom. 1. c. 5. in expoſit. 5. regulæ.

ctationem carnalem capiat ex cogitationibus inde prouenientibus. nam si talis delectatio fuerit voluntaria, ea non in sua tantùm causa, sed etiam in se mala erit: atque adeo non tantùm causæ suæ malitia veniali, sed etiam propriâ sua mortali. Dummodo item dictæ delectationi præsenti non præbeatur consensus, complacendo sibi in ea, ac dum periculum consentiendi adesse aduertitur, eadem repudietur, saltem nolendo ipsam: ac cogitationem quoad fieri potest aliò transferendo *c*. Ratio autem propositæ obseruationis sumitur ex humana fragilitate, ob quam tales cogitationis, & delectationis motus adeò facilè excitantur, vt non videantur in se voluntarij, ne quidem interpretatiuè, donec fuerit illis expressè adhibitus consensus, aut periculum adsit illis expressè consentiendi; vnde cùm in sua tantùm causa sint voluntarij, non habent plùs malitiæ moralis, quàm eadem sua causa habeat.

c In his casibus non dari excusationem à mortali patet ex iis quæ tradidimus in memorata expositione 5. regulæ.

45. De opere mortaliter illicito, nõ potest idem dici, quod de cogitatione est dictum.

Obseruatio septima est: non posse idem, quod iam de cogitatione, & delectatione dictum est, pariter dici de opere secundùm se mortaliter illicito. Ratio est quòd huius perpetratio, magis sit in potestate hominis, quàm motus illius, neque homo ipse cẽseri possit habere se ad opus passiuè magis, quam actiuè, sicut censetur se habere ad motus cogitationis, & delectationis. Hinc igitur fit, vt opus nihil habeat, vnde à mortali excusetur; cùm aliàs sufficienter habeat quod ad mortale requiratur; siue ex parte intellectus, qui ex hypothesi plenè ad illud aduertit: siue ex parte voluntatis quæ vult illud saltem indirectè, seu in sua causa (quod voluntarij genus ad peccatum etiam mortale sufficere posse cõmuniter conceditur) siue demum ex parte obiecti, quod

quod ponimus esse mortaliter malum. Quòd si tenuis tantùm, & aliquo modo confusa illius aduertentia, considerationeve præcesserit; quia nõ erit plenè volũtarium, nec etiam erit peccatum plusquam veniale: *d* sicut nec erit peccatum ne quidem veniale, si nulla penitus præcesserit illius considerationis, seu aduertentia actualis, etiamsi fuerit habitualis: quia nullo modo erit voluntarium, ne quidem eo nomine interpretatiuum, quòd consideratio ipsa haberi debuerit, & potuerit: quandoquidem prima consideratio circa obiectum aliquod, non est in hominis potestate, nec ab eo exercetur liberè: cùm alioqui deberet esse præconsiderata per aliam considerationem, & hæc rursus per aliam, & ita in infinitum, quod absurdum est.

d Ad quod faciunt tradita in 1. parte huius capitis.

Nota autem obiter (quod non videtur in hac re silentio prætereundum) operationem, vel omissionem de se illicitam, cuius nulla præcessit consideratio, ne quidem tenuis aut confusa, excusari à peccato tamquam indeliberatam: cùm omnis deliberatio sumat initium ab aliqua consideratione circa id, de quo deliberatur: ita vt nulla omnino interueniente circa obiectum aliquod consideratione, nec interueniat deliberatio, quæ ad peccatum necessaria est ex communi doctrina. *e* Itaque si toto aliquo die festo quis sua libera voluntate domi maneat, etiamsi habitu probè sciat eum esse diem festum, in quo audiẽda sit missa; sed de hac nihil omninò actu cogitauerit, excusatur à peccato transgressionis præcepti Ecclesiastici de audiẽda tali die Missa: siue causa domi manendi fuerit honesta, siue turpis, iuxta illud, quod docent Caietanus 1. 2. qu. 76. art 3. Alphonsus à Castro in lib. 2. de lege pœna-

46. Operatio vel omissio quam non præcessit cõsideratio, à peccato excusat.

e Eã tradimus in Praxi fori pœniten. par. 3. tom. 1. lib. 1. cap. 1.

li cap. 14. propoſit. 2. circa 2. concluſionem, & Couarruuias ad cap. Alma mater. parte priore. §. 10. nu. 16. euentum (vt homicidium) non imputari ad peccatũ ei, qui illud inuincibiliter ignorauit, etiáſi vacando rei illicitę cauſam illi dederit; quia ad rationem ignorantiæ inuincibilis alicuius facti, nihil ſpectat, quod à cauſa licita, vel ab illicita prouenerit: ſed tantùm quòd humanâ diligentiâ præuideri non potuerit: ſicut non potuit quando conſideratio illius nullo modo venit in mentem. Quamquã tamen ex turpi cauſa ſequens, imputabitur ad peccatum: non quidem in ſe, ſed in ſua cauſa; ſiue eo quòd malæ cauſæ effectus ſit *f*. Quòd ſi quis dum ſe applicare voluit alicui negotio, cognouit ex tali occupatione futurum, vt non aduerteret ſuo tempore ad præceptum audiendi Miſſam, non excuſabitur à peccato; quia talis inaduertentia culpabilis eſt in eo qui præuidens illius periculum, ſe ſponte ei expoſuit: vnde eadem inaduertentia tempore omiſſionis contingens, non impedit, quin omittens peccet: quemadmodum ſi quis apud ſe retinẽs aliquid venenoſum, ſciat periculum eſſe, ne imprudenter illud alicui ſumendum porrigat, non excuſatur ab homicidio, ex eo quòd poſtea porrigendo non aduerterit ad eiuſmodi periculum: idémque iudicandum eſt, ſi non ſciuerit quidem, probabiliter tamen, neque tantùm ſcrupulosè, dubitauerit, aut tenuem ſaltem, vel confuſam (ſufficientem tamen ad conſultationem inchoãdam) habuerit cognitionem de tali periculo & abſque diligentia adhibita in eo inueſtigando, nullum adeſſe ſine probabilitate crediderit. Namque talis inaduertentia rationem habet tantùm ignorantiæ vincibilis: cùm ſufficiens

f Hoc ſub finem citati 1. cap. expoſitum eſt à nobis.

sufficiens principiũ inuestigationis, per quam vinci potuisset, eam præcesserit: nimirum notitia illa tenuis, vel dubitatio. Secus esset autem si solicitè inuestigans tale periculum, vtendo debita inspectione circumstantiarum personæ, temporis, loci, & occupationis, tandem iudicaret probabiliter nullum verè adesse: contrariámque dubitationem leuem esse, ac scrupulosam. Nam tunc inaduertentia rationem haberet ignorantiæ probabilis excusantis à peccato, hinc intelligitur, si quis nullo modo cogitans, aut dubitans de periculo, proiiciat lapidem, quem putat esse pomum, & aliquem occidat, non esse reum homicidij; si verò cogitans, aut rationabiliter dubitans de periculo absque alia inuestigatione proiiciat, & occidat, reum esse homicidij, & sic de aliis similibus.

Euētus quidam quorũ periculum causæ ipsæ manifestãt.

Aduerte autem quosdam esse euentus, quorum periculum causæ ipsorum statim manifestãt: vt displosio catapultæ in via publica, periculum homicidij, accensio ignis circa alienas segetes tempore messis, periculum cõflagrationis eorumdem; atque circa eiusmodi vix contingere inaduertentiam inculpabilem, à peccato excusantem; nisi quòd possit interdum fieri, vt operatio sit adeo subita, vt nulla præcesserit de periculo cogitatio.

47. Quod fit metu non definit esse mortale.

Vltima obseruatio est. Id quod alias peccatum est mortale, non desinere tale esse, ex eo quòd fiat metu: vt prostitutionem pudicitiæ in puella, non desinere peccatum esse mortale, ex eo quòd hæc ad illam sit inducta metu mortis. Probatur, quia ratio voluntarij ad mortale sufficientis, non tollitur per metum. Quamuis enim quod metu fit (vt fuga ex prælio, vel mercium abiectio in mare metu

mortis) partim voluntarium, partim inuoluntarium esse dicatur; simpliciter tamen est voluntarium, & secundùm quid tantùm inuoluntarium, vt D. Thomas habet 1.2. quæst. 6. art. 6. Et probatur: quia est magis voluntarium quàm inuoluntarium: cùm dicatur, sitque voluntarium efficaci voluntate: id est, ex qua effectus est secutus: inuoluntarium verò ex voluntate inefficaci, seu quæ nullum sortita est effectum, velleitásque fuit, non voluntas absoluta. At quod maiori & meliori ex parte tale est, dicitur simpliciter tale, vt Æthiops simpliciter dicitur niger, quia maxima ex parte niger est: licet albos dentes habeat, ex quibus secundùm quid albus dicitur. Quòd si metus grauis aliquando ab obseruatione legis excusat *g*, id fit non quòd metus de se tollat voluntarium sufficiés ad peccatum: sed quòd legislator non intendat subditos obligare cum dispendio illo graui, de quo concipitur metus grauis & cadens in constantem virum.

g Id expositũ est a nobis in citato lib. 1. cap. vlt.

CAPVT X.

De prudentia Confessarij in tranquillando Pœnitentis animo agitato scrupulis.

SVMMARIVM.

1. *Libertinis vtiles sunt scrupuli, timoratis pernicioſi.* 2. *Damna quæ scrupuli afferunt.* 3. *Primũ aduersus scrupulos medicina, est animæ præparatio ad diutnam gratiam, per confessionem Sacramentalem, humilitatem, & timorem Dei.* 4. *Lectio librorum*

piorum

piorum est altera medicina ad præcedentem disponens. 5. Oratio cum ieiunio, & alijs bonis operibus, maximè autẽ sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio. 3. Aduersus scrupulos generalis medicina. 6. Pharmaca ad subeunda aduersus humores iudicium debilitantes, si inde scrupuli prouenire deprehendantur. 7. Sequi prudentiorum & bonorum iudicium remedium est aduersus scrupulos accommodatum. 8. Est item secundùm idem iudicium, & nonnunquam secundùm proprium scrupulos impugnare ac repellere. 9. Contemnendos esse insurgentes scrupulos. 10. Agendum esse contra scrupulos, nec illis per pusillanimitatem cedendum. 11. Ratio roborandi animum contra pusillanimitatem. 12. Ratio qua agendũ est cõtra scrupulũ. 13. Quales medicinæ qualibus scrupulis curandis censeantur accommodatæ. 14. Duo scrupulorum prima genera, & duæ primæ causæ eorumdem.

RATIO, quæ animo scrupulis vexato trãquillitas afferri potest, duplex est: vna generalis, seu quæ potest vsui esse in omni genere scrupulorum; & altera specialis, diuersis scrupulorum generibus accommodata. Illam trademus in hoc cap. & hanc in sequenti. Medendi scrupulis ratio duplex, generalis, & specialis.

Præmonendum est autem, iis quidem, qui laxioris sunt conscientiæ, nec pernicioſam peccandi libertatem (aut potiùs seruitutem) adhuc à se depulerunt, vtiles esse scrupulos, qui conscientiam ipsorum constringant, vt ad mediocritatem tandem traducantur. Iis verò, qui non ita laxam habent conscientiam, sed puritati in primis dant operam, idque omni ope, & studio adnituntur, vt 1.

Domino Deo placeant, vehementer obsunt scrupuli. faciunt enim, vt sæpius peccent, quàm alioqui peccarent: nam in iis, quæ indifferentia sunt, qui liberiore vtitur cõscientia, minus peccat: quia multa ex illis, imò & ex malis aliqua, sæpe sibi licere existimat: vnde quia non agit contra conscientiam, sæpe excusatur. Qui verò arctam nimis, & infirmam habet conscientiam, de omnibus ferè dubitans, sæpe agit contra conscientiam suam, quod est peccatum; ideóque frequentiùs ipse peccat quàm peccaret si liberiore vteretur conscientia.

2. Scrupuli quietos animos valde perturbant.

Perturbant præterea scrupuli mirum in modum quietos animos, eisque suauem spiritus dulcedinem, & pacem eripiunt; ita vt plurimùm alacritatis, & promptitudinis seruiendi Deo, mœrore depereat, atque, cùm orandum est, meditandum, legendum, studendum, sese offerentes scrupuli, in rem propositam attentè incumbere non patiuntur. Scrupulis quoque ita sæpe turbatur rationis iudicium, vt mens prorsus hebescat, ac etiam de statu suo dimoueatur, corpus item adeo vehementer commoueatur, ac cerebrum ita agitetur, vt homo interiores suas ineptias exteriùs prodat, seque aliis ridendum exhibeat, ac inconstans identidem effectus, modò susceptam actionem, ob nouum aliquem scrupulum intermittat: modò ob contrariam dubitationem resumat: Itémque pusillanimis effectus, si concionandum, vel docendum, vel ad Dei gloriam aliud agendum sit, difficultatibus occurrentibus impugnari se permittens, sic expugnatur, vt nusquam in conspectum hominum venire audeat, reddatúrque ad omnia ineptus: qui sine scrupulis multa præclara emiti posset, donis naturalibus,

& pra

& præsidiis plurimis instructus. Quod notatum est à Gersone in tract. de diuersis diaboli tentationibus. Aduersus hæc igitur, & alia grauia incommoda aliquæ animi scrupulosi quasi medicinæ salutares traduntur à D. Anton. *a* & à Caiet. & Syluestro in verbo Scrupulus *b*, & à Nauar. in Enchir. *c* & à Corduben. in quæstionario *d*.

a 1. part. tit. 3 cap. 10. §. 10.

b quæst. 3.

c cap. 27. nu. 282. & nonnullis sequentibus.

d libr. 3. qu. 13. & 14.

Prima scrupulosi medicina est diuina gratia.

Prima est debita præparatio ad diuinam gratiam obtinendam, qua interiùs foueatur, ac roboretur animus: præparatio autem est, vt idem animus à peccatorum sordibus perpurgetur confessionis sacramentalis quasi scopis. *In animam enim maleuolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sapien. 1. itémque exornetur quasi aulæis, tum humilitatis, quia *Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.* Iacob. 4. tũ timoris Domini, quia *initium sapientiæ timor Domini.* Psal. 110. atque ea, quæ ad fructuosè instituendam confessionem requiruntur satis intelligi possunt ex antedictis, si paucis monuerimus pœnitentem in ea facienda, tamquam reum debere curare de peccatis commissis, tum dolorem cum peccatrice rigante lacrymis pedes Domini, Luc. 7. & cum D. Petro flente amarè Matth. 26. Tum pudorem cum Publicano stante à longè, ex cap. Lucæ. 18. Tũ demum fauorẽ cum Niniuitis, qui terrore mali impendentis concussi pœnitentiã egerunt, Ionæ 3. tamquã accusatorẽ verò, & testem debere declarare primò defectus commissos in postrema sua confessione, si quos notauerit examinando conscientiam suam. Deinde verò breuiter & perspicuè declarare peccata omnia, quibus conscientiam habet grauatam. Atque breuitatem iuuabit, non modò euitatio superfluorum, sed etiam ob-

seruatio ordinis: qui sumi potest ex ordine præceptorum decalogi, dicendo prima loco quo reduci possunt ad primum præceptum decalogi, & sic de cæteris. Ad perspicuitatem autem requiritur, vt vitentur ambages verborum, & peccata sic declarentur, vt Confessarius possit intelligere quæ, & qualia sint, quámque grauia: expositis specie, & numero eorum, atque circumstantiis ea notabiliter aggrauantibus, quales non rarò occurrunt prauorum affectuum, ex quibus aliquid dictum, vel factum, vel concupitum vel omissum fuerit contra legem æternam.

De humilitate in confessione adhibenda.

De humilitate verò, illud paucis monendum est, ex parte quidem intellectus requirere, vt habens firmiter persuasum te imbecillem esse ad omne bonum inchoandum, & perficiendum: nisi gratia Dei te anteuertat, & manu ducat: iuxta illud Domini Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & illud Sapientis Prouer. 16. *Cor hominis disponit viam suã, sed Domini est dirigere gressus eius.* Ex parte verò voluntatis requirere, vt soli Deo optes gloriam, & honorem, téque coram illo posternas toto animo, & affectu ad instar seniorum, qui ex cap. 4. Apocalyps. *Adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebãt coronas ante thronum dicentes, dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Atque inter cætera ad eam acquirendam mirificè iuuare, si nobis ob oculos ponamus vitam Christi, & mores Sanctorum iam cum ipso regnantium: facta enim illorum cum nobis comparatione, facilè perspiciemus, quàm longè à Christiana perfectione absumus, & quantum ad eam cõsequendam egeamus speciali Dei auxilio.

De

De timore autem Dei, monendũ est ipsum conseruare eam munditiam quæ per Sacramentalem confessionem acquiritur. Nam (iuxta illud, Psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.*) Continet animam in obseruatione diuinorum mandatorum: instar calcaris vrgens eam, ad executionem bonorum, quæ Deus præcipit: & instar freni, retrahens à perpetratione malorum, quæ Deus prohibet. Illum verò foueri in animis nostris in primis consideratione nouissimorum, ideſt, mortis, & supremi iudicij, æternorúmque supplicíorum: adeo vt illa, cuius meminimus, conseruatio munditiei animi, tribuatur tali considerationi, cùm dicitur, Ecclesiastici 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quibus adde cũ Caietano in summula verbo scrupulus, illum non disponere se, vt par esset ad obtinendum aduersus scrupulos supernaturale auxilium, qui peccata (etiam tantùm venialia) parui pendit: quoniam non est mirum, illi deesse Angelicam custodiam ad perseuerandum, qui sibi deesse paruipendit.

Timor Dei conseruat cordis mũditiam.

Secunda medicina est sacra lectio; ad quam D. Paulus hortatur discipulum suum Timotheum in priori epist. cap. 4. inquiens: *dum venio attende lectioni.* Quamuis autem per lectionem sacram, præcipuè intelligatur lectio librorum sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ: eo tamen nomine hîc etiam intelligitur lectio aliorum librorum piorum, ab Ecclesiasticis doctoribus conscriptorum, ad rectam morum informationem; propositâ in exemplum Christi, & Sanctorum vitâ, traditísque documentis vtilibus ad illuminandos mentis oculos, vt in

4. Secũda medicina contra scrupulosos est sacra lectio.

agendis cernant vitij turpitudinem, & virtutis honestatem, ac dæmonis in fallendo versutiam, artésque varias: additis considerationibus accommodatis inflammandæ voluntati, ad tenendam constanter angustam salutis viam. Quæ medicina præcedentem disponit ad effectum suum consequendum. Non est autem temerè vsurpanda, sed cum ea moderatione, vt delectus librorum habeatur iuxta cuiusque captum, & ægritudinem animi; neque delecti legi debent cum curiositate discendi, sed cum desiderio bene agendi; quoniam illo modo lectos non iuuare, obseruatum esse experientia monet. D. Aug. in lib. de opere monach. c. 17.

Deuota oratio tertia scrupulosi medicina.

5. Tertia medicina est deuota oratio, quam D. Antoninus notat valere præcipuè ad tollendos scrupulos, prout proueniunt ex tentatione diaboli, nam quod diabolus in lunatico sanato à Christo, Matth. 17. corporaliter gessit, quandoque in ignē, & quandoque in aquam illum proiiciens: idem spiritaliter gerit in scrupuloso, eum transferens ex vno scrupulo in alterum contrarium. Quare quod ibidem Dominus dixit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio*, locum habere potest in eiectione dæmonis agitantis animum scrupulis; ita vt meritò deuota oratio ponatur inter scrupulosorum medicinas. Requirit autem deuota oratio, vt efficax sit: primò vt nihil Deo indignum in ea petatur: quale est quid turpe, aut vtile non relatum in debitum finem. Secundò vt fiat per Christum, id est, vt non petamus, quasi fulti nostris meritis, sed meritis Christi: per quem, vt ait Apostolus, ad Ephes. 2. *habemus accessum ad patrem*. Tertiò, vt fiat cum animi auersione à peccato, iuxta

Ad deuotā orationem quæ requirantur.

illud

illud Psalm. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* & illud, Isai. 1. *Cùm multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam, dicit Dominus: quia manus vestræ plenæ sunt sanguine.* Quartò, vt cum fiducia petamus, nihil hæsitantes, ex cap. 1. epist. D. Iacobi. Humiliter enim confidendum est Deum daturum, quod petimus, si nobis expediat. Quintò, vt feruenter, & perseueranter petamus, quod iudicatum est à Domino per parabolam de eo qui media nocte ab amico petiit commodato tres panes, quos prius recusatos obtinuit perseuerans pulsando, & petendo, Luc. 11. Ad orationem autem rectè adiungi ieiunium satis indicant citata Domini verba. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio.* Similiter *e* rectè adiungi alia bona opera, tam propria, quàm aliena, dubitari non potest; inter quæ meritò commendatur in primis frequentatio sacrosanctæ communionis, quæ præter cætera, quæ homini adfert commoda, robore spiritali complet animum ipsius: prout mysticè significatum est, 3. Reg. 19. per panem subcineritium, *in cuius fortitudine Elias ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; viresque diaboli tentantis eneruat, vt indicatur per illud, Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam*, aduersus eos qui tribulant me.

e quod habet Caiet. in verbo scrupulus.

Quarta medicina sunt Pharmaca, quæ ab arte medicinæ præscribuntur aduersus melancholiam, & alios humores iudicium debilitantes: siquidem scrupuli inde prouenire deprehendantur. In quam sententiam D. Antoninus dictum accipit illud Ecclesiastici 38. *Altissimus creauit de terra medicinam, & vir sapiens nō abhorrebit illam*, admonens tamen

6. Pharmaca sunt etiam scrupulosis consulēda.

non

non expedire ad conscientiæ sanitatem, medicinaliter in omnibus viuere: cùm (vt ex D. Ambrosio habetur in cap. contraria.de consecr. distinct.5.) Contraria diuinæ conditioni sunt præcepta medicinæ, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat.

7. Quinta medicina quam Gerson frequenter inculcat in tertia parte suorum operum, vt in lib. de vita spirituali animæ *f*, in tract. de meditatione *g*, & in tract. eo remediis contra pusillanimitatem *h*, & tract. de diuersis tentationibus *i*, & contra professum inobedientem *k*, est iudicio sapientiorum & bonorum, etiamsi prælati superioresve non sint, suum iudicium humiliter subiicere. Ea autem huic sensum habet, vt Cordubensis exponit *l*: vt scrupulosus debeat exercendo humilitatem Deo acceptissimam, valdéque meritoriam subiicere suum iudicium: non solùm obedientiæ, iudicióque suorum superiorum, sed etiam sapientiorum, & bonorum virorum; & secundùm illud, quantumcumque sibi aliud videatur, captiuando intellectum formare conscientiam, quòd liceat sibi id agere quod illi iudicant licere. Nam quamuis, non quidem ad imperium superioris, liceat alicui vllo modo illud agere, quod apertè cognoscit illicitum esse: illud tamen de quo dubitat, nec sibi satisfacere potest, agere ei licet deposita dubitatione, & tuta conscientia sibi firmata ex superiorum, aut aliorum sapientiorum, ac bonorum consilio. Ratio est, quia cum nobis non sufficimus, rationabiliter confugimus ad sapientiores, & eos sequimur, quemadmodum indicat scriptura, cùm vna ex pa-

f lect. 4. corol. 8.
g Alphab. 68. lit. p
h Alphab. 69. lit. e
i Alphab. 71 lit. e
k Alphab. 71. lit. a b
l in cit. qu. 14. versu. Quintus modus. Scrupulosi alterius quàm non superioris iudicio suũ subiiciunt.

re admonet, Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ:* & ex altera, Tobiæ 4. *Consilium semper à sapiente perquire.* Et certè qui hanc medicinam respueret, cæteris fructuosè vti non posset: quia in moralibus omnia particularia debent ex generalibus regulis dirigi secundum iudicium prudentiæ, seu viri docti, ac bene ad ipsa particularia affecti: in quo vsu tuti sunt in primis religiosi qui obligantur suis superioribus in dubio obtemperare: vt rectè vrget Gerson aduersus professum inobedientem ex verbis Domini, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: & vt idem habet in lib. 4. de consolatione Theologiæ *m*, religionum instituendarum principalis causa, fuit authoritas reginis, cui magis obedientia præstaretur quàm propriæ rationi: quæ in plurimis valde dubia est, debilis, & incerta.

m prosa 3. lit. h

Sexta medicina, quam multis etiam locis in 3. parte Gerson habet vt in tract. de meditatione *n* & in tract. de remediis contra pusillanimitatem *o*, & in tract. de diuersis diaboli tentationibus *p*, & in tract. de remediis contra spiritum blasphemiæ *q*, est animosa impugnatio, & repulsio scrupulorum ac pusillanimitatis, hominem his obnoxium facientis. De qua repulsione (ei accommodantes illud Isaiæ 35. *Dicite pusillanimes, confortamini, & nolite timere*) duo post eundem Gersonem & D. Antoninum, Syluester, & Cordubensis tradunt *r*, vnum estillam debere fieri ex aliorum consilio, quorum iudicio præcedens regula præscribit suum submittere. Quamquam tamen (vt Syluester addit, & Cordubensis approbat) quisque eam tuta cõscientia facere potest ex proprio consilio, quando probabilem,

8.
n Alphab. 68. lit. p.
o Alph. 69. lit. vltima.
p Alph. 70. lit. q
q Alph. 71. lit. n o p.
r locis cit.

babilem, sufficientémque rationem habuerit, quòd ita facere possit, quódque ipse (maximè si doctus sit) ita alteri consuleret in simili negotio. nam tunc quoque ageret cum morali certitudine, quod sufficit ad excusationem à peccato. Alterum est talis repulsionis modum esse; præuio iam dicto cũ prudenti consilio, tum contemnere scrupulos, tum etiam contra eos agere. Contemnere quidem, quia vt ex eodem Gersone, D. Antoninus habet mille surgunt apud aliquos scrupuli, more canum oblatrantes, & lacerare minantes eos, qui volunt ire per viam Dei: quos conuincere, & compescere melius, quàm per contemptum nequeas. Et ratio est: quia sic surgunt operante diabolo, qui, vt ex D. Gregorio addit D. Antoninus, similis est myrmicoleoni, qui cùm insidietur formicis, ipsásque occidat (vnde & nomen accepit) cæterorum animalium grandiorum pedibus conculcatur, & atteritur. Diabolus enim eos, qui pusillanimes sunt, & ad ipsius insultus facilè pauent, quasi formicæ hærentes animo, scrupulis obiectis, solet obruere. Dum enim cogitationem non auertunt à re de qua scrupulus inuicitur (vt Caietanus in verbo scrupulus obseruat) ex illo vno scrupulo multi sequuntur, non secus ac in lateribus ordinatè hærentibus; motu vno, alij cadendo sequuntur, ita vt animum ipsum in quem cadunt, facilè obruant. Ab iis verò, qui iuxta D. Petrum in 1. sua epist. cap. 5. illi resistunt fortes in fide, contemptus, & quasi pedibus ipsorum protritus, aufugit: iuxta illud, D. Iacob. cap. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Diabolus similis est myrmicoleoni.

10. Contra scrupulos autem oportet agere; quia, vt qui nauigare non audet, cùm sæpius superato illo timore

timore nauim conscenderit, & maria tranauerit, nauigationis pericula amplius non pertimescit. Vt etiam qui sub trabe aliqua vel saxo pendente transire timet, etiamsi alios transire videat, vbi semel, iterumque, ac tertiò transiit; metum omnem deponit: ita qui sæpius audacter contra scrupulos agit, percipit se tamdem nullo modo moueri iis, quibus antea terrebatur. Roborandus est igitur animus aduersus pusillanimitatem, quæ hominem reddit obnoxium scrupulis, in iisque ingerendis seruit diabolo, qui proinde eam fouet, eique vires addere solet in homine pauido, obiectu naturalium, quos patitur, defectuum: quemadmodum notat Gerson in tract. de remediis contra pusillanimitatem *f*: vsque adeo, vt interdum faciat ipsum extra se esse, nisique fortiter resistat, semel, aut iterum superatus vix deinde possit curari, adduciue ad inanem timorem deponendum. Et ita nonnumquam notantur aliqui eò pusillanimitatis deuenisse, postquam dæmoni difficultates obtrudenti cesserunt, oppugnatique se expugnari permiserunt; vt malint quiduis potiùs perpeti, quàm in publicum prodire ad docendum, vel aliquid simile agendum.

Roborandus est animus contra pusillanimitatem.

f loc. cit.

II.

Roborandi autem animi aduersus pusillanimitatem, prædicti auctores rationem hanc tradunt; vt quemadmodum is, qui vult lignum curuum reddere rectum, debet ipsum retorquere in partem oppositam ipsum curuando: ita qui vult rectam facere conscientiam scrupulis distortam, debet agendo contra eosdem scrupulos, eam inflectere in partem oppositam. Istud est quod tum ex iisdem auctoribus, tum ex aliis quibusdam habet Nauarrus *t*, vtile sanctumque esse scrupulosos frequenter, &

t ad cap. Si quis autem. de pœnitent. dist. 7. num. 65.

& fortiter contra suos scrupulos agere; tutiorem etiam partem omittendo, vt animæ tranquillitate sibi quæsita, sedato & integro pectore Christo seruiant, Christum ament, & colant.

12. Quod tamen, vt idem admonet *v*, intelligendum est, non vt id quod minus tutum est, faciant animo suo dubitante, an id tutum sit necne: sed vt primùm credant, illud ipsum minus tutum, satis tutum esse, etiamsi de eo scrupulũ habeant, aliúdque tutius sit: atque adeo licet ipsis occurrant argumenta in contrarium, & apparentiæ, quibus satisfacere non possint, dummodò argumenta sufficientia pro se habeant aut rationabiliter credant, maneátq; in eis certitudo moralis. Quam quidem non tolli necessariò, per apparentiam argumentiin oppositum, quod non possis soluere: ex eo patet, quòd etiamsi aliquando patiamur apparentias contra fidei articulos, quas soluere non possumus: non ideo tamẽ desinamus habere de illis certitudinem fidei: neque ideo propriè dubitemus, quandoquidem essemus alioqui infideles, iuxta illud, in cap. 8 de hæreticis, *dubius in fide, infidelis est.*

v in seq. num. 78.

13. Benigna legum interpretatio est septima cõtra scrupulos mediorum.

Septimam medicinam memorati auctores constituunt legum interpretationem benignam; de qua in praxi fori Pœnitent. agimus proprio loco in 3. parte tom. 1. libr. 3. & pro conscientia pacanda in dubio, consultum est Doctorum iudicium exquirere. Cæterùm vt in corporali, sic in spirituali medicina, pro principio habendum est (vt sub initium tractatus de remediis contra pusillanimitatem attigit Gerson) contraria aptè adhibere ad contrariorum curationem: variáque antidota, variis morborum generibus accommodanda esse, spectando cuiusque

cuiusque morbi causam. Vnde si scrupuli causa sit aliquod argumentum, seu ratio: ad curationem illius adhiberi poterit quinta medicina, ante tradita de sequendo iudicio prudentiorum. Si verò causa scrupuli sit corporis malè affecti, ac cerebri propterea perturbati vitium: is sanandus est remedio quartæ medicinæ ante traditæ, hoc est, remedio pharmacorum, & aliorum, quibus curatur corpus. Sin autem sit tentatio diaboli, applicanda est tertia medicina deuotæ orationis: vt iam ex D. Antonino attigimus. Sin ex consuetudine virorum, aut lectione librorum scrupulosorum; ab vtraque abstinendum est. Sin ex ignorantia, legendum, conferendum, consulendum, ac prudentioribus obtemperandum. Sin ex inconstantia in rebus agendis, assuescendum id, quod semel rectè deliberatum fuerit constanter exequi, nihilque dubitatione contraria moueri: quod est in remedium sumere sextam medicinam ante traditam: cui ne desit moderatio ex Nauarro addita cauendum est; taliumque scrupulosorũ Confessario danda est opera, vt non timidè, sed fidenter, absolutéque illis præcipiat id, quod est agendum. Nam si medicus medendo vacillauerit, non poterit esse in ægroto securitas: siquidem iuxta cuiusdam Poëtæ dictum: *Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.* Sin autem ex vehementi imaginatione oriatur scrupulus; auertenda est ab huiusmodi cogitatio, & paulatim desuescenda phantasia, vt non ita laxis habenis feratur, noscque nolentes rapiat: si denique ex nimia sollicitudine cauendi omne id, quod malum est, aut indiscreto puritatis studio, vel inordinato Dei timore: considerandum est nos non posse sine spe-

ciali Dei auxilio bene agere, ac magna ex parte tales scrupulos ex eo oriri, quòd nimium nostris viribus fidamus, nec diuinam opem satis implore-mus, nec ad ipsius misericordiam satis attenda-mus, illúdque minimè expendamus, nec Deum tyrannum esse, nec nos esse angelos.

14. Scrupulorũ varietas.

Iam cùm scrupuli sint varij : & eorum quidam pertineant ad ea quæ facta sunt: quidam verò ad ea quæ facienda sunt: illis prioribus solet homo præsertim vexari, eo quòd sæpe inter sensum, & consensum nequeat satis distinguere : vnde fit, vt in multis sic angatur, vt se putet tunc mortaliter peccasse, cùm nullum peccatum admisit : suspicans, nimirum se non solùm sensisse, sed etiam consensisse; vt cùm passus turpent cogitationem, turbatur, quòd se in eam consensisse existimet : quam turbationem dæmon videns, conatur quantum potest eam augere. Posterioribus verò scrupulis vexatur homo, vno ferè modo : dum nimirum habet omnia suspecta, ideóque non agit liberè, sed trepidat ignorans, an id quod agendum est, peccatum sit, nécne : quod quidem non tantùm ignaris, sed etiam doctis solet interdum accidere; qui sciũt quidem in genere iudicare quid sit, vel non sit peccatum; quid peccatum mortale, & quid tantùm veniale; imò & in particulari tale iudicium quoad alios ferre sciunt: sed quoad se, ac suas actiones singulas, eâdem libertate vti non possunt, vnde & ipsi turbationes, non secus ac ignari patiuntur, siue in loquendo, siue in agendo : dum subinde suspicãtur in verbis suis inesse vel mendacium, vel detractionem: & in factis defectum debitarum circumstantiarum.

CAPVT

CAPVT II.

De speciali ratione tranquillandi animum certis quibusdam scrupulis agitatum.

SVMMARIVM.

1. *Scrupuli de cogitationibus fœdæ libidinis, vel blasphemiæ, vel infidelitatis, de motibus iræ, vel invidiæ, vel odij, cum remedijs quibus curandi sunt.* 2. *Eorum primum est considerare, quòd peccatum mortale requirat deliberatum consensum.* 3. *Alterum remedium tales scrupulos contemnere.* 4. *Tertium occasiones illorum auferre, séque Deo, & sanctis commendare.* 5. *Quando & qualiter de talibus scrupulis confessio possit fieri.* 6. *Scrupulis agitatus labens in aliquod peccatum mortale, debet per veram pœnitentiam confidenter recurrere ad Dei misericordiam.* 7. *Scrupulus vexatorum inani suspicione, quòd in agendo peccarunt mortaliter, & illius remedium.* 8. *Quædam quæ possunt talibus inculcari ad ipsorum consolationem.* 9. *De vexatorum inani dubitatione, an de peccatis sufficientem dolorem habeant, aut sufficiens emendationis propositum: atque illius remedium.* 10. *Scrupulus vexatorum inani persuasione, quòd suas confessiones debitè non fecerint, illiúsque remedium.* 11. *Rationes quibus sic vexati induci possunt ad deponendam anxietatem iterandi confessiones iam factas.* 12. *Scrupulus vexatorum anxietate nimia, confitendi peccata venialia, & remedium.* 13. *Scrupulus vexatorum, quòd non recor-*

dentur, an aliqua sua peccata in suis confessionibus expresserint. 14. *Scrupulus se in oratione vocali vexantium iteratione eorum quæ dixerunt, quasi non dixerint attentè, aut verba non protulerint plenè.*

15. *Item se vexantium quòd nesciant an aliquid de suis precibus omiserit.* 16. *Scrupulus eorum qui vexant se, eo quòd in suis orationibus, & pijs exercitijs, non sentiant consolationes.* 17. *Scrupulus quo aliqui vexantur sumpturi sacrosanctam Eucharistiam, tamquam indigni: quantumcumque non sint sibi conscij peccati mortalis: & ad se disponendum, quam potuerint diligentiam adhibuerint.*

1. VSVS nobis propositus exigit, vt non contenti communibus, descendamus ad specialia, in quibus ille maximè consistit. Consequenter ergo antequam ad alia veniamus, tradēdus est modus trāquillandi animum agitatum certis scrupulis, quos augendo solet dæmon vexare hominē & qui præter generale remedium requirunt aliquod speciale. Illorum autem variæ sunt species.

Prima frequentior, est cogitationum fœdæ voluptatis, quæ non modò placētes, sed etiam displicentes, sæpe in animum se ingerunt: eúmque ita occupant, vt tamquam de consensu sibi conscius, excrucietur. Secunda rarior quidem, sed molestior, est cogitationū blasphemiæ, aut infidelitatis, quas dæmon subitò obtrudit, ita vt quis videatur audire aliquem ad aurem, vel seipsum intus loquentem ac dicentem: Ego Deum nego, dæmoni me dedo; vnde turbatur quasi Deum verè negauerit, aut dæmoni se dederit: cùm tamen abhorreat à tali

talibus blasphemiis. Tertia est subitorum motuum impatientiæ, vel iræ, vel inuidiæ, vel odij: ex quibus dum tentatio iurandi, aut verberandi, aut conuitiandi suboritur, consensus præberi videtur, ménsque turbatur non satis distinguens voluntatem surreptitiam à deliberata. Ad quorum omnium curationem remedia accommodari possunt, quæ ex Gersone in tract. de remediis contra pusill. & in tract. de meditatione *a*, & in tract. de diuersis diaboli tentationibus *b*, & in tract. de discretis exercitiis deuotorum *c* Cordubensis habet in quæstionario *d*.

a consider. 16.
b Alph. 70. lit. 2.
c lit. m n o p q r.
d lib. 1. q. 14. 2.

Primum est vt qui talibus scrupulis à dæmone vexantur, considerare debeant numquam esse peccatum saltem mortale in huiusmodi cogitationibus horrendis, nisi cùm voluntas plenè consentit, illáve amplectitur cum delectatione, deliberatè gaudendo eas adesse, quod patet ex communi doctrina quam in praxi fori pœnitent. trademus par. tertia tomo 1. lib. 1. de ratione iudicandi de peccatis ex parte causæ efficientis. Imò cùm displicent, nec eis consentitur, sed potiùs animum pulsantibus dum eis resistitur, imputantur ad meritum, propter difficultatem & molestiam, quæ sustinetur eis resistendo. Ex tali enim consideratione intelligent, se non debere inquietari, nec animo frangi: sed alacriter, & fortiter pergere in via Domini: eo quòd tamquam hosti suo deficiant arma fortiora, quibus grauiter saucientur: sordibus horrendis quidem, nihil tamen, aut parum lædentibus ab eo impetantur.

3. Scrupulos tales contémnere remedium est perutile.

Alterum remedium est tales scrupulos spernere, nec illis suggestionibus turbari, quasi consensus

illis adhibitus sit. nam si quis aduersus eas disputare velit, & nouas rationes quærere, quibus in illis aut id genus aliis conscientiam suam quietam reddere velit, quod senserit quidem, non tamen consenserit, nouas semper difficultates offeret tentator callidissimus, tuncque maximè gaudebit, & se de eo triumphum agere existimabit, dum occupabit ipsum illis concertationibus inutilibus, ad quas importunus veterator prouocat maximè, quando diligenter, & attentè, vel orare, vel studere cupimus. Atque ille quidem, qui in vita spiritali minimè exercitatus est, vult cum eo congredi fixo pede: exercitatus verò, & peritus harum versutiarum, quasi talem oppugnationem non pateretur, rem opúsque sibi propositum persequitur, securúsque pergit, ac tentationem tamquam inanem canis latratum spernit, violenter mentem ab illa reuocando, & applicando ad aliud: aut certè illam negligendo, perinde ac faceret, si quis ei narrans, aut monstrans aliquid, quod audire vel videre dedignaretur, ad alia interim applicaret se auersa facie. Dolet enim superbus hostis, dum se sperni videt; & ideo spernentem deserit, se contemni diu non ferens. Vnde videri potest vtile; vt qui oppugnatur, dum solus est, interdum ad contemptum, verba hæc adiiciat, quibus ipsum dæmonem, eiúsque conatus se diuina misericordia fretum negligere confiteatur. Te tuasque artes pessime colubet nihil formido: ego quod Deus permittit, tuam tentationem sentio, sed per ipsius misericordiam non consentiam; illam me affligentem patienter feroc quia iustum est, vt ob mea peccata affligar, sicque purger, vt deinceps magis Deo meo placeam. Intelligo

Diabolus se sperni dolet.

telligo me Christi militem, cùm me rerum tam nefandarum tentationibus aggrederis, sicut illum in deserto aggressus es, volens illi vt te adoraret, anquis turpissime, persuadere.

Tertium remedium, quod in tractatu de discretis exercitiis deuotorum Gerson expressit, est, vt qui talibus scrupulis agitatur, tollat occasiones, vel otij, vel negligentiæ, vel curiositatis, vel alias si quas tales dat istiusmodi procellarum: atque signo crucis se muniat suspirando ad Christum, inuocando beatam Virginem, sanctum Angelum suum custodem, cæterósque sanctos, quos habet in speciali veneratione, genu flectendo, aliúdve signum pietatis exercendo, prout loci commoditas patitur, in reuerentiam mysterij, contra quod fortè tentatur; sique hæc non prosint, dolorem aliquem (cum discretione tamen) sibi infligat; atque adhuc nihilominus perseuerantibus importunis eiusmodi tentationibus, patienter ferat: confidens per diuinam misericordiam non solùm ei non nocituras, sed ad magnam coronam profuturas. hæc Gerson. De peccatis autem venialibus quæ in tali pugna admittuntur, siue ex negligentia, siue aliunde oriãtur, admonet Cordubensis pœnas illis debitas deleri per feruorem charitatis, cum quo in illa pugna Deo adhæretur.

4. Tollere occasiones talium scrupulorum, aliud remedium.

Nihil verò est, vt iidem monent, cur quis cum anxietate aliqua, aut sollicitudine curet tales tentationes confiteri, aut reconfiteri: nisi quòd ex humilitate, & timore conscientiæ id interdum possit; dummodo faciat sacerdoti discreto, & istarum difficultatum diiudicandarum perito. Nam scrupulosus (prout solet) confitens se accusando seuerè de

5. Non necesse est tales anxietates confiteri, aut reconfiteri.

blasphemiarum, aut aliorum nefandorum peccatorum cogitationibus, incidere poterit in Confessarium indiscretum, qui non modò non leuabit ipsum, sed magis affliget, & in desperationem maiorem coniiciet: vbi discretus faciet, quod Gerson in proximè citato tractatu narrat fecisse religiosum quemdam patrem in his rebus versatum, multâque experientia præditum: cui cùm Monachus agitatus molesta blasphemiarum tentatione, quam ob rerum fœditatem detegere non audebat, diuino fauente auxilio aperuisset, is subrisit, dixitque, manum capiti meo impone, quâ imposita subiecit se in se totum illud peccatum, eiúsque pondus accipere: tantùm daret operam, ne ea res amplius eum anxium, mœstúmque haberet: quod cùm ille vehementer mitaretur: interrogauit pater, an vnquam huiusmodi cogitationes ei placuissent: quo respondente se magnopere ab illis abhorruisse; Tu ergo, inquit, non eas agis, sed pateris, & ita te fatigatum dæmon vult in extremam desperationem inducere. sicque factum est vt monachus ille diuturna qua vexabatur molestia liberatus sit. Non debet verò de talibus scrupulis confitens descendere nimis ad particularia, quorum cõsideratione, & commemoratione magis inquietaretur animus: sed summatim referre, & tangere quantùm sufficiat, vt Confessarius intelligat ipsius confitentis mentem, animæque statum; exempli gratia dicendo in genere; tales, aut super tali materia habui malas cogitationes quæ per Dei gratiam mihi non placuerunt, nec eis deliberatè consensi, etsi fortè in eis moratus sim eas non repellendo tam citò quàm debuerim.

Prudens religiosi Patris consiliũ monacho datum.

Addere

Addere etiam debebit causam culpabilem, ex qua prouenire potuerunt verbi gratia, ex curiositate, negligentia, otio, aspectu incauto, labore, vel abstinentia indiscreta, aut huiusmodi aliis: ad pleniorem culpæ scilicet manifestationem, & certiorem debiti remedij accommodationem. Quibus adde bonum vtiléque esse cum consilio Confessarij, vbi quis iam percipit tales cogitationes à dæmone suggeri, nullo modo de iis confiteri, nisi certum esset de cõsensu illis præstito; aut (quod maius est) de opere: id est, quod illorum interior motus exteriùs processerit in operationem, quæ rarò, aut potiùs numquam, bonæ conscientiæ solet euenire: quod tamen quia euenire potest, habenda est memoria iustitiæ diuinæ ante casum, ad vitandum ipsum: sicut & diuinæ misericordiæ post casum, ad resurgendum. Quæ misericordia tanta est, vt si quis commissis etiam totius mundi peccatis vniuersis, doleret se tam bonum Dominum offendisse, firmitérque proponeret ab illius offensa abstinere: veniam & gratiæ abundantiam consequeretur: vt argumento nobis sunt illi qui per talem pœnitentiam ad Deum cõuersi euaserunt magni sancti, vt constat de D. Magdalena. Vnde personas deuotas, quas vrgentibus istiusmodi scrupulis contingit ex infirmitate labi in aliquod peccatum mortale: id agere oportet, quod solent pueri non satis fortes ad ambulandum, qui libentiùs ambulantes sæpe cadunt, nec per se resurgere valent; & cùm nolint pertinaciter manere prostrati in terra, humiliter & confidenter ad piam matrem tendunt manus, vt iacentes leuet: quæ pro sua pietate materna illorum miserta, statim accurrit: quod idem peccator pœnitẽs

Dei bonitas considerandа summopere scrupuloso.

à Dei bonitate debet maiore ratione (sine præsumptione tamen) sperare, ipso dicente Isaiæ 49. *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.*

7. Quarta species scrupulorum indigentium speciali remedio statui potest, eorum quibus aliqui vexantur circa res à se gestas, dū ob leues aliquas rationes suspicantur actiones suas peccata mortalia fuisse, ita vt propterea communicare, aut celebrare non audeant, quin Confessarium adierint: vnde sæpe non redduntur tranquilliores, eo quòd recedentibus à Cōfessario nouus statim suboriatur scrupulus, qui eos æquè ac priùs inquietos facit. Iis autē hoc morbo leuandis Gerson in tract. de diuersis diaboli tentationibus *e* remedium præscribit, vt in primis debitè inquirant sedulóque obseruent, ad quæ secundùm suum statum obligentur, vel non obligentur sub peccato mortali: ac circa illa sibi à peccato solicitè caueant; ab eóque, si ipsis contingat, conscientiam emundare studeant: plus interea confidendo in diuina misericordia, quàm in vlla sua diligentia: atque considerando nulli ita præsumendum esse de sua munditia, vt existimet se aliquando præstare posse opera quæ ex parte sua sint digna Maiestate diuina: cùm ex Isaiæ cap. 64. *quasi pannus menstruatæ sint omnes iustitiæ nostræ*; aut immunem esse ab omni peccato, cum potiùs ex animo dicendum ei sit illud Psalm. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Vt autem in tali inquisitione, & obseruatione sint tutâ cōscientia, non est illis opus absoluta, & infallibili certitudine, vt

Scrupulosis qui de rebus à se gestis turbantur quid faciendum.

e Alphab. 70. lit. penult.

Omnes iustitię nostrę quasi pānus mēstruatæ.

rectè monet Gerson; sed sufficit moralis, & humana per prudentium, & deuotorum hominum consilium, aut per iudicium propriæ rationis, & sui Cõfessarij iuxta antedicta *f*: vnde cùm moralis certitudo secum patiatur aliquam anxietatem, hæsitationem, & suspicionem de contrario, ex communi doctrina; non est quòd quisquam se à cœpto ideo auocet, quòd super eo sentiat aliquam formidinẽ; etiamsi (quod interdum solet agente dæmone) id ita contingeret; vt in animo perturbationem, & in corpore motionem, cordisque palpitationem efficeret. Etenim si tali formidini cedat, nulla spes tranquillitatis, & deuotionis obtinendæ ei relinquitur. Id autem quod in ea re plerisque scrupulosis nocet, est quòd optent omnia cum summa tranquillitate facere, ac frui statu, qui non est præsentis vitæ: vnde si minima in contrariam partem imaginatio sese offerat, turbantur è vestigio, cùm se spe sua, votoque frustratos esse aduertunt. *f* cap. 10. nu. 7.

Quod autem attinet ad negligentias veniales, & alia peccata venialia, quæ in tali lucta cum dæmone committuntur: dum inconstantes, impatientes, queruli, segnes, & tardi efficimur, Cordubensis admonet solicitè quidem cauenda esse, sed sine anxietate, & inquietudine animi, faciendo quod potest commodè fieri, & reliquum misericordiæ Dei patris amantissimi humiliter committendo; cuius auxilio multo magis, quàm vllis nostris viribus, aut industria nitendum nobis est, prout istiusmodi scrupulosis inculcat Nauar. in Enchir. *g* Ad quorum consolationem istud quoque addi potest; sæpe fieri, vt tunc opera ipsorum magis Deo placeant dum fiunt cum maiore metu, & reuerentia, circumspectio 8. *g* cap 27 nu. 290.

spectione & humilitate; imò afflictio quam patiuntur purget animum, augeátque meritum, ipsósque humiliores reddat, & diligentiores, cùm alias sæpe contingat, vt qui nimis secundo vento feruntur, insolescant; & negligentes, incautíque fiant, & imperfectiones suas emendare, & occasiones peccandi vitare, Deíque & Sanctorum auxilium implorare contemnant: vt tam sit his periculosa tranquillitas nimiam confidentiam generans: quàm fructuosa illis est vexatio, sanctum timorem & diuinæ maiestatis reuerentiam in animo fouens.

9. Quinta species scrupulorum eiusdem modi est, eorũ quibus homines animo vexantur, nimis dubitando, an de peccatis commissis, tantùm sibi displiceant, tantúmque doleant, quantùm tenentur, déque futuris cauendis sufficiens propositum habeant. Quibus tum idem, quod præcedentibus adhiberi potest remedium: tum istud particulare ex Gerson. in tract. de diuersis diaboli tentationib.[b] vt tentatione aliquos vrgente, quòd non tam doleant de perpetratis peccatis, quàm de iacturis aliquarum rerum temporalium: opponatur neque hominem posse, vt manifestum est, tantum, ac talem de suis peccatis dolorem habere, quantum, & qualem postularet diuinæ maiestatis offensa: neque esse necesse (vt verbis Gersonis vtar) corporalem de peccato dolorem tantum esse, quantus fortasse esset de morbo, vel de alio temporali incommodo: quia sufficit peccatum commissum, ita displicere homini qui illud commisit: vt nullatenus Deum in simili casu offendere velit: ex communi doctrina de contritione, quam persequimur in praxi fori peniten. par. 2. lib. 1. Maior autem ille dolor de temporalibus

Quinta species scrupulosorũ qualis sit.

[b] Alphab. 70. lit. y.

poralibus incommodis, quàm de peccatis, contingit ex parte sensus, in quem illa cadunt; hæc non item: sed tantùm in intellectum, qui peccata ipsa repræsentans voluntati tamquam mala omnium maxima, facit, vt supra quoduis aliud malum displiceant, quod sufficere potest. Si verò tentatio in hac scrupulorum specie, aliquos ideo vrgeat, quòd non habeant tale, ac tantùm propositum cauendi sibi à peccatis, vt malint mori, flammam, aliáque id genus grauissima tormenta perpeti; & honoris, ac bonorum omnium iacturam facere, quàm peccare: Gers. in tract. 8. super magnificat *i* præscribit, non esse faciendas tales propositiones comparatiuas: neque si in animum suum ingerant, esse illis respondendum determinando se ad alteram partem comparationis eligendam: quoniam ei cui illæ ingeruntur, non adest casus, in quo teneatur de præsenti facere alterius electionem; vt ex eo patet, quòd eam faciendo, prout idem Gerson rectè notat, in tract. de diuersis diaboli tentationib. *k* exponitur periculo peccandi: siue in proponendo offendere Deum ad temporale aliquod incommodum vitandum: siue in præsumendo arroganter de se in contrarium; quorum neutrum licet. Itaque tacendum est, & ad alia diuertendus animus, aut ad summum verè & humiliter coram Deo dicendum: si talis offerret se casus, scio quid tunc eligere deberem, quid autem eligerem nescio: nunc autem Deũ meum per suam gratiam offendere nolo, & quoad futurum quamuis meæ infirmitatis mihi conscius, non audeam, nec sine arrogantia possim dicere, quod D. Petrus Matth. 26. affirmauit, *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: tamen confido in Domino, *quòd non me*

i Alphab. 88. lit. o.

k lit. x.

me patietur tentari supra id quod possum, sed faciet cum tentatione prouentum: vt ait Paulus 1. Corinth. 10. ipse cuius oculi viderunt imperfectum meum: & cuius salutaribus præceptis moniti audemus dicere, *Ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo*: adiutor erit in opportunitatibus in tribulatione.

10. De his qui putãt se nũquam bene confessos.

Sexta species est eorum scrupulorum, quos nonnulli patiuntur circa confessiones suas grauissimos, & molestissimos: dum numquam putant se satis perfectè, & integrè fuisse confessos, eo quòd aliquam circumstantiam, vel peccatum, aut omiserint aut non satis dilucidè expresserint, ita vt confessiones crebrò repetant, & de eodem peccato crebrò confiteantur, se suósque Confessarios fatigantes, dum trepidant timore, vbi non est timor. Pro remedio autem ex Gersone in tract. de remediis contra pusil. *l* & in tract. de diuersis diaboli tentat. *m* talibus præscribendum est vt cessent à reiteratione confessionis eorum peccatorum, de quibus an sint mortalia, vel an sint sufficienter à se confessa dubitant scrupulosè; id est; sine probabilitate, notitiáve sufficiente ad persuadendum sibi prudenter quòd talia sint mortalia, vel indebitam de illis confessionem fecerint. Cessent inquam abijciendo se ad pedes diuinæ misericordiæ; cui principaliter, non autem diligentiæ nostræ, confidere debemus quando agitur vel de obtinenda gloria in futuro sæculo, vel de obtinenda gratia, & peccatorum remissione in præsenti. Cùm igitur certò, aut probabiliter sciuerint aliquid mortale esse, de quo numquam confessi sunt (vt si progressu temporis dum legunt, audiunt, discunt, doctiores effecti: vident multa mortalia esse quæ priùs iudicabant non esse) consentaneum est

l Alphab. 70. lit. b. c.

m lit. z.

est de talibus confiteri : aliàs verò vitanda ipsis est peccatorum repetitio in confessione.

Ad quod vt inducantur iuuabit proponere eis quòd talis anxietas, & inquietudo non iuuet, sed quadam ratione impediat Dei in nobis habitationem per suam gratiam: quandoquidem vt rectè argumentatur Gerson *n*, *factus est in pace locus eius.* Psalm. 75. immoderatáq; illa puritatis cura, ac peccati nimius terror, ei non placet: quia quamdiu Deum ita timemus, non videmur eum satis diligere, habentes eum de nimia seueritate suspectum; vnde fit, vt inani metu concepto minuatur fiducia accedendi ad ipsum, nobis tantopere necessaria. Multò ergo fructuosior, Deóque gratior erit humilitas, qua se patri benigno totum committés dicat illud Daniel. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

11. Hæc inquietudo nõ iuuat, sed obest.

n in dicta lit. b.

Secundò quòd stultum sit aliquem fatigare se in eo, quod est sibi impossibile; nemo autem per suam illam diligentiam absque speciali Dei reuelatione, possit eò pertingere, vt certò, & infallibiliter cognoscat se sic verè, ac sufficienter contritum, atque confessum esse de suis peccatis, vt in Dei sit gratia, cùm dicat Sapiens Ecclesiastici nono. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.* Tertiò quòd tali confessionis repetitione nõ modò non fiant quietiore, & sedatiore animo, sed vt ipsi experiũtur, magis ac magis perturbentur: sicut aqua cùm est agitata, si situlam, qua continetur sæpius loco moueas, non inde tranquillatur, sed magis agitatur. Quartò quòd ex Nauarro in Enchir. *o* mortaliter peccet, qui semel benefactam peccatorum confessionem, sæpius

o cap. 21. nu. 42.

sæpius ob scrupulos ita repetit, vt vel se obiiciat periculo amentiæ per nimiam de re tristi cogitationem, vel notabile scandalum præbeat Confessario, vel sibi infamiam iurat erga aliquem tertium: & quamuis hæc pericula non adsint, peccet saltem venialiter: quia tenetur procurare conscientiæ tranquillitatem, quam talis repetitio impedit. Qui ergo huiusmodi est, semel bene confessus iudicio docti Confessarij, quiescere debet; nec per frequentes eorumdem peccatorum cõfessiones, vulnus suum refricare, ac renouare: neque quòd bene sanatum est vlcus ampliùs attingere; sed posteriorum oblitus, ad anteriora se conuertere, & de misericordia Dei benignè sperare, neque eam securitatem quærere quæ in hac vita non habetur, nisi accedat aliqua peculiaris reuelatio diuina. Postremò si eruditus sit, & bonæ conscientiæ, monendus est, quòd nollet in simili casu alteri dare cõsilium illud, quod pro se capit, quódque non debeat damnare prudentes, ac pios viros, quos videt talibus rebus communiter non moueri. Certè si nollet alteri dare cõsilium, quod pro se accipit, nec damnare alios, qui illud non sequuntur: satis aduertere potest se non sequi illud ex recta ratione, sed ex aliqua inordinata passione: quæ si abesset perinde rectè, certóque iudicaret in suo negotio, ac in alieno, vt bene annotat Caietanus in verbo scrupulus. Neque verò consultum est cum eo multitudine rationum agere, nisi ad persuadendum, vt quasi captiuato intellectu, omnem de scrupulis discursum abiiciat: fere enim ea infirmitas animi est, quasi dolor quidam capitis, qui vt sanetur, somnum, & quietem requirit.

Septima species scrupulorum est eorum quibus adhuc

adhuc circa attinentia ad confessionem contingit scrupulosos inquietari dupliciter.

Circa Confessionem quo modo scrupulos. inquietentur. 12.

Vno modo sollicitudine nimia confitendi quæque peccata venialia: quibus erit salutare proponere, quòd ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 5. persuasum habere debeant, talia in confessione taceri sine culpa; deleríque posse multis aliis modis, quos ex iure Canonico collectos refert Hostiensis in sua summa: *p* nempe digna Eucharistiæ sumptione, aquæ benedictæ aspersione, ieiuniis, eleemosynarum largitione, orationis dominicæ recitatione, deuota pectoris tunsione. Proponi etiam iis poterit remedium à Gersone *q* præscriptum: vt iuxta dictum Sapientis in cap. 7. Ecclesiastic. nolint esse iusti multùm: & abstineant à tali solicitudine, generante inquietudinem Deo minimè acceptam (iuxta illud Matt. 6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, &c.*) neque prudenter susceptam: quandoquidem peccatis grauioribus sigillatim & in particulari propositis, sufficere illis potest leuiora in genere referre succinctè multo magis in Dei misericordia confidendo, quàm in vlla sua diligentia. Et certè vanam esse talem sollicitudinem ex eo patet: quòd secundùm communem Theologorum sententiam in statu naturæ lapsæ homini sine speciali Dei priuilegio omnia peccata venialia vitare, sit moraliter impossibile.

p tit. de pœnit. & remis. §. de quibus peccatis.

q loco cit.

13.

Altero modo contingit scrupulosos inquietari, ex eo quòd non recordentur, an hæc, vel illa peccata in suis præcedentibus confessionibus expresserint. Quibus curandis Caiet. *r* & Nauar. *s* hoc remedium præscribunt, vt interrogentur de diligentia, quam confessuri adhibuerint in recogitandis

r in verbo Cõfessio. in exposit. 5. condit.

s ad cap Si quis autem. de pœniten. dist. 7. n. 77.

peccatis, & in recogitatis integrè confitendis: siquę inueniantur fuisse mediocriter diligentes, suadendum est illis, vt deponant dubitationem (quamanente, inquit Nauar. iterum cõfitendum esset) & de illis confessos esse credant hoc argumento: quòd sapientioris, & boni viri iudicio, diligentiam, ad quam tenebantur posuerint in confitendo, vnde tutam conscientiam sibi formare possunt: quia cùm laborent tali infirmitate, quæ in ipsis firmitatem iudicij circa rem propositam impediat; vehemẽnsque timoris perturbatio constantiam ipsis adimat, & tot dubitationibus opprimat, vt rectè iudicare non possint, certè spiritualis Medici consilium illis sufficere potest ad moralem certitudinem, & tutam conscientiam formandam.

14. Scrupulosi circa orationem vocalẽ quomodo curandi.

Octaua species est eorum scrupulorum quibus vexantur illi, qui nimium scrupulosi sunt in reiterandis orationibus vocalibus, siue totis, siue quoad aliqua verba, quasi non dixerint attentè, aut verba non protulerint plenè. Quibus Gerson in tract. de remediis contra pusill. *t* ait præscribendum esse, vt abstineant ab huiusmodi iteratione. Primò quia id non facit animum tranquillum, sed potius magis inquietum, vt experientia docet in iis qui tales iterationes multiplicant. Secundò quia non conciliat attẽtionem, sed potiùs impedit. Nam tales dum sic mentem anxiè applicant ad obtinendam attentionem, ipsi pro obiecto sibi attentionẽ ipsam constituunt: vnde fit, vt magis euagentur, attendendo non ad verba, quæ proferunt, sed ad attentionem, quam imaginantur. Tertiò quia talis iteratio necessaria non est: nam vt oratio vocalis meritoria sit, & impetret apud Deum, ex D. Thom. *u* non requiritur,

t Alphab. 70. lit. b.

u 2. 2. qu. 83. art. 13.

ritur, vt per totam ei attentio actualis adsit, sed sufficit vis primæ intentionis, seu propositi, cum quo aliquis accedit ad orandum, dummodò tamen se ab attentione non distraxerit sponte sua, aut per notabilem negligentiam: vt vsuuenit (inquit Gerson) hominibus, qui ex deprauata consuetudine ad omnia spiritualia pigri, & ad cuncta, quæ carnis sunt prompti, tempore persolutionis horariarũ precum (quæ illis non sapiunt) cogitationibus sæcularibus, & carnalibus, quibus oblectantur, animum pascũt: ita vt sæpe inter patinas (vt dicitur) animo versentur. Tales enim euagationes, quæ proueniunt ex affectu vitiato, per dæmonis artem, adferente somnolentiam, & fastidium in orando, non admittunt excusationem: sicut illæ admittunt, quæ proueniũt ex infirmitate, siue accidentali; vt in iis, quorum modica, & venialis tantùm est negligentia; siue naturali, vt in iis, qui phantasias ita habent volubiles, vt velint nolint, ad leuem aliquem quasi venti flatum, facilè à suo proposito ad alia distrahuntur; quibus, vt notat Cordubẽsis, melius est dolere humiliter de suo defectu, confidendo in misericordia Dei, quàm iteratione animum inquietare.

Scrupuli frequentes in officio occurrentes.

Porrò circa hanc orationum iterationem, interdum contingit scrupulis angi aliquẽ: non iam quòd sine attentione, aut non plenè proferendo orationes ipsas dixerit, sed quòd an omninò dixerit non recordetur: vt accidit ei, qui cùm peruenit ad laudes, non meminit an dixerit matutinũ integrum: & in vesperis incœpturus hymnum, non meminit an dixerit omnes præcedentes quinque Psalmos: & in Missa dicturus Euangelium, non meminit an dixerit graduale; vel iam dicturus orationem Do-

minicam, aut sumpturus sanctam communionem, non meminit vtrum verba consecrationis protulerit super panem & vinum. Quo tempore ex Nauarr. *x* abstinere debet à reiteratione, & animose ad sequentia pergere, si rationabiliter credat, quòd dixerit: vt potest ex eo rationabiliter credere, quòd cõsueuerit integrè dicere; nec quidquam aduertat vnde se à tali consuetudine defecisse, iudicare debeat. Non credenti autem, quòd dixerit, tale consilium dari nõ potest, vt admonet idem Nauarrus. Et ratio est quia non vt propriè scrupuloso, sed vt dubio dari deberet consilium iuxta ea quæ dici solent de conscientia dubia: tradenda suo loco nobis in Praxi fori pœniten. par. 3. to. 1. lib. 3. tract. 2.

x in cit. nu. 77. & præced. nu. 76.

16. Nona species est eorum scrupulorum, quibus nonnulli affliguntur, eo quòd in suis orationibus, & aliis piis exercitiis, cor vt ipsis videtur, habeant aridum, & deuotione erga Deum careant; vtpote consolatione & suauitate, quam talia adferre solet, destituti: inde enim suspicantur se peccatis aliquibus occultis inquinari, ac reprobos esse. Quibus Gerson in tract. de remediis cõtra pusillanimitatem, & in lib. 4. de cõsolatione Theologica prosa 3. hoc remedium præscribit: vt attendant suauitatem consolationis in suis exercitiis, non censeri signum de se sufficiens & infallibile inexistentis diuinæ gratiæ gratum facientis: quandoquidem illam (vt exemplo Begardorum & quorumdam aliorum Gerson confirmat) aut potiùs illius quandam speciem, et suis deliramentis hæreticos percipere contingit: in quibus non inuenitur gratia gratum faciens, *cùm impossibile sit sine fide placere Deo*, ad Hebræ. 11. Quare id fit dæmone illudente ipsis, ac transfigurante se in

Scrupulosi qui cor aridum se habere dicũt.

se in Angelum lucis. potest enim malignus hostis corporeas facultates quadam tranquillitate fouere, apparentéque voluptate delectare, ac inde incautos eo vsque allicere, vt tandem secundùm spiritales quoque vires, multùm inde gaudeant, magnaque consolatione fruantur; ita vt vix credere possint, quin à Deo sit tanta suauitas. Cuius contrarium ex eo cognoscitur, quòd per eam illi erigantur in superbiam, & fornicationem spiritalem; aut indiscreto vsu (seu potiùs abusu) talis deceptoriæ consolationis, deiiciantur in vesaniam, aliáque mala contraria virtutibus charitatis comitibus inseparabilibus: sicut charitas ipsa inseparabilis est à gratia gratum faciẽte. Quas virtutes enumerat Apostolus in priori ad Corinth. 13. illis verbis: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Vera deuotio in quo consistat.

Alterum remedium est, vt attendant, quod cùm vera deuotio consistat in bona voluntate, qua homo paratus est se, suáque impendere ad Dei obsequium illiúsque beneplacitum in omnibus sequi: dum quis opus pium exercens, agnoscit in se talem voluntatem quam non comitatur consolationis suauitas, existimare debeat id diuina dispositione contingere ob maius suum bonum: nempe sibi subtrahi consolationem, ne esset ei occasio præsumptionis, aut negligentiæ aut vanæ gloriæ, aut alterius periculi peccandi, vel vt mereretur magis, dum quasi suis expensis militat, seruítque Deo. Itaque totum diuinæ misericordiæ se committere, & hu-

militer de illius auxilio confidere debet ; faciendo quod in se est; simúlque petendo conseruationem & augmentum cōcessæ bonę voluntatis: ac demum sentiendo de illo tamquam de patre amantissimo & nostræ vtilitatis studiosissimo, iuxta illud Esaiæ 49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui ; & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.*

Tertium remedium est, vt attendant tempus istud esse serendi, non metendi : aderit tempus retributionis bonorum operum, *in quo inebriabuntur ab vbertate domus Domini*, ex Psal. 35. Itē in maiori periculo versari fruentem dulcedine deuotionis, quàm illum cui denegatur ; cùm de illa confidens, imperfectum suum considerare negligat , & ob suam præsumptionem fiat à Deo remotior, potius, quàm propinquior. Contrà verò aridus contendens ad deuotionem cum sui abnegatione , & diuinæ misericordiæ magnificatione , ob suam humiliationem poterit Deo acceptior esse ; dummodò contendens non negligat facere, quod in se est.

317. Scrupulus eorum qui S. Eucharistiam sume re nolunt.

Decima species scrupuli est, quo ij vexantur, qui etiam post factam quanta potuerunt diligentia confessionem de peccatis suis, refugiunt tamquam indigni sumere sacrosanctam Eucharistiam : eo quòd Apostolus in priori ad Corinth. cap. 11. de sumente illam indignè dicat : *quòd iudicium sibi manducet & bibat non diiudicans corpus Domini.*

Pro remedio autem ex Gerſone in tract. de præparatione ad missam : proponendum est ad sacramentum illud omni veneratione , & reuerentia dignissimum fructuosè sumendum , non requiri certitudinem , speciali Dei reuelatione tibi euidentem

quòd

quòd sis in Dei gratia: imò ne, siquidem talem haberes, deberes te iudicare dignum tali sumptione; sed adhuc cum Centurione dicere. *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Sufficere igitur potest certitudo moralis; seu quòd accedens ad tantum sacramentum sumendum, tantam diligentiam posueris in repurganda conscientia, quantùm adhibuisses sic vt nullius peccati mortalis non expiati, te conscium sentias: & quodcumque à te priùs commissum sit, sic detesteris, vt firmissimè proponas nullatenus de cætero succumbere iuuante diuina gratia: quæ ipsa Eucharistiæ sumptione tibi accrescet, robúrque ad resistendum fortiter tentationibus addet, tibi bona fide agenti: nec in te suscepturo, nec in sacerdote ministraturo, impedimentum vllum siue peccati, siue censuræ Ecclesiasticæ cognoscenti, atque adeo nihil obstare, quominus à diuina misericordia expectes eiusdem sumptionis vberem fructum. Nec te moueat quòd carne pugnante aduersus spiritum, te aridũ sentias, dummodo voluntate sincera deuotionẽ desideres; & ad eam seriò contendas. Deus enim *qui audit desiderium pauperum*, ex Psal. 9. nos nostráque iudicat secundùm liberum nostræ voluntatis arbitrium: non autem secundùm ea, quæ nobis inuitis, & contradicentibus caro, sensualitásve ingerit: qualia sunt, imaginationes volubiles, phantasiæ variæ, carnis illecebræ, ac stimuli, appetitiones vindictæ, inconstantiæ circa agenda, vacillationes circa credenda, aliáque id genus quibus quandiu non consentimus, tantùm abest, vt diuinam gratiam in nobis destruant, vt potiùs virtutem perficiant, iuxta illud posterioris ad Corinth. cap. 12.

Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Matth.8.

Accedit ad hæc, quòd quamuis nullius peccati sibi conscio liberum esse possit, vel abstinere ab Eucharistia, excusando se cum Centurione, cuius verba ante retulimus: vel ipsam alacriter suscipere imitatione Zachæi qui Dominum in domo sua suscepit gaudens: istud tamen esse longè melius, quàm illud, patet ex immensis fructibus quos talis susceptio profert virtute passionis Christi cuius est memoriale; præsertim pinguedinem deuotioni ac roborationem in charitate, vnde anima iuuatur maximè ad perrumpendas difficultates, quas caro adfert in via salutis.

Luc.19. Eucharistiã accipere cũ quis sibi nullius peccati est conscius, est melius, quàm ab ea abstinere.

CAPVT XII.

De Confessarij prudentia in agendo cum Pœnitente, quem vt scrupulis, sic & Dei timore carere aduertit.

SVMMARIVM.

1. *Opponuntur scrupulosis libertini, quibus prodesse possunt aliquæ ex medicinis, quæ præscribuntur scrupulosis, aliæ non item; sed potius nocere.* 2. *Earum loco assumendus Dei timor dictus seruilis, nascens ex consideratione pœnarum inferni.* 3. *Pœnarum infernum granitas, tum abundantia vrgenda est maxime, ad*

ad libertinum concutiendum timore Dei. 4. *Earumdem pœnarum consideratio debet Confessario commendata esse.* 5. *Ratio qua libertinus videtur ex pœnis inferni disponi posse ad timorem Dei.* 6. *De diabolica persuasione dicentium nihil esse quod se vexent: quia Deus iam nouit quid de ipsis sit futurum.* 7. *Quando & quomodo suaderi possit minus malum ad vitandum maius.*

SCRVPVLOSIS oppositi sunt ij (libertinos vocant) qui post concupiscentias suas euntes, & earum ardore cauteriatam habentes conscientiam, nullis non modò scrupulis, sed nec Dei timore auertuntur à sua voluntate, contra illud Sapientis præscriptum; Ecclesiastici cap. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere.* Nimirum relinquentes vitiis habenas liberas, nec proponentes Deum ante conspectum suum, ita vt *à facie eorum iudicia ipsius auferantur; inquinatæ sint viæ illorum in omni tempore*, ex Psalm. 9. Prudentiæ autem Confessarij est aduertere, quòd inter priùs propositas medicinas, solę tres primæ talibus prodesse possint: ad quarum proinde vsum debitum, illos inducere debeat, quantum potest. Quo ad cæteras autem, ne illis abutantur (prout facilè possunt, vt conscientiam obmurmurantem non sentiant, sed peccent sine remorsus molestia) monendi sunt, eas non institui ad curationem infirmitatis, qua ipsi laborant: sed potiùs morbi contrarij: laxatiuam enim vim habere pro scrupulis, non autem restrictiuam pro nimia sua libertate. 1. Libertini qui dicantur.

Itaque loco earum assumendum esse timorem 2.

Timor Dei ex consideratione pœnarum inferni excitandus in libertinis. Horat. in epist.

Dei ex consideratione pœnarum inferni, tamquam remedium tum efficax aduersus peccandi licentiam, iuxta illud: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: comprobatum experientiâ: tum opportunum ad peccatorem reducendum ad Deum, iuxta illud, Psalm. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum.* Quamuis igitur talis timor non sufficiat ad iustificationem peccatoris; is tamen vtiliter illo concutitur, vt in Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. confirmatur, ex eo quòd Niniuitæ ad prædicationem Ionæ, plenam terroribus egerint pœnitentiam, & à Domino impetrarint misericordiam. Quod vt contingat libertino, tunc Confessarius bene curat, cùm ex timore pœnarum inferni ipsum adducere satagit, seu disponere ad habendam contritionem, saltem imperfectam,

Attritio quid sit.

quæ attritio dicitur: & est impulsus Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, sed exteriùs ita mouentis, vt hominem reddat idoneum ad Dei gratiam consequendam per Sacramenti Pœnitentiæ susceptionē, prout loco citato disertis verbis Concil. Trident. expressit.

3. Cæterùm illud quod in consideratione pœnarum inferni generat timorem propositum, est maximè grauitas earum, & multitudo inenarrabilis: de qua verè liceat vsurpare illud.

Virgil. 6. Æneid.

Non mihi si linguæ centum sint, oráque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Pœnarum inferni meditatio libertino necessaria.

Verumtamen ex sacris literis, & sanctis patribus inueniuntur notatæ in libris piis, quæ sufficiant ad quemcumque fidelem non omninò obstinatum permouendum. De illis legendi sunt, D. Antoninus 4. part. tit. 14. cap. 5. & illi qui scribunt de quatuor nouiss

nouissimis, vt Dionysius Carthusianus, & alij: ídque sedulo, tam ad fouendum affectum compassionis erga proximum illis expositum; quàm vt nos munus nostrum exequamur solliciti de nostra salute, tanto periculo pariter exposita, si per negligentiam & socordiam nostram ille mortem incurrat, qui nostrâ curâ & diligentiâ eam euasisset. neque enim vt medicus corporis, etiamsi incuriâ suâ ægrum adducat in vitæ discrimen, manet nihilominùs sanus: ita medicus animæ, pœnitentem suum exponendo æternæ damnationis periculo, eam euadit, sed pariter ei obnoxius manet: sicut *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Matth. 15. 4.

Præparari autem potest ad istiusmodi timorem libertinus intimando ei, quòd eâdem fide, qua credit vnum esse Deum, Creatorem cœli & terræ; & ipsius Filium vnigenitum pro nobis hominem factum, & in cruce mortuum: debere etiam credere eiusdem Christi veri Dei, & hominis aduentum ad iudicium: in quo resumptis corporibus sine fine victuri omnes homines, excepturi sint sententiam, qua iustis æterna gloria, & iniquis æterna supplicia decernentur, vt patet ex cap. 25. D. Matthæi. Præterea quòd nihil sit, quod post Deum tanti facere debeat, quàm animam suam: cùm nihil habeat tam intimum; ideóque in seipsum crudelem, iniquúmque valde esse, exponendo illam æternis suppliciis: à quibus, vt illam liberaret Christus, acerbissimum ignominiosissimúmq; crucis supplicium subire dignatus est: cuius tantam misericordiam contemnens, sensurus sit iustitiæ rigorem in terra illa miseriæ & tenebrarũ, in qua (vt habet inter alia 5. Ad eum timorẽ quomodo præparetur libertinis.

D. Gre

In inferno mors est sine morte.

D.Gregorius lib.9.moral. in Iob,cap.39.) *Fit miseria mors sine morte: finis sine fine: defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficiens defectus nescit.*

Euersio cuiusdam præsidij diaboli, quo libertini se muniunt.

6. Præsidium diabolicum contra pœnas inferni destruitur.

NOn desunt autem, qui eò dementiæ deuenerint, vt quamuis ea quæ de pœnarum inferni multitudine & acerbitate dicũtur, se credere affirment: nihil tamen moueantur talium timore ad declinandum à malo & faciendum bonum: fuit hoc diabolico, atque adeo falso præsidio: quòd nihil sit, cur se priuare debeant huius vitæ iucunditatibus, nec animo suo obsequi: cùm nesciant vtrum post multos toleratos labores, & spreta huius vitæ commoda, sint fœlicem exitum habituri: id enim pendere ex vnius Dei beneplacito immutabili. Quibus occurrendum est, æquum esse, vt illi sibi persuadeant, Deum pro infinita sua bonitate, nihil de ipsis ordinaturum, nisi quod iustissimum est, & rectissimum: ideóque faciant id, quod suarum partium est: satagendo iuxta D. Petrum in epistol. 2. cap. 1. *vt per bona opera certam suam vocationem, & electionem faciant.* Deus enim non deerit, quem *impossibile est mentiri*, ad Hebr. 6. aut *negare seipsum*, 2. ad Timoth.2. Ipse autem, Ezech.33. protestatur. *Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Et ex Apost. in priori ad Timoth.2. *Vult omnes homines saluos fieri.* Cùm igitur ad æternæ vitę consecutionem oporteat nos à malis abstinere, & bona agere (iuxta illud, Ioan. 5.

Deus nihil de nobis ordinauit, nisi quod iustissimũ.

Fruc

Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij) sicut & oportet agricolam agrum suum colere ad percipiendos ex eo fructus: sanè perinde stultum est viam salutis positam in declinando à malo, & faciendo bonum, ideo nolle tenere, quòd nesciatur, an salus ipsa susceptos labores sit secutura; non secus quàm si agricola arare, & serere nollet, eo quòd certus non sit, an ex laboribus percepturus sit fructus, quos expectat. Adde, quòd etsi nulla expectaretur æterna salus: recta ratio tamen dictet seruiendum esse Deo, ac præcipienti obtemperandum: tum propter summam ipsius excellentiam ac maiestatem; tum propter tot beneficia, creationis, conseruationis, redemptionis, aliáque particularia in nos collata. Imò & si per impossibile, neque beneficia à Deo accepta ad id nos obligarent, sufficienter obligat humanæ naturæ conditio: quæ requirit, vt homo viuat secundùm rectam rationem dictantem bona sequenda esse, & mala vitanda. Vrgeri demum poterit, quòd is qui se stulta illa ratione persuaderi sinit; vel expectet à diuina misericordia æternam salutem, vel à diuina iustitia mortem æternam, desperétque: atque si æternam salutem expectet, iniquissimus est, & suprà quàm dici potest peruersus, vitam agens, qua incessanter offendat Deum, à quo expectat tam immensum bonum, quod alij maximis laboribus quærunt. Sin autem de æterna salute desperet (quod diaboli est, non hominis, cui quamdiu hîc viuit, patet ad Christum salutis auctorem, aditus, iuxta illud, Ioan. 6. *Eum qui venit ad me, non eiciam foras*) quia nullum in inferno relinquetur peccatum impunitum,

Seruiendū Deo est, etsi non expectaretur æterna salus.

tum; ipsisque peccatis proportione respondebit pœna. Hoc satis indicant verba Apocal. 18. *quantum se glorificauit & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Illud verò verba, Matth. 5. *non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem*: meritò peccandi consuetudine, qua multiplicat, & aggrauat pœnas in inferno luendas, debet omni conatu auocare animum, & obsequi suauissimæ, & consolationis plenissimæ adhortationi propositæ, Isaiæ cap. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: quoniam multus est ad ignoscendum.*

7. Aduerte verò obiter illum, qui cum homine talis farinæ tractat, non posse quidem facere aliquod minus malum ad illum impediendum à perpetratione alterius mali maioris, ex cap. Quod ait distinct. 14. attamen quando ille omninò statuit peccare, posse persuadere ei, vt peccatum minus faciat potiùs quàm maius: vt verbi gratia cùm nullo modo vult à peccato carnis abstinere, fornicationem potiùs, quàm adulterium committat. ratio est, quia id non est suadere peccatum, à quo vellet illum omninò auocare: sed dissuadere maius peccatum, quemadmodum annotant, Caietanus, & Armilla in verbo tyrannus, & pluribus confirmat Sotus. z

Suaderi potest minus malum ei qui statuit minus committere.

z lib. 6. de iust. & iure q. 1. art. 5.

CAPVT

CAPVT XIII.

De prudentia in iuuando Pœnitente tum remedijs aduersus prauas suas propensiones, tum adiumentis ad progressum faciendum in Dei gratia, & virtutibus.

SVMMARIVM.

1. *Vndecim remedia proposita à Polanco aduersus malas nostras propensiones.* 2. *Tria, quæ omnibus proponi possunt ex eodem.* 3. *Dispositio prima ad diuinæ gratiæ, & virtutum in nobis augmentum, est earumdem acceptarum bonus vsus: & quæ ad hunc conferant.* 4. *Altera dispositio, non abuti illis, sed seruare diligenter, & ex illis proficere.* 5. *Tertia est quorumdam internorum adiumentorum, nempe rectæ intentionis, capacitatis eiusmodi augmenti, ac desiderij, bonique propositi eo vtendi.* 6. *Quarta est adiumentorum externorum, nempe diligentiæ tum in captanda occasione proficiendi, tum in commendando se precibus seruorum Dei, tum in inuocando sanctos cum Christo regnantes, tum demum piè frequentando Sacramenta.* 7. *Modus agendi cum eo qui apparet idoneus ad statum consiliorum Euangelicorum.* 8. *Eradicandi in nobis prauos habitus difficultas quidem magna est, sed quæ superari potest iuuante Christo.*

9. *Ratio ineundi certamen aduersus prauos nostros habitus, ad eos eliminandos ab anima nostra.*

10. *Ratio faciendi propria nobis, Christi merita.*

Vt

VT ad medici corporalis officium non tantùm spectat ęgrum restituere corporali sanitati, sed etiam eidem in futurum consulere pro conseruanda, augendáque ipsa sanitate: sic præter iam dicta, quæ pertinent ad recuperationem spiritalis sanitatis in Dei gratia, & virtutibus eam comitantibus consistentis: Confessario incumbit et officio munire pœnitentem remediis aduersus ea quibus talis sanitas labefactari, & adiumentis quibus incrementum capere potest. Quapropter dicendum est de illis consequenter: quod fiet primò traditis remediis aduersus prauas nostras inclinationes. Secundò propositis dispositionibus requisitis ad prędictum incrementum. Tertiò tradita ratione eradicandi vitia, seu prauos animæ nostræ habitus. Quartò proposita ratione Christi merita faciendi nobis propria. Namque ad peccatum quo labefactatur animæ sanitas propensos nos faciunt, tum primæ inclinationes naturales, tum etiam mali habitus acquisiti: ad incrementum verò eiusdem sanitatis, tum bona dispositio ad illud, tum Christi merita nobis applicata.

Confessarij officium est munire pœnitentē remediis aduersus peccata.

De remediis aduersus malas propensiones naturales.

SECTIO PRIMA.

REmedia, & quasi præsidia, quibus muniri possumus aduersus prauas nostras inclinationes, sunt ea, quæ à Polanco numerantur in suo direct.[a] Primum firma, & sæpe renouata voluntas non of-

[a] cap. 3. ar. 2.

fen

fendendi Deum, sed ei verè seruiendi. Secundum promptitudo occurrendi prauis cogitationibus, à quibus reliqua mala oriuntur. Tertium reprehēsio sui & recordatio diuinæ præsentiæ. Quartum recursus ad Angelum custodem & ad sanctos: præcipuè autem ad Christum crucifixum, & ipsius matrem sanctissimam, cum aliqua opportuna oratiuncula. Quintum recordatio diuinorum beneficiorum, ac consideratio mortis, & iudicij omni hora imminentis: atque adeo breuitatis, incertitudinis, fragilitatisque huius vitæ. Sextum dolor de peccato statim atque ipsum committi accidit, cum inflictione alicuius pœnæ propter illud, ac proposito confitendi suo tempore. Septimum largitio eleemosynæ. Octauum conuersatio cum bonis, & cuitatio prauæ societatis. Nonum lectio librorum piorum, & auditio concionum. Decimum exercitium opetum misericordiæ, & Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ vsus deuotus & frequens. Vndecimum studium humilitatis, timoris Dei, & orationis, super omnia autem charitatem habere: *quod est vinculum perfectionis*, ex Apost. ad Coloss. 3. & sine quo nihil sumus, nec cætera nobis prosunt, ex eodem in priori ad Corinth. 13.

Remedia aduersus malas animi propensiones.

Cæterùm, vt idem Polancus monet, tria sunt quæ omnibus ferè salubriter proponi possunt. 2.

Primum est mane se totum offerre Deo, cum memoria Christi Iesu pro nobis oblati in cruce; gratiámque petere vitandi eo die lapsum in peccata, præsertim ea ad quæ sumus procliuiores: ac perseuerandi in ipsius amicitia, dicendo Pater, Aue, Credo, &c.

Tria quæ omnibus proponi possunt.

Secundum est se aliquantum temporis in quiete

colligendo (quod noctu ante somnum opportunè fieri solet) discutere suam cõscientiam,& considerare beneficia à Deo accepta, & mala ei reddita, transgressione diuinorum suorum mãdatorum; addita humili petitione, veniæ cum expresso emendationis proposito dicendo, Pater, Aue & Credo, &c.

Tertium est crebrò confiteri sacramentaliter quod præsidium multa complectitur, & est instar multorum. Pauca autem, vt idem auctor bene monet, & faciliora ad intelligendum, retinendum, & exercendum, simplicioribus proponenda sunt: vt verbi gratia mane dicere ter Pater, & ter Aue, ac semel Credo contra malas cogitationes, & mala verba, maláque opera: totidem vel plura agendo gratias Deo de beneficiis ab ipso acceptis; & petendo veniam de offensis contra ipsum commissis; implorandóque auxilium ad eas cauendas, adiuncto proposito emendationis. Præterea admonere, vt statim repellant offerentes se prauas cogitationes, caueántque illis voluntate consentire; sed sollicitè omnimodam tueantur puritatem, bonísque operibus insistant pro talenti accepti ratione, & crebrò confiteantur.

De dispositionibus ad gratiæ, & virtutum incrementum.

SECTIO SECVNDA.

3. Dispositiones autẽ ad gratiæ, & virtutum augmentum hæ possunt esse. Prima acceptorum à Deo donorum bonus vsus; sine quo illa augent obliga

obligationem, non vtilitatem, & meritum; vnde misericordiæ Dei est, cùm talem non vsum in aliquo præuidet, illa non augere, ne augeatur serui salutem nō inutilis pœna: de qua Matth.25. *Seruum inutilem eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Confert autem specialiter ad istiusmodi vsum: primò crebra ad illum aspiratio, cum studio placendi Deo, ac desiderio profectus nostri in virtute, vnde paupertas nostra spiritalis subleuetur, & imperfectioni nostræ remedium adferatur. Secundò memoria Dei præsentis, recognoscendo debitum, quo obstringimur, occupandi nos in ipsius seruitio. Tertiò intueri Christum exemplo præeuntem nobis, in ipso virtutis vsu; & nominatim in eo, cui de præsenti incumbendum esse ratio dictat: ab eóq; auxilium petere, quasi iaculata oratione cum sponsa, Cantic.1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Petere, inquam, magna cum fiducia ab ipso, qui mediator, & redemptor noster est liberalissimus, & misericordissimus. Qui enim tanta operatus, passusque est pro nostro profectu; & amantior est nostri, quàm nosipsi; bonus ille pastor quærens ouem errantem, & inuentam humeris suis imponens, qui & pro grege suo mori dignatus est; stabit promisso facto, verbis illis, Matt.7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

Confert ad augeri dona Dei in nobis.

Secunda dispositio ad augmentum gratiæ, & virtutum esse potest, non tantùm perseuerare in accepta gratia, sed etiam bene ad eam habere se; vt contingat primò non abutendo eâ, prout abuti censetur ille, qui superbiendo, Deum oppugnat 4.

suis donis. Secundò seruando eam diligenter, magníque æstimando dona Dei, & pro illis gratias agendo ex animo: atque petendo, vt in nobis perseuerent; quæ petitio quotidie fieri debet, ob quotidiana pericula perdendi rem necessariam ad salutem. Tertiò demum sollicitè negotiando cum tali talento accepto; nimirum in exercenda pietate erga Deum, benignitate erga proximum, & mortificatione erga nosipsos. nam scriptum est, Ier. 48. *Maledictus homo qui facit opus Dei fraudulenter.*

5. Tertia dispositio est quorumdam internorum adiumentorum; quorum primum consistit in rectitudine intentionis: quæ tunc contingit cum gratiæ augmentum non aliter intendimus, quàm vt Deo maximè placeamus, & proximum iuuare possimus, prout Christiana charitas exigit. Secundum verò consistit in dispositione animæ, per quam vas sit capax talis augmenti, tamquam liquoris abundantioris. Quæ dispositio contingit per profundam humilitatem, qua homo sentit inanitatem suam; & id quod sibi deest intuens, de se diffidit omninò, ac seipsum abnegat. Tertium consistit in dilatatione desiderij, tamquam oris animæ, vt Deus impleat illud. Nihil autem aliud est talis dilatatio quàm voluntatis magnopere, frequenter, & insatiabiliter expetentis gratiæ augmentum. Quartum consistit in eo animæ studio, quo circa pia opera (orationes, inquam, ieiunia, & eleemosynas & cætera, quæ ad hæc reducuntur) diligentia adhibetur, vt instanter, fortiter, & perseuerantèr ea fiant ad promerendum apud Deum propositum augmentum.

6. Quarta dispositio est quorumdam aliorum adiumentorum externorum: quorum primum consistit

stit in captanda, nec negligenda opportunitate siue temporis, dieíve festi, tamquam commodioris ad consequenda Dei dona (qua de causa, maximè in eo commendatum solet esse exercitium operum pietatis in Deum, & in proximum propter Deum) siue etiam vocationis Dei per interiores inspirationes; aut etiam exteriores afflictiones, vel prosperitates. De cuiusmodi opportunitate, Apoc. 3. certiores nos facit talium donorum largitor inquiens, *Ego sto ad ostiũ, & pulso: si quis aperuerit, intrabo, & cœnabo cum eo.* Secundũ verò consistit in postulando à Dei seruis adhuc viuentibus, vt orent pro nobis, ac dignentur nos meritorum suorum facere participes. Tertium autem in inuocando deuotè sanctorum cum Christo regnantium suffragia, & præcipuè beatæ Virginis. Quartum demum in susceptione debita Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: ad quam, tamquam continentem gratiarum omnium fontem, cum quanto possumus feruore accedendum est. Quæ quatuor attingentes Polancus *b*, & Iacobus à Graphiis *c* addunt, quod non videtur prætereundum silentio: non expedire (etiamsi perfectionis sit) ad statum consiliorum Euangelicorum statim stimulare pœnitentes, progressum facientes in virtute; quantumuis ad eum statum idonei appareant: quia multi sunt, qui illum eò magis refugiunt, quò sibi maiore studio persuaderi sentiunt: securum esse autem ad meliora, & saluti viciniora tales adducere: interea de inspirationibus Dei interrogando cum dexteritate, an aliquas sentiant, quibus ad perfectiorem vitæ statum assumendum inuitetur: siquæ aliquas in se sentiant, admonere ne surdi sint ad vocationem

7.

b in seq. art. 3.

c lib. 1. decis. aurear. c. 30. Ad cõsiliorum statum stimulare pœnitentes non expedit statim.

Dei. Si verò non sentiant, hortari vt Deo offerant seperatos ad omnia, quæ fuerint ei gratissima. Ac quisque prout fuerit dispositus, ad optima est excitandus. Quòd si Confessarius aliquem inueniat dispositum ad tenendam consiliorum viam: non debet negligere occasionem iuuandi ipsum: quia non exequeretur alioqui munus suum fideliter. Quamquam autem debeat ipsum dirigere, non debet tamen ad vnam potiùs, quàm ad aliam religionem inuitare, sed ei liberam relinquere suam vocationem, nisi in aliquo ipsum decipi constaret, quia tunc esset consilio iuuandus.

Ratio extirpandi ab anima vitiosos habitus ad euitationem peccatorum.

SECTIO TERTIA.

8. VItiosi habitus instar spinarum sunt, quæ in agro cordis nostri latibulum præbent antiquo serpenti: cuius inhabitatione ita deprauatur, vt pro fructibus bonorum operum, producat peccata: de quibus, Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem.* In illis ergo extirpandis insudandum est ad peccatorum euitationem: quod quidem magnam habet difficultatem, *quæ quasi obstetricantem Dei manum requirat, vt educatur coluber tortuosus*, iuxta dictum S. Iob. in cap. 26. Qua ex re potest quidem in nobis augeri diffidentia de nobis: non debet tamen minui confidentia in Christo, dicente Apostolo ad Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat*, &c. qua

quia ille *potest etiam ex lapidibus suscitare filios Abrahæ:* d ad hocque venit in mundum, *vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mandaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* e Ita vt nemo sit qui desperare debeat se posse cum tempore superare quodcumque vitium, quantumcumque in ipso altissimas egerit radices: si quæ suarum partium sunt præstiterit, firma in Christū innixus spe, quam excitare, foueréque debet, ipsum humiliter considerando: tum vt creatorem, *apud quem non est impossibile omne verbum* f, quique ideo potest reformare in nobis suam imaginem, per vitium deformatam; tum vt patrem qui filio petenti spiritum bonum, non potest eum illi negare, iuxta illud, Luc.11. *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Ad quod facit parabola de filio prodigo g: cui reuerso ad patrem, tum benignè de omnibus idem pater prouidit, tum demum vt medicum missum ad impertiendam salutem omnibus, qui ea indiguerint: ipso dicente, Matth.18. *Filius hominis venit saluare quod perierat:* eiusque rei gratia sanguinem suum fudit, & corpus suum in sacrificium, & cibum reliquit in Eucharistia; factus medicus noster, & medicina; redemptor & pretium redemptionis nostræ. Sic igitur, *sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* 1.Ioan.1. *Habemúsque redemptionem per sanguinem eius,* ad Ephes.1. *Atque si cùm peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò sanè magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum,* ex cap.5. epist.ad Rom. Vnde nullus potest esse locus pusillanimitati, aut diffidentiæ; quia licet magna sit in-

d Matth. cap.3.

e ad Titū, cap.2. Nemo desperare debet se posse superare quodcumque vitium.

f Luc.1.

g Luc.15.

dignitas nostra, in infinitum tamen Dei misericordia eam vincit: neque iustitia ipsius obsistit, sed potiùs fauet: vtpote quæ exigit, vt ipse det nobis id quod à nobis petit; cùm illud præstare nequeamus nisi de manu ipsius acceperimus, creator est, quem dubitare non possumus malle opus ad imaginem suam factum videre purum, quàm vitiis contaminatum. Si bonus Dominus, seruum: & pater, filium volentem ex vitiorum cœno emergere, libentissimè adiuuat: quis non expectet idem auxilium à Deo, qui est bonitas ipsa, nec vmquam deest sperantibus in se? Magno igitur, fortique animo quæ in hac re nostrarum sunt partium, auxilio freti Christi conemur exequi: qualia censentur ser sequentia.

Sex à nobis præstanda ad vitiorum eradicationem.

9. PRimum est, Christi auxilium pro mentis illuminatione implorare: vt fieri potest per illud Psalm. 12. *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, nequãdo dicat inimicus meus, Preualui aduersus eum.* Secundum est, vt conemur nos ipsos intimè cognoscere, perscrutando accuratè, omnes prauas inclinationes nostras, earúmque radices, per quas ortum, & incrementum capiunt ab amore nostri inordinato (quæ radices communiter in septem distinguuntur, & capitalia peccata vocãtur) cúmque eas inuenerimus, studeamus euellere: non quidem omnes simul, sed vnam post alteram: incipiendo ab ea, quæ magis nos infestat, & magis est in nobis peccatorum incentiuum. Nam habens plures

plures hostes potentes, si velit omnes deiicere simul; aut hodie hunc, & illo nondum debilitato, cum alio congredi, nullum vincet. Tertium est, habere notata, memoriæque commendata illa, quæ vitiorum (præsertim illius in cuius eradicatione peculiariter incumbimus) inducunt displicentiam, & odium quæque contra conciliant, complacentiam & amorem pulchritudinis virtutum; máximè illius cui propositum vitium aduersatur. De quibus in eum finem legendi sunt libri pij: & de iisdem sæpe apud se meditandum, & cum aliis colloquendum. In eam rem vsui esse possunt antedicta de turpitudine & pernicie peccati. Quartum est, vt cùm vitia habeant radices varias, quasi fibras tum occasionum peccandi, tum etiam malarum propensionum tam à natura corrupta, quàm à praua consuetudine prouenientium, in iis euellendis incipiamus à minus difficilibus, & ex illis paulatim assurgamus ad difficiliores, diffidendo de propria infirmitate, & confidendo in Christi auxilio: quod oportet implorare: menti cum pudore, & dolore obiecta talis vitij turpitudine: excitatóque desiderio liberationis ab ea; vt valeamus in cœpta salutis via progredi resistendo tentationibus occurrentibus. Simul etiam aduocatos adhibere, Beatissimam virginem, ac reliquos Sanctos, nominatim autem eos, qui excelluerunt in virtute contraria vitio, quod extirpare satagimus: Intereáque manentes spe fixi in ipso Christo, & conantes omni studio euadere periculum labendi per tale vitium in peccata quibus iuxta Apostolum ad Heb. 6. *rursum crucifigamus nobis ipsis filium Dei & ostentui habeamus.*

h in præced. cap. 5. Sect. 3. & sequentibus, & dicenda in sequenti cap. 19. de remediis aduersus peccata capitalia.

Quintũ est, vt in certamine, quod contra certũ

vitium animus, id ipsum vitiũ persequamur instãter donec ita debilitetur, vt iam sit facile ipsum, iuxta rationis arbitrium, compressum habere: perfectè verò non sentiatur, nec necessarium est, nec etiam fieri potest. Et licet præcipuâ diligentiâ cum tali vitio peculiariter pugnandum sit; cæteri tamen non sunt interim negligenda; sed eorum vniuersalis horror semper habendus est, siquid aliquod eorum incipiat infestiùs, & cum aliquo peccandi periculo nos vrgere, statim, quasi protrito capite reprimi debet. Postremũ est vt strenui, animoque virili simus tum in aggredienda hac spirituali pugna, vt non terreamur labore, nec absistamus re difficultate in quo magnum est victoriæ signum, tum etiam in ea prosequenda constanter, non diffidendo de victoria, etiamsi infirmi & fragiles, sæpius qualibet die labamur; vnde fieri potest prouentus humilitatis, cui lapsus eiusmodi materiam præbet. Neque enim in istiusmodi certamine qui cadit vincitur, dummodò surgere studeat; sed qui fugiendo arenam, pugnare desinit, aut aduersario se dedit.

Omnia vitia horrori habenda sunt.

Ratio faciendi Christi merita nobis propria ad incrementum gratiæ, & virtutum.

SECTIO QVARTA.

10. Christus promeruit nobis gratiam.

CHristus caput totius Ecclesiæ, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit & meriti non tantùm pro se, sed etiam pro omnibus, qui ei tanquam viua membra vniuntur. Illis enim promeruit ea ratione, qua solet quis singulis sui corporis membris viuis, quando aliquid agit remunerationis digni-

dignum: sicque merendi adiumenta habemus non tantùm intra nos: gratiam, inquam, & virtutes, tum Theologicas, tum morales infusas, ac Spiritus sancti dona; ex quibus simul concurrentibus tamquam ex fonticulo emanat nostrarũ actionum meritum, sed etiam extra nos, Christum videlicet Dominum nostrum, meritorum abyssum infinitam, propter gratiam sine mensura, per quam meruit, personæque merentis dignitatem infinitam. Etenim talium meritorum participes fieri possumus: quod sciens D. Bernardus vt in ipsius vita refertur *i*: diabolo ipsum in extremis constitutum accusante; respondit, fateor, non sum ego dignus, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum: cæterùm dupliciure illud obtinens Dominus meus: hæreditate scilicet patris, & merito passionis; altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono iure illud mihi vindicans, non confundor. Cùm autem maximi omnium momenti sit talis participatio, debemus magnâ cura ad illam nos disponere, sicut possumus per illa quæ nos ipsi Christo vniunt, & quasi incorporant: qualia sunt tum fidei, spei, & charitatis erga ipsum vsus: de quo sequenti cap. 15. sect. 7. tum etiam imitatione ipsius in aliarum virtutum exercitio, quo in via salutis (posita in declinando à malo, & faciendo bonum) ita ambulemus, vt intueamur: ac sequamur ipsius quasi vestigia. Ad quod præter notitiam gestorum ipsius, quæ acquiritur audiendo conciones aut legendo pios libros, aut meditando, vel colloquendo de vita ipsius, aut per vsum imaginum, requiritur, vt ipsum habeamus assiduè ante conspectum nostrum, prout exponetur in eodem cap. 15. sect. 5. Tum præterea sacro

i lib. 1. cap. 12.

Duplici nomine Christus ius in regnũ cælorum habuit.

sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio debita, de qua plu-
ribus dicturi sumus in praxi fori pœniten. par. 3
tom. 3. tantùm hic monebimus, ista requirere: Pri-
mò, vt omnes vires animæ à quacumque alia
cura seuocatæ, in ea vna occupentur. Secundò vt
maxima munditia mentis curetur, diligenti inqui-
sitione, vehementi dolore, perfecta confessione
peccatorum, ac viuo quodam proposito, & decre-
to emendationis. Tertiò vt expẽdatur vilitas nos-
quorum causa maiestas infinita tam admirabile sa-
cramentum instituit; & cum pudore, ac verecun-
dia deploretur peruersitas nostra, qua tam segniter
ipsam Sacrosanctã Eucharistiã vsurpamus. Quarto
vt renouentur labores, & cruciatus Christi, & offe-
rantur Deo in gratiarum actiones pro ipsius im-
mensis in nos beneficiis. Quintò, vt eliciatur fidei
actus, quo credatur sub speciebus sacramentalibus
Christum esse verè præsentem, quem cum summa
reuerentia omnes cælestes adorant. Sextò, concipiatur spes magna, cùm videamus dari nobis pignus
futuræ gloriæ. Septimò vt exerceatur actus amoris
erga Christum, qui nobis ita se dedit, vt non videa-
tur posse magis noster esse. Quid enim magis no-
strum, quàm cibus, quo vescimur? Tum demum
speciale studium ad hoc adhibendum, vt nos ipsum
Christi meritum induamus, nobisque redempto-
nis nostræ fructum reddamus, proprium, qui fru-
ctus est, primò, satisfaciendi pro peccatis tamquam
debitis nostris. Deinde promerendi nobis in hac vi-
ta gratiam, & in futura gloriam. Postremò agendi
vitam Deo placentem. Istiusmodi studij autem vti-
liter exercendi modus hic esse potest: primò con-
uerti ad Christum, à quo est omne bonum nostrum

Fructum redemptionis nostræ quomodo nostrum reddamus.

iuxta

iuxta illud Ioan. 1. *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia*; & coram eo recognoscere tum nostram, ac nostrarum actionum imperfectionem, tum etiam debitum, quo obstringitur, ipsum honorandi, ipsique placendi ac iuuandi membra ipsius: nempe tum nosipsos tum etiam proximos pari nobiscum paupertate, egestatéque pressos. Secundò considerare thesaurum meritorum inæstimabilem, in iis, quæ Christus infinitæ dignitatis persona, egit, passúsque est ex iustitia, obedientia, charitate, & gratiâ sine mensura: quódque ipse talia merita sua possit omnibus suis membris communicare, ac efficere, vt nobis imputentur tamquam nostra. Tertiò in nobismetipsis excitare desiderium participationis ipsorum Christi meritorum optando vehementer indui veste confecta ex tam pretiosis velleribus agni illius immaculati, eâ potissimùm intentione, vt Deum honoremus, & ei maximè placeamus: proximos item iuuemus, nósque ipsi eâ confoueamur ad roborationem gratiæ, & virtutum nobis diuinitus infusárum, animæque nostræ maius decus, & ornamentum: vt tum ipsa, tum actiones ipsius gratiores sint in conspectu Dei. Quartò erigi in spem tanti beneficij consequendi: tum quia id maximè conuenit summæ Christi erga nos misericordiæ: cuius typum quemdam gessit misericordia Sancti Iob dicentis in cap. 31. *Si despexi pereuntem, eo quòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem: si non benedixerint mihi latera eius, & de velleribus omnium mearum calefactus est, &c.* Tum quia conuenit Dominicæ incarnationis fini, qui est maxima Dei gloria, nostræque perfectioni. Tum etiam quia conuenit bonitati magnificen

gnificentiæ, liberalitatíque diuinæ, & in vi
nobis conferat quod ſummum eſt inter bona pra-
ſentis vitę, ſuum ſcilicet meritum, ſicut in patria no-
bis conferet, quod item ſummum eſt; puta viſioñ,
& fruitionem ſuæ eſſentiæ; tum demum, quia ma-
ximè honorificum eſt humanitati Chriſti, vt ſic lo-
cupletare poſſit, & velit ſuos.

Poſtremò addere Orationem, quâ deuotè, in-
ſtãtérque petamus à diuina bonitate per ipſa ſum-
ma Chriſti merita, & Beatę Virginis, ſanctorúmque
omnium interceſſionem, vt de inexhauſto eorun-
dem meritorum theſauro paupertatẽ, & indigen-
tiam noſtram ſubleuare dignetur: vt calefacti de
velleribus illius agni ſui, qui tollit peccata mundi,
ſeruiamus ipſi in ſanctitate, & iuſtitia omnibus die-
noſtris. Ad hoc enim idem agnus innocens, & im-
Luc.1. pollutus occiſus eſt, in quo fundaretur, & à quo in-
choaretur, & per quem promoueretur, perficere-
turque omne bonum noſtrum. Cui laus ſit ab om-
ni creatura, iuxta illud Apoc.5. *Et omnem creaturam,*
quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ
ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicẽtes, Sede-
ti in throno, & Agno, benedictio & honor, & gloria, &
poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT

CAPVT XIIII.

De prudentia in erudiendo rudi in fide, ac nesciente viam salutis.

SVMMARIVM.

1. *Declaratio mysterij sacrosanctæ Trinitatis accommodatè ad captum rudiorum.* 2. *Similis declaratio mysterij incarnationis.* 3. *Propositio aliorũ mysteriorum, in symbolo Apostolico expressorum.* 4. *Ratio qua ab Ecclesia inculcantur eadem mysteria.* 5. *Via salutis posita in adimpletione diuinæ voluntatis, & vniuersè quid Deus velit à nobis.* 6. *Vitanda ad tenendam viam salutis.* 7. *Detrimenta accepta per peccatum commissum recedendo à via salutis, cum ratione eareparandi.*

CVM editus iussu Concilij Triden. Catechismus ad Parochos, sufficienter ea suppeditet quæ huc spectare possunt: siue quoad res, de quibus erudire oportet, siue quoad modum erudiendi: contenti erimus attingere familiarem modum agendi cum nonnullis adeo rudibus, vt de principiis fidei, in ipsa etiam Confessione doceri debeãt, vt absolutionis Sacramentalis bene capaces censeantur: quod aduertere, in eóque pœnitentem suum iuuare accommodatè ad ipsius captum, est magistralis prudentiæ Confessarij: sicut & nescientem informare, de via salutis: quod vtrumque, qua ratione paucis fieri possit, sequitur tradendum.

Catechismus Concilij Tridentini laudatur.

Modus

Modus familiaris erudiendi rudem in fide.

SECTIO PRIOR.

1. HIc modus potest esse ille, quem attigit Iacobus à Graphiis in lib. 1. decisionũ aurearum[a] vt declaretur, quid sibi velit quòd formemus signum crucis ducta manu à capite ad imum pectus, deinde à sinistro humero ad dextrum dicentes: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.* Hæc enim verba indicãt sacrosanctæ Trinitatis mysterium, ad quod recolendum, institutus est in Ecclesia dies Dominicus: in eóque consistit (ex articulo primo symboli Apostolici) quòd Deus totius mundi conditor, & rector, supremúsque Dominus, ex quo toti pendemus, vnicus sit quidem in sua natura diuina, trinus tamen sit in personis suis diuinis; sicut figura triangularis vna est in sua natura, & trina in tribus angulis in quibus consistit, atque primam earum personarum à nullo alio habentem originem, nomine Patris significari, secundam verò habentem originem à patre, significari nomine filij: & demum tertiam à Patre, filióque simul habentem originem, significari nomine Spiritussancti, neque eam differentiam originis obstare, quominus sit vnicus Deus, cùm omnium trium vna eademque sit diuinitas; duratione, omníque perfectione infinita: ita vt Pater sit persona alia à Filio, & Spiritu sancto, sit tamen alius Deus: sed vnus & idem; adeo vt omnia *sint in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda*, sic quod simpliciter credere, nec vexare se in inquisitione modi, quo id fieri possit: monendus est pœni-

tens.

[a] Cap. 24. nu. 3.

Dominicus dies institutus in Ecclesia ad recolẽdum mysteriũ adorandissimæ Trinitatis.

In sacrosancta Trinitate est vnus Deꝰ, & tres personæ. Ex Symbolo S. Athanasij.

tens,ne volēs ſapere pluſquam oportet,*factus ſcrutator maieſtatis, opprimatur à gloria b.*

Productio verò manus à capite ad imum pectus, ſignificat deſcenſum filij Dei in ſanctiſſimæ Virginis Mariæ vterum:ſeu ipſum,non quidem hominis, ſed Spiritusſancti operatione conceptum eſſe, & hominem factum in ipſo beatiſſimæ Virginis Mariæ vtero:prout declaratur per ſecundum Symboli Apoſtolici articulum: ita vt ſimul ſit *verus Deus, ſicut pater ipſius æternus: & verus homo ex anima & corpore conſtans*: ſicut tēporalis mater ipſius in quo conſiſtit alterum noſtræ religionis præcipuum myſterium, quod dicimus incarnationis; quia eſt filij Dei incarnati per humanæ naturæ aſſumptionem: quæ incarnatio vtcumque adumbrari poteſt ſimilitudine,qua filius Dei aſſumens naturam humanā comparetur regi, qui in throno ſedens aliquem in eum ad ſe aſſumeret ſecum ſeſſurum,de quo myſterio,vt de præcedenti ſimpliciter credendo, pœnitens monendus eſt.

Natus autem ex eadem Virgine in ſtabulo,poſtea paſſus eſt ſub Iudice Pontio Pilato, crucifixus, & in cruce mortuus; ac mortui corpus mandatum eſt ſepulturæ,& anima deſcendit ad loca ſubterranea in quibus animæ iuſtorum commorabantur, donec per eandem Chriſti mortem aperiretur eis cœlum,quod per peccatum Adami primi omnium parentis,erat clauſum. Tertia die autem anima reddita corpori rediit ad vitam,& quadrageſimo pòſt die in cœlum aſcendit:vbi glorioſus ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; vnde & venturus eſt iudicare omnes homines, conſtitutis ad dexteram iis qui bona egerunt,& deceſſerunt in Dei gra-

2.

b Prouer. 25.

Chriſti incarnatio, qui verus Deus & verus homo eſt: perfectus Deus, perfectus homo,ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, Græcè, τέλειος θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφιστάμενος. Athan. in Symb.

tia;& ad ſiniſtram iis qui mala egerunt, & deceſſerunt in peccato mortali, vt in illos ſentẽtiam æternæ ſalutis,& in hos ſententiam æternæ perditionis proferat. Iam quod formantes ſignum crucis manũ à ſiniſtro humero ad dextrum reducimus, ſignificat cauſam aſſumptæ naturæ humanæ à filio Dei eſſe, vt à ſiniſtra ſua ad dextram, id eſt, à ſtatu damnationis, ad ſtatum ſalutis hominem transferret, iuxta illud ad Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*; ſiue vt paſſione ſua pro peccatis noſtris Deo ſatisfaceret, & ſua reſurrectione excitaret nos ſpe futuræ beatitudinis ad ſtudium ſanctitatis morum, per quam Deo placentes conſequeremur æternam ſalutem. In quem etiam finem Spiritum ſanctum dedit Eccleſiæ ſuæ Catholicæ (extra quam ſalus obtineri nõ poteſt) vt eam regeret, & in ea vnumquemque fidelem ſuis cœleſtibus donis cõfirmaret, diuiniſque impulſibus ad ipſum ſalutis portũ proueheret, vbi monendus eſt, nomine Eccleſiæ ſignificari congregationem Chriſti fidelium, qui credunt, tenẽtque quidquid Sancta Romana Eccleſia credit, & tenet. Poſuit etiam Sanctorum hominum, ſacramentorúmque communionem (de quorum, præſertim pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſu, quem tunc vſurpare ſtatuit, inſtituendus eſt pro ipſius captu) tamquam adiumentum ad peccatorum remiſſionem, & conſecutionem diuinæ gratiæ, quæ eſt æterna ſalutis quoddam quaſi ſemen, ex quo prouenit æterna gloria: non ſolùm animæ, ſed etiam corporis reſtituendi vitæ; iterúmque animæ ita ſociandi, vt ab ea ſiue beata fuerit, ſiue miſera, numquam ſeparandum ſit. Quibus propoſitis prudentiæ eſt monere

Crucis ſignũ formãtes cur a ſiniſtro húmero ad dextrũ manum referamus.

Eccleſia quæ ſit in Symbolo.

monere ea omnia contineri in Symbolo Apostolorum, quod cum oratione dominica & salutatione Angelica addiſci recitarique ſolet à fidelibus tamquam continens ea quæ communiter debent nobis verſari ob oculos, ad fouendum in nobis pietatis, bonorúmque operum ſtudium: & ad impietatem vitæque improbitatem aduerſandam, iuxta illud ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè, viuamus in hoc ſeculo; expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

4. Feſtum gloriosiſſimæ Trinitatis, & alia feſta ad quid inſtituta.

Addi etiam poterit: ad recolendam memoriam myſterij ſanctiſſimæ Trinitatis, bonorum omnium vberrimi fontis, celebrari in Eccleſia diem dominicum, & particulariter illum, qui proximè ſequitur Pentecoſten. Beneficium autem maximum Chriſti Incarnationis, ac natiuitatis, gratâ memoriâ recolendum Eccleſiam inculcare, obſeruatione ſolemnitatum Annunciationis B. Mariæ, & natalis Domini cum præcedente aduentu. Beneficium verò paſſionis (cuius repreſentatio eſt celebratio Miſſæ,) inculcare obſeruatione diei Veneris, & temporis quadrageſimalis, & erectionis crucis non modò in templis, ſed etiam extra ea in vrbibus, domibus, & agris: myſterij autem reſurrectionis Chriſti (ac noſtræ etiam aliquo modo) memoriam inculcare celebratione tum diei dominicæ, tum etiam ſolemnitatum paſchalium: quibus ſuccedit feſtum Aſcenſionis Domini in memoriam myſterij eiuſdem Aſ-

censionis in cœlum. Futurus porro Christi aduentus ad iudicium, inculcatur simul cum aduentu primo, in quo incarnatus de Spiritu sancto, homo factus est. Beneficium verò Ecclesiæ dati Spiritus sancti, inculcatur obseruatione annua solemnitatis Pentecostes. Eiusdem Ecclesiæ vnitas indicatur templo materiali omnibus communi: in quo omnes preces fiunt pro omnibus qui de ea sunt. Sanctorum communio, & remissio peccatorum inculcantur: illa quidem præcipuè celebratione solemnitatis omnium Sanctorum, & festo corporis Domini, ac vsu panis benedicti: hæc verò vsu tum aquæ benedictæ, tum indulgentiarum, tum etiam ieiuniorum, nostra denique resurrectio, & vita æterna inculcantur: illa quidem solemnitate paschali, vt iam attigimus; conseruatione reliquiarum Sanctarum: & vsu cœmeteriorum institutorum ad religiosam sepulturam defunctorum: hæc verò celebratione adhuc festorum Ascensionis Domini, & omnium sanctorum ac supplicationum, & cantuum lætitiæ in Ecclesia.

Ratio informandi paucis eum qui nescit spectantia ad viam salutis.

SECTIO POSTERIOR.

CVm proposita ignorantia, coniuncta est alia eorum, quæ spectant ad salutis viam, cui remedium aliquod adhiberi consentaneum est, antequam pœnitens ea laborans dimittatur: quod videtur sic paucis fieri posse, cùm non datur tempus agendi pluribus.

Primò

Primò inculcandum est æternam salutem, ad quam aspirat, non contingere, nisi facienti voluntatem Dei, iuxta illud Matt.7. *Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Quænam autem sit Dei voluntas, quam facere oportet, declarari mandatis de quibus in cap.19. D. Matthæi dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* paucis autem comprehensam haberi verbis illis Michææ.c.6. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid requirat Dominus à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Quibus verbis significatur voluntatem Dei esse, vt vitam agamus respectu quidem nostri in ieiunio, seu mortificatione concupiscentiæ nostræ, quæ *cùm conceperit parit peccatum*, Iacob.1. Id enim est facere iudicium, tollendo scilicet ei licentiam, quam contra ius fasque sibi ea sumit, dum in prosecutione iucundi, aut fuga molesti excedit rectos rationis limites. Respectu verò proximi in eleemosyna, qua is iuuetur in sua necessitate: hoc enim est diligere misericordiam. Respectu denique Dei in oratione seu deuotione, qua toti in eum feramur: quod est *sollicitum ambulare cum Deo.* Addi poterit: charitatem, Deique amicitiã (cui vt restitueretur ipse ad Sacramentum Pœnitentiæ meritò accessit, cùm sine ea vitã æternæ salutis meritoriã agere nequeat *c*) talia exigere: mortificationem quidem concupiscentiæ, quoniam hæc illi aduersatur, tamquam fomes omnis peccati mortalis, per quod charitas ipsa extinguitur; auxilium verò proximi, quoniam eadem charitas de se nata est parere proximi compassionem sicut & amorem: deuotionem denique erga Deũ, quia eadem adhuc

Æterna salus non datur nisi bonum faciẽti.

c ex priori ad Corinth. cap.13.

charitas, nata est eleuare ad Dei amorẽ supra omnia, & consequenter ad promptitudinem seruiendi ei in omnibus: in quo consistit deuotio.

Det ergo operam, caueatque ne in ipso vigeat, aut concupiscentia siue voluptatis, siue curiositatis, siue vanitatis (quarum prima *concupiscentia carnis*, secunda *concupiscentia oculorum*, & tertia *superbia vitæ* dicitur primæ Ioan. 2.) aut peruersa voluntas erga proximum: aut negligentia in seruitio Dei. Viget autem concupiscentia voluptatis, in gulosis, & in luxuriosis, ad quos reuocantur qui mollibus vestiuntur. Concupiscentia verò curiositatis, in curiosis & auaris: quorum illi nimis appetunt scire occulta; & videre pulchra; hi verò habere chara. Concupiscentia demum vanitatis in superbis: in quibus viget nimius appetitus fauoris laudis, & honoris. Quibus omnibus inculcanda sunt verba Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quæ verba ostendunt non modò consentiendum non esse concupiscentiis: sed etiam in primo earum motu repellendas esse, iuxta illud in sequen. cap. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Peruersitas verò voluntatis erga proximum, viget.* Tum in iracundis, maleuolentiam, quam intus gerunt in animo prodentibus externis, verbis iniuriosis, seu maledictis actibus vindicatiuis, signis in facie, gestibus, & clamoribus. Tum in inuidis, dolentibus de prosperitate, & gaudẽtibus de infortunio proximi, negligentia denique prædicta, viget in acediosis, torpentibus in Dei seruitio, rarò, aut sine debita reuerentia, & attentione orantibus, vel Missam audientibus,

leuitérque

leuitérque tantùm se ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ parantibus.

Commendanda demum est saluberrima memoria præsentiæ Dei, tanquam actionum nostrarũ præsentis testis: qui idem nos misericorditer, nunc sustinens, erit postea seuerus Iudex, faciens reddere rationem vsque ad nouissimum quadrantem: ad cuius tribunal progressio quædam est & accessus, vita nostra: vnde ea debet ita institui vt illum habere possimus placatum; ne nobis conueniat, quod ab ipso Christo dictum est de Iuda *d*, *bonum esset ei si natus non fuisset homo ille.* D. Matth. cap. 26.

Monere adhuc potest de detrimentis, quæ accipiũtur relicta via salutis; & de ratione qua possunt reparari tenendo eamdem viam. Per peccatum igitur recedendo à via salutis, detrimenta accipiuntur, non modò à peccatore ordinariè; sed etiam à proximo multoties: à Deo autem numquam, iuxta illud Iob 35. *Si peccaueris quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* 7.

Accepta dãna iure naturæ reparare tenetur qui intulit.

Accepta autem à proximo reparantur per restitutionem: quam iure naturæ tenetur facere, qui illa iniustè intulit; aut si eam facere non potest, recurrere ad Christum. In quo recursu oportet primò detrimenta ipsa illata cognoscere, & nos cum dolore Christo offerre paratos ad quasuis pœnas libenter patiendas eo nomine, quòd per nostram culpam illi, quos sanguine suo redemit, patiantur detrimentum cum aliqua fortè diminutione honoris sui diuini. Secundò tantùm de ipsius potentia, scientia, & bonitate credere, & sperare, vt persuasum habeamus, quòd possit, sciat, & velit pro nobis satisfacere; si vt par est, id ab eo per deuotam orationem pe-

tamus; quæ facienda est adhibitis intercessoribus Sanctis, & reuocatâ in memoriam passione, qua verè misericors omne subsidium nobis promeruit.

Accepta verò à nobis detrimenta sunt peccati macula, & innumera alia mala, quæ eam sequũtur, iuxta illud Psalm. 31. *Multa flagella peccatoris*: ad quorum reparationem contritio (de qua superius) instituitur. Ea enim est pœnitentia de qua Dominus noster Luc. 13. ait, *nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Accedit ad eadem mala exiguus valor eorum etiam operum, quæ etsi ex radice diuinæ gratiæ, & charitatis proueniant, ideóque sint æternæ salutis meritoria, ob negligentiam tamen, & tepiditatem nostram, nec nobis tam fructuosa, nec proximo tam proficua, nec Deo tam honorifica sunt quàm deberent esse.

Pro eorum reparatione verò, est recurrendum ad Christum, qui pro infinita sua potestate, & munificentia, magnificentiaque, ipsis actionibus nostris dare potest quantum volet valorem, suaque acceptatione eas extendere, ad quàm plurimorum vtilitatem. Coram illo igitur constituti, humiliter ipsi gratias agamus, de eo quod in iisdem actionibus bonum fuerit, quodque imperfectum in eis est, recognoscamus pudore suffusi, & de tali imperfectione intimè dolentes: concepto pariter magno desiderio tam honoris diuini promouendi, quàm vtilitatis proximi procurãdæ. Atque ipsas denique nostras exigui valoris actiones, cũ ipsiusmet Christi actionibus infiniti pretij offeramus ei: petendo suppliciter per passionis suæ merita, ac Sanctorum intercessionem: vt pro infinita sua benignitate, & misericordia dignetur, quod illis deest supplere, ad

ipsius

ipsius gloriam, & nostram, ac proximorum æternam salutem.

CAPVT XV.

De dispositionibus necessarijs in anima ad tenendam salutis viam, à Confessario tamquam spiritali patre inculcandis pœnitenti.

SVMMARIVM.

1. *Tales dispositiones præcipuæ, bona voluntas, coniunctio animæ cum Christo, & conatus noster: & in quo duæ illæ consistant.* 2. *Noster conatus in quo consistat, quidque requirat.* 3. *Coniunctio animæ cum Christo per fidem, quódque hæc debeat esse recta, magna, & fortis.* 4. *Coniunctio per spem, quódque de nobis diffidendum sit, & in Christo confidẽdum.* 5. *Tam diffidentia de nobis, quàm confidentia in Christo debet esse recta, magna, & fortis: & quomodo.* 6. *Coniunctio animæ cum Christo per charitatem.* 7. *Ad quam coniunctionem abnegatio sui ipsius, concurrit cum dilectione Christi: támque illa, quàm hæc debet esse recta, magna, & fortis; & quomodo.* 8. *Necessitas proponendi Christum ante conspectum suum ad tenendam viam salutis, & modus, quo id fieri debet.* 9. *Adiumenta remota ad id faciendum.* 10. *Adiumenta propinqua.* 11. *Præcipuum eorum quod est feruere amore Christi, quomodo foueatur exercitio fidei.* 12. *Quomodo exercitio spei.* 13. *Quomodo exercitio charitatis.* 14. *Hu-*

In hoc & sequẽti cap. contẽta, pie Lector, magni facito eo nomine, quòd maxima ex parte sint profecta ab vno ex iis patribus, per quos diuina bonitas dignata est Societatem nostram inchoare.

miliationis nostræ necessitas, & quæ ad eam iuuent. 15. *Debet esse recta, magna, & fortis.* 16. *Ratio illam exercendi intra nos.* 17. *Ratio illam exercendi extra nos.* 18. *Ratio illam exercendi cum proxima.* 19. *Necessitas aduersa patiendi propter Christum, & quæ sint ad id communia adiumenta.* 20. *Considerationes speciales seu iuuantes specialiter ad patienda aduersa, quæ nobis inferuntur ab alijs.* 21. *Voluntaria susceptio aduersorum qualis esse debeat.*

1. Bona volũtas in quo consistat.

PRÆCIPVÆ istiusmodi dispositiones, sedulò pœnitentibus inculcandæ sunt, tum bona voluntas, tum animæ coniunctio cum Christo, tum eiusdem animæ conatus ad bonum agendum, & malum fugiendum. Bona voluntas autem consistit in hoc, vt velis in omni vita mandata Dei seruare, declinando à malo, & faciendo bonum: atque intendas Dei gloriam (iuxta illud Apostoli in priori ad Corinth. 10. *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad Dei gloriam facite*, quod est, operum tuorum finem tibi proponere diuinum honorem: quo quidem continentur diuinæ perfectionis reuerentia, & timor maiestatis, & amor bonitatis diuinæ, cum exhibitione obedientiæ illi debitæ: ac etiam perfectæ, tam propriè, quàm proximi propter Deum: nempe vt eius voluntas fiat, eique placeatur in omnibus. Eiusdem verò bonæ voluntatis necessitas in anima, ad agendam vitam æternæ salutis meritoriam, satis manifesta est, ex eo quòd tanta merces reddatur solis mandata Dei seruantibus, dicente Domino, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

data. Neque aliis nisi seruantibus ea propter Deum ex charitate dilectum: cùm in priori ad Corinth. 13. doceat Apostolus, facta sine charitate ad æternam ipsam salutem nihil prodesse.

Ad viam salutis tenendam dispositiones requisitæ cum bona voluntate, tum animæ cum Christo coniunctio, tum eiusdem animæ conatus cooperandi ipsi Christo.

SECTIO PRIMA.

COniunctio autem cum Christo, versatur in eo, vt anima illi inhæreat, tamquam fundamento vnico salutis; qua dignum nihil operari possimus, nisi ipso adiuuante & cooperante. Nam ex priori ad Corinth. cap. 3. *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, Iesus Christus,* & ex Actis, cap. 4. *non est in aliquo alio salus: nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.* Vnde idem Dominus ait, Ioã. 15. *Sine me nihil potestis facere. si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet; & colligent eũ, & in ignem mittent, & ardet.* 1.

Fit verò eiusmodi coniunctio per mẽtem, & voluntatem, beneficio fidei, spei, & charitatis: dum per has anima, quæ illarum ministerio vtitur in agenda vita æternæ salutis meritoria, assurgit ad Christum, eíque iungitur illis in ipsius potestate relictis, prout contigisse D. Paulo indicant illa verba ipsius in cap. 2. epist. ad Galat. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Cõiunctio cum Deo quomodo fiat.

Cona

Conatus noster in quo consistat.

2. Conatus noster verò consistit in sedulitate cooperandi gratiæ Dei, cuius concursus cum nostro conatu, perinde requiritur ad opera salutis æternæ meritoria, ac concursus magistri tenentis, ac impellentis manum pueruli debilem, ad exarationem elegantium literarum. Id quod patet per illud Apostoli in priori ad Corinth. cap. 15. *Abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego, sed gratia Dei mecum:* de qua gratia sibi ad futura, nihil esse quod quis diffidat, satis patet per illud promissum Domini, Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Necessitatem verò nostri conatus cum eâdem cooperandi, sufficienter indicant verba Domini, Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* & Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam.* Cæterùm in illo non tam virium naturalium robore, & quasi lacertis: quàm industriâ versandum est: perinde ac in extruendis magnis ædificiis ad magna ligna, & grandiores lapides eleuandos, aptéque inter se coaptandos plùs valet industria, quàm vires corporis quantumcumque magnæ. Consistit autem talis industria tam in eo, vt semper Christum prouideamus in conspectu nostro, tamquam verum Deum, à quo est omne auxilium nostrum ne ipsimet nosipsos perdamus, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israël, in me tantummodò auxilium tuum*; tum etiam in eo, vt coram illo nos humiliemus, acceptum ei ferentes, quidquid boni agimus, iuxta illud, Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*; atque reputantes nos tamquam seruos inutiles, iuxta illud, Luc. 17. *Cùm fe-*

cerit-

ceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: Tum demum in eo, vt quæ aduersa contingunt in via, de qua agimus, patienter feramus pro ipsius Christi nomine; de quibus singulis accommodatè ad quotidianam praxim dicendum est aliquid, postquam dixerimus de triplici antememorata animæ coniunctione cum Christo.

De coniunctione animæ cum Christo per fidem.

SECTIO SECVNDA.

HAnc coniunctionem significauit Apostolus, cùm ad Ephes. 3. dixit *Christum per fidem habitare in cordibus nostris.* Eius autem necessitatem ad tenendam viam salutis, idem Apostolus indicauit cùm ad Hebr. cap. 11. dixit, *Impossibile est sine fide placere Deo.* Immò Christus etiam ipse, cùm Ioan. 17. dixit. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vnde sumi potest argumentum inculcandi Pœnitenti vt magno studio diuinum fidei donum in se conseruet: tum refrenando mentem à vana curiositate, *eámque captiuando in obsequium Christi,* iuxta præscriptum ipsius Apostoli *a*, tum voluntatem repurgando à sordibus peccatorum: quas ad infidelitatem disponere idem Apostolus satis indicauit, cum in 2. ad Timoth. 3. dixit, *corruptos mente, & reprobos circa fidem captiuas ducere mulierculas, oneratas peccatis.* Tum demum implorando Christi auxilium, vt adiuuet incredulitatem nostram, quod petiit pater volens obtinere filij sui liberationem à dæmone 3.

a in poster. ad Corinth. ca. 10. vers. 5.

b Marc.9. c Luc.17.

ne *b*,fidémque ipsam nobis adaugeat, quod fili petierunt Apostoli *c*. Inculcandum est quoque eidem Pœnitenti,quòd fides ipsa requirat tum rectitudinem, quâ sit absque obliquitate vllius erroris tum magnitudinem , qua extendat se ad omnia quæ vt diuinitus reuelata proponuntur ab Eccles Catholica : quorum præcipua, & cæterorum velut fundamenta sunt illa de quibus rudem eruditum dum esse, diximus in priore sectione præcedentis capitis : tum demum fortitudinem,qua fiat vt nulla tentatione , vel apparentia ratiocinum adulterinarum ipsa mutetur. Modum exercitij fidei habebis in sequent.sect.7.num.11.

De eadem coniunctione per spem.

SECTIO TERTIA.

4. ANimæ nostræ cum Christo coniunctionem beneficio spei, indicant verba illa, Psalm.72. *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*& Isaiæ 50. *Quis ambulauit in tenebris & non est lumen ei:speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Illius verò necessitatem ad salutem, indicauit Apostolus,cùm dixit ad Rom.8. *Spe salui facti sumus.* Inculcandum est autem Pœnitenti vsum spei coniungentis nos Christo,consistere in eo,vt de nobis diffidentes, in Christo ipso penitus confidamus.Quod nobis necessarium esse ad pergendum in via salutis , satis patet per illud posterioris ad Corinth.cap.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis:sed sufficientia nostra ex Deo est.* Neque de eo dubitare sinunt in-

Vnio spei in quo consistat.

infirmitates nostræ ex peccato originali in nobis relicto, prauáque consuetudine auctæ: ignorantia inquam, qua nescimus; imbecillitas, qua non possumus, quantumuis sciremus; & malitia, qua nolumus, licet sciremus, & possemus viam salutis tenere: seu vitam hanc agere secundùm Dei volũtatem, ad promerendam æternam salutem; adeo vt in nobis tamquam ex nobis, æternæ mortis potiùs, quàm salutis semina habeamus; neque infestiorem patiamur aduersarium in eadem salutis via, quàm nosipsos. In quam sentẽtiam D. Paul. ait ad Rom. 7. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Constitutum igitur habeamus; nobis esse penitus innitendum in Christo: qui summa sua scientia, potentia, & bonitate scit, & potest, vultque nostræ infirmitati abundanter succurrere: vtpote qui incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine natus, innumera operatus, & passus in vita, ac tandem in cruce mortuus est, vt vitam æternam habeamus, & abundantiùs habeamus, vt ipsemet testatur. *d* Etenim Sapientia est æterni patris, vt omnia cognoscat: & ipsa Dei virtus & potentia, vt quidquid velit hoc agat, & perficiat: ac etiam bonitas infinita, vt omne bonum effundere velit in nos, & effundat.

d Verba illius sunt, Ioan. 10. *Veni, vt vitã habeant, & abundantiùs habeãt.* 5.

Addi potest curandum esse, vt tam nostra diffidentia de nobis, quàm confidentia in Christo, sit tum recta, tum magna, tum fortis. Recta autem erit diffidentia de nobis, si proficiscatur ex desiderio consequendi auxilij diuini, ad vitam ex Christiana pietate agendam. Magna verò erit si congruenter dicto Apostoli ante relato *e* extendat se ad cogitationes etiam minimas. Fortis demum cẽsebi

Confidẽtia in Christo magna, recta, & fortis esse debet.

e ex posteriori ad Corinth. cap. 3.

sebitur, si sit sine deiectione animi, omnémque desperationem excludat. Similiter confidentia in Christo erit recta, si eorum sit, quæ à Christo petere indignum non est, nec à salute alienum, iuxta ea, quæ communiter traduntur seruanda esse in oratione: & erit magna excludẽs omnem diffidentiam de paterna Christi cura nostri: quæ quanta sit declarauit apud Isaiam, cap. 49. illis verbis. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiſcar.* Id quod posito in angustiis, fiduciam addit orandi cum S. Iob in cap. 17. *Libera me, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Erit denique fortis si quibuscumque exortis tentationum procellis firma persistat: vt accidit in eodem sancto Iob. cùm in cap. 13. dixit, *etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo*; & in Dauide cùm in Psalm. 26. dixit: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Modus exercitij spei tradetur in sequenti sect. 7. num. 12.

De eadem coniunctione per charitatem.

SECTIO QVARTA.

6. HAnc ostendunt verba 1. Ioan. cap. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ipsa est, per quam nos tamquam oleastri, in Christum tamquam in bonam oliuam inserti, participes efficimur vnctionis *f.* qua *vnxit illum Deus Spiritu ſancto.* *g* Indéque nascitur ille voluntatis affectus, quo sancti, sic ipsum amplectun-

f iuxta Apostolum ad Rom. 11.
g Act. 10.

ctuntur, sicque in eo conquiescunt; vt pro nulla re mundi, siue commodâ siue incommodâ velint ab eo separari; nec quidquam sit quod ipsi magis exhorreant quàm peccatum mortale; per quod fit talis separatio: hæc enim causa est, cur tam dira sancti martyres supplicia passi sint; ne videlicet à Christo ipso vel momento temporis separati inuenirentur. Inde etiam prouenit solemnis volentium piè in Christo viuere, quotidianarum mortificationum vsus: per quem ob eiusdem Christi amorem exuitur amor proprius; ac reprimuntur naturæ corruptæ, prauæque consuetudinis propensiones ad peccatum. Id quod Apostolus ad Galat. 5. vocat *crucifigere carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs,* & in cap. 8. ad Rom. *Spiritu facta carnis mortificare.* Vbi quoque apertè significat tale quid necessarium esse ad agendam vitam æternæ salutis meritoriam, cùm ait. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vita igitur Christiana in voluntate (quæ est illius proximum principium) præter diffidentiam, & confidentiam, de quibus in præcedenti sectione dictum est, requirit tum abnegationem sui, qua reprimatur amor proprius, seu concupiscentia, quæ *cùm conceperit parit peccatum: h* tum Dei amorem, ex quo vita agenda est, vt sit æternæ salutis meritoria: iuxta ea, quæ de necessitate charitatis latiùs docet D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 13. In quam sententiam videri possunt, quæ præclarè à D. Bernardo serm. 3. in tempore resurrectionis dicuntur de necessitate mutandi voluntatem propriam in communem. Atque de abnegatione sui docendus est Pœnitens, quòd ea debeat recta esse, magna, & fortis. Recta

Martyres omnes tot & tãta passi sunt, ne vel leui momẽto à Christo per mortale peccatum separarẽtur.

7.

h Iacob. 1.

Abnegatio sui qualis esse debeat.

autem censebitur: Primò si proueniat ex zelo iustitiæ Christianæ, *qua abnegantes impietatem, & sæcularia* desideria, sobriè, iustè, & piè viuimus in hoc sæculo: ad quod, vt nos erudiret, Dei Verbum in carne apparuisse habetur ex cap. 2. epist. ad Titum. Præterea si tendat ad Dei gloriam, quæ scopus est vitæ Christianæ præfixus; vt Apostolus in priori ad Corinth. cap. 10. indicat cùm ait. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia ad Dei gloriam facite.* Denique si procedat secundùm Deum: nempe sequendo, imitandóve Christum: *qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* 1. Petr. 2. Magna verò censebitur, si anima nihil velit, nisi propter Deum; non cognoscere quidquam, non agere, non quiescere, non delectari, non honorari, ac ne viuere quidem. Fortis demum censebitur, quando anima fulta Christi auxilio, steterit firma aduersus impetus amoris proprij, & illa, quæ secundùm eumdem amorem sunt aueršabitur: contrariáque, vt paupertatem, dolorem, contumelias, & similia amplectetur: exemplo Christi, qui talia amplexus est pro æterna nostra salute, monstrans nobis viam, quæ ad illam ducit.

Amor Dei quomodo rectus, magnus, & fortis esse debeat.

Similiter de amore Dei docendus est, quòd debeat quoque rectus esse, magnus, & fortis. Rectus est autem, cùm Deum diligimus, quoniam prius dilexit nos, seu propter suam bonitatem infinitam, qua innumeris nos auxit beneficiis: ita vt honorem ipsius, constituamus finem omnis desiderij nostri. Magnus verò ita esse debet, vt sit super omnia: sit tantus, vt nihil sit, quod plus: imò quod tantùm amemus quàm Deũ: propter ipsum autem amemus proximum tamquam nosipsos: nõ modò amicum, sed

sed etiam inimicum: quandoquidem D. Ioan. i i in sua epist. 1. ca. 4. mendacem asserit eũ, *qui dicit, diligo Deum, & fratrem suum odit.* Denique fortis esse debet, vt nullis aduersis tepescat, aut tentationibus extinguatur iuxta illud Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,* & illud ad Rom. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura vlla poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Atque hæc hactenus, de ratione qua ad vitã æternæ salutis meritoriam agendam disponimur, trium Theologicarum virtutum interuentu: quo adhuc in nobis Sacrosanctæ Trinitatis imago illustrior redditur, spe omnipotentiam Patris, fide Sapientiam Filij, & charitate bonitatem Spiritussancti corroborante in ea referendi vim. Eodem etiam interuentu illis virtutibus quasi clauis, ita Christo configimur cruci, vt non nostro, sed illius nutu vitam agamus. quod de se Apostolus ad Galat. 2. asserit his verbis. *Christo confixus sum cruci, viuo ego, nõ iam ego, viuit verò in me Christus.* Quod vtrumque simul inculcatum censeri potest per introductionem illius pij vsus, quo cuiusque operis initio signum crucis formamus in nobis dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.* De modo exercendæ charitatis dicetur in seq. sect. 7. num. 13.

Imago sanctissimæ Trinitatis in nobis illustrior redditur.

De conatu animæ tenendi viam salutis adhibita industriâ prouidendi assiduè, Christum in conspectu suo.

SECTIO QVINTA.

8. HVius industriæ adhibendæ necessitatem, ad salutis viam tenendam ostendunt illa verba Psalm.9. *Non est Deus in conspectu eius; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* & illa, Psalm.15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commouear.*

Prima igitur, & commendatissima industria ad vitam sanctè agendam, est sibi ante oculos proponere Christum, implorando ipsius misericordiam, & timendo iustitiam. Quoniam autem illud fit difficilius secundùm naturam eius diuinam, debemus cogitare ipsum secundùm naturam humanam coniunctam diuinitati. Iste enim vnus est ex fructibus Incarnationis diuini Verbi, vt nostro modo sensibilem & imaginabilem possimus cõcipere, & quasi oculis cernere Emanuelem (quod est interpretatum *nobiscum Deus*) *k* siue quod idem est, hominem, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. l* Quod quidem fieri debet in ea figura, quæ ad id, quod ipso iuuante conamur, magis sit accommodata; siue infantis iacentis in præsepio, vel inter matris brachia constituti: siue pueri inter doctores positi, interrogantis, ac respondentis cum omnium admiratione, siue viri præ filiis hominum speciosi, qui in aliorum salute procuranda totus incumbat; tum mirabilia faciens, tum multa dura & ignominiosa patiens: siue in cruce morientis, siue à mo-

Christus nobis est ob oculos proponendus.

k vt habetur Matt. 1. cap. sub finem.
l ad Colos. 2.

à mortuis resurgentis, siue in cœlum ascẽdentis, aut sedentis in dextera Dei Patris. Neque refert quod solummodò secundùm diuinitatem vbique adsit: nam ei secundum humanitatem existenti in cœlo, nihilo sumus occultiores, quàm si hîc nobis præsens adesset. Hortandus igitur est Pœnitens sedulam operam dare, vt in eo Christi memoria vigeat: & cùm ambulat, vt comitantem: cùm sedet, vt assidentem: cùm loquitur, vt testem; cùm comedit, recreat se, aut quidquid agit, vel patitur, vt assistentem, ac spectantem cogitet: & tunc maximè, cùm in iis versatur in quibus errare solet, & in iis in quibus potissimũ indiget auxilio ipsius, propter deuotionẽ in eis requisitam: vt in Sacramentorum vsu, & in aliis spectantibus ad diuinum cultum: maximè omnium autem in celebratione sacrificij Missæ.

De adiumentis prouidendi aßiduè Christum in conspectu nostro.

SECTIO SEXTA.

ADiumenta verò ad id Pœnitenti insinuanda quædam sunt remota, quædam propinqua. Primum illorum est; idipsum vehementer optare. Secundum in orationibus nostris idem feruenter petere. Tertium in silentio & quiete quàm sæpe possumus meditari seriò mysteria vitæ ipsius Christi; memoria enim facile reddit, quod seriò fuerit ei impressum. Quartum ponderare quanti momẽti sit in humana vita (siue intellectus vsum spectes, siue voluntatis, siue aliarum facultatum) ad Christum conuerti, & spem omnem bene viuendo ap- 9. Quibus modis ob oculos Christum nobis proponere possimus.

pellendi ad portum salutis, reponere potiùs in auxilio ipsius & actuali impulsu, quàm in habilitatibus nostris siue naturalibus, siue acquisitis, siue etiam diuinitus infusis; sicut & appulsus nauis ad portum, plùs pendet ex prospero afflatu vētorum, quàm ex ipsius armamentis; & recta exaratio linearum, plùs pendet ab impulsu, quo magister mouet manum pueruli, quàm ab aliqua huius habilitate. Ad quod confirmandum induci possunt verba Dei, Ierem. 17. *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius*, &c. Atque ad obtinendum abundantiùs à Christo hunc impulsum, quando in executione mandatorum ipsius versamur: perinde conducit in conspectu nostro ipsum prouidere, ac seruum iuuat ad magis experiendam Domini sui ditissimi praesentem liberalitatem, ita versari in eius obsequio, vt semper sit in conspectu ipsius.

10. Adiumenta autem propinqua prouidendi Christum assiduè in conspectu nostro sunt. Primùm, in eo opere assuefacere se, procedendo sensim, donec per consuetudinem acquisierimus facilitatem: verbi gratia, designatis ad illud horis iis, in quibus expedire nobis magis necessarium esse iudicamus, si quis in illis defuerimus, pœnam nobis aliquam imponamus. Secundum est statuere firmiter nos nihil agere velle in quibuscumque negotiis, & occupationibus; nisi propter Christum, & secundùm Christum; ne quidem in recreationibus corporis, eas quoque ex charitate consulendum est; quia Dei est, & vt Deo seruiat curandum est. Tertium est cùm ratio dictauerit aliquid à nobis faciendū, vel omittendum, illud exequi, quasi ex Christi praesentis

consensu, vel iussu, & propter ipsius amorem: aliud facturi, si aliud ei placere intelligeremus. Quartum est in imagine aliqua deuota, & ad nos mouendos specialiter accommodata, quasi iuxta nos constituere Christum, qui spectator sit & testis eius, quod loquimur, vel agimus, aut patimur. Quintum est inter agendum habere commendatum vsum aspirationum voluntatis, eleuationúmque mentis, ad Christum: petendo vt nobis adsit, nec nos deserat. vt fieri potest per illud, Psalm. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego*, & illud, Psalm. 26. *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.* Sextum est studium imitandi Christum in agendo, nostráque actiones, illius actionibus, quasi altari impositas offerendi ipsi. Quod quidem est vitam ordinatam omninò ad ipsius gloriam agere, insistendo vestigiis ipsius, atque adeo nobis ante oculos ponendo. Primò obedientiam ipsius erga Patrem. Secundò zelum gloriæ diuinæ. Tertiò dilectionem hominum. Quartò humilitatem. Quintò patientiam, & cæteras præstantissimas virtutes, quæ cùm fulgeant eminenter in ipsius passione, eiusdem proinde memoria recolenda est assiduè; præsertim cùm ex Apost. in priori ad Corinth. cap. 1. ipsa, quæ *Iudæis est scandalum, & Græcis stultitia, nobis sit sapientia, & virtus:* vtpote mentem nostram illuminans, & voluntatem roborãs *ad abnegandam impietatem, & sæcularia desideria, atque sobrie, iustè, & piè viuendum in hoc sæculo*, iuxta eumdem Apostolum ad Titum 2.

Imago Christi præ oculis habenda.

De præcipuo adiumento, quod est feruere Christi amore, & quomodo talis feruor foueatur.

SECTIO SEPTIMA.

11. POstremum adiumentum, illudque efficacissimum, est in nobis feruere ipsius Christi amorem. Ea enim vis est feruentis amoris, vt rem amatam faciat quasi ob oculos assidue versari, prout quotidiana experientia docet in iis, qui perdite amant: fouetur autem in nobis talis feruor exercitio trium Theologicarum virtutum, & deuota Eucharistiæ sumptione, de qua ritè ac fructuosè obeunda aliàs: nonnulla attigimus antea in capit. 7 num. 10.

Amoris Christi feruentis vis.

Exercitij autem fidei, vnus modus est; altissimè, piissimèque de Christo sentiendo; meminisse eorum, quæ ipse egit, & passus est pro nobis: nempe *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*, factúsque est humanis infirmitatibus (excepta ignorantiâ & peccato) obnoxius: paupertati nimirum & indigentiæ, laboribus, contemptui & calumniæ, ademum acerbissimæ morti. Meminisse, inquam, cum affectu compassionis erga illum, & detestationis peccatorum nostrorum: ponderando talium in eo infirmitatum multitudinem, magnitudinem, & diuturnitatem: quas innocentissimus, nobilissimus, nostríque amantissimus, pro iisdem peccatis nostris abolendis pertulit: de qua re plenior instructio peti potest ex Francisco Aria in lib. de meditatione, & pio, & erudito.

Non omittemus tamen quæ in ipsa passione ge-

sta sunt, ordine ad iuuandam memoriam accommodato, posse ex diuersitate locorum in quibus contigerunt distingui ad hunc modum.

In cœnaculo A.

1 Suorum pedes abluit.
2 Corpore suo aluit.
3 Sacerdotes instituit.
4 De proditore monuit.
5 Pium sermonem habuit.
6 Hymnum Deo exhibuit.

In horto B.

1 Coram suis contristatur.
2 Ter suum Patrem precatur.
3 Ab Angelo consolatur.
4 Illum Iudas osculatur.
5 Illumque Petrus tutatur.
6 Ac derelictus ligatur.

In domo Annæ C.

1 Annæ interrogatio.
2 Christi dulcis responsio.
3 Eius colaphizatio.
4 Seruique increpatio.
5 Ostiariæ quæstio.
6 Turpis Petri responsio.

In domo Cayphæ D.

1 A testibus accusatur.
2 A Caipha adiuratur.
3 Ab eodem condemnatur.
4 Rursus à Petro negatur.
5 Christus à seruis velatur.
6 Mane rursum condemnatur.

In domo Pilati E.

1 Pilato est præsentatus.
2 A Iudæis accusatus.
3 Ab illo examinatus.
4 Innocens est declaratus.
5 Falsis rursum oneratus.
6 Tacentem Præses miratus.

In domo Herodis F.

1 Herodi præsentatio.
2 Eius interrogatio.
3 Iudæorum accusatio.
4 Nulla Christi responsio.
5 Albæ vestis irrisio.
6 Pacísque reformatio.

In prætorio G.

1 Latroni comparatur.
2 Grauiter flagellatur.
3 Purpura decoratur.
4 Spinis coronatur.

5 Populo

5 Populo præsentatur.
6 Iniustè condemnatur.

In monte Caluariæ H.

1 Dirè crucifigitur.
2 Piè in cruce loquitur.
3 Sanctissimè moritur.
4 Latus eius aperitur.
5 De cruce deponitur.
6 Deuotè sepelitur.

De his legenda est Euangelica historia apud D. Matth. cap. 26. & 27. apud D. Marcum cap. 14. & 15. apud D. Lucam cap. 22. & 23. & apud D. Ioan. à cap. 13. ad 20. Et cum eorum memoria, coniungenda est. Primò cõpassio de Christi afflictione exemplo B. Virginis. Secundò compunctio de propriis peccatis exemplo D. Petri & S. Magdalenæ. Tertiò studium imitationis, exemplo sanctorum in terra viuentium. Quartò gratiarum actio, exemplo electorum in cœlo regnantium. Quintò admirationis quis, quid, pro quibus, à quibus, & quo affectu filius Dei patiatur. Sextò exultatio pro redemptione nostra ex tanta Dei clementia. Septimò feruens amor tanti nostri amatoris. Alter modus exercendæ fidei erigens nos ad spem, est cõsiderare Christi merita parta tot suis actionibus, & passionibus, cum tanta patientia, humilitate, obedientia, & charitate obitis: esse inæstimabilia, atque adeo infinita, tamquam profecta ex gratia sine mensura, & ex verbi diuini persona infinita, humanam supplente in ipso Christo. Siquidem meritum ita sequitur dignitatẽ

personæ

personæ operantis, vt quò ipsa fuerit maior, eò sit operatio sublimior, maiorísque meriti. Considerare pariter quòd Christus nobis meruerit, tamquá caput membris: quādoquidem tanta ad hunc finem egit, & passus est, vt à peccato, & diaboli seruitute liberaremur, iustificaremur, & glorificaremur, quod quidem suauc Iesu nomen indicat: de quo Angelus ad S. Ioseph Matth. 1. cap. *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum.*

Christi amor in nos vehemens.

Tertius modus nos ad ardorē charitatis promouens, est ponderare, quàm in nos ingratos vehemēs sit Christi amor, qui ipsum vniuersorum Dominum summum, fecit vincula pati, & verbera: & gloriam Angelorum, fieri opprobrium hominum: beatitudinem Sanctorum, diris tormentis cruciari: ac demum immortalem, mori; vt nimirum ipsius humiliatione eleuaremur, ignominia glorificaremur, & c. Quibus accedit ad amoris cumulum, institutio sacrosanctæ Eucharistiæ, per quam seipsum totum communicat nobis in pignus æternæ gloriæ, & memoriale oblationis in cruce factæ, per quam nobis ad eamdem gloriam patet aditus.

12. Modus exercitij spei.

Exercitij verò spei modus est, in Christo fiduciā, eámque firmissimam habere: primò iustificationis nostræ: ipse enim est *qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo m*: est etiam nostra redemptio seu liberatio à captiuitate, & seruitute diaboli, iuxta illud Apoc. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo*, & illud 1. Petri 5. *Scientes quòd non corruptibilibus auro, & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Nostra item mundatio à sordibus, & curatio à vulneribus peccatorum: dicente Ioanne in prima sua Canonica. cap. 1. *Sanguis Iesu*

m Apoc. 1.

guis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. & D.Petro in sua item prima.cap.2. *Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum,vt peccatis mortui iustitiæ viuamus,cuius liuore sanati estis.* Ac demum nostra reconciliatio,seu restitutio in Patris gratiam,& filiorum adoptionem:de qua D.Paulus ad Rom.5. *Per quem* (de Christo loquitur) *habemus accessum per fidem in gratiam istam, & gloriamur in spe filiorum Dei.*

Secundò verò eamdem firmissimam fiduciam habere promotionis nostræ in omni bono; & nominatim in gratia,& virtutibus, quibus *sobriè*, quo ad nos:*iustè*,quoad proximum,& *piè* quoad Deum viuere possimus in *hoc sæculo,expectãtes beatam spem. De plenitudine enim ipsius omnes accepimus n*: ipseq; est illuminatio, sanctificatio, & virtus nostra: nos subinde donis suis augens,& nostros defectus supplens in via salutis,iuxta illud quod ipsemet ait Ioã. 14.*Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Tertiò autem eamdem adhuc habere fiduciam perfectionis nostræ ad gloriæ consecutionem; *neque enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus,in quo oporteat nos saluos fieri. o* Ipse *via est,veritas,& vita. p* Tamquam via nos instruens, & promouens ad omne bonum; & tamquam veritas, nos liberãs à seruitute peccati, iuxta illud Ioan. 8.*Veritas liberabit nos*; quod de liberatione à seruitute peccati, dictum esse satis patet considerãti quæ ibidem antecedunt, & quæ sequuntur. Denique tanquam vita nos ad gloriam euehens, iuxta illud ad Colossi 3.*Cùm autem Christus apparuerit vita vestra,tũc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Cæterùm ex immenso illo amore, quo nos complectitur, ipse nobis ista auidissimè cupit:

Firmissima fiducia habẽda est nostrę promotionis.

ad Tit. 2.

n Ioan.1.

o Act.4.

p Ioan.14.

plúsque

plúsque per infinitam suam erga nos misericordiam paratus est talia confitendo nostri misereri, quàm nos à miseria nostra liberari. Quantum enim sitiat nostram salutem, satis ostendunt, tum alia, quæ pro eo gessit: tum maximè quòd se exinaniuerit verus Deus, accipiens formam serui; quodque morte tam acerba, & ignominiosa voluerit vitâ finire; & quòd seipsum nobis in vitæ æternæ cibum reliquerit: ac demum quòd sedens ad patris dexteram, sit pro nobis apud eum Aduocatus. *q* Ex quibus per exercitium fidei, bene consideratis, ac ponderatis: facilè spei exercitium de quo agimus sequetur: conuincente intellectum ratione ea, quam D. Paulus attigit ad Rom. 8. illis verbis. *Qui etiam proprio filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum eo omnia nobis donauit?*

q 1. Ioan. 2.

13. Christũ debem⁹ redamare.

Modus denique exercitij charitatis est, eum redamare qui nos ab omni æternitate tantopere amauit, vt ipse tantus cùm sit, adeo mirabili modo nobis se dederit in carne, in cruce, in Eucharistia: & adhuc mirabiliore daturus in cœlo. Ex quo tanto motiuo, amor proueniés in voluntate, terrenis affectibus minimè deprauata; non nisi feruens erit, quem sequatur assidua Christi memoria; & comitetur, tum actio gratiarum, tum veneratio non modò sapientiæ, potentiæ, & bonitatis ipsius diuinæ, atque singularium donorum cœlestium, quibus quatenus homo exornatus est supra mẽsuram, iuxta illud Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum:* sed etiam infirmitates pro nobis susceptas: puta dolores, contumelias, aliásque molestias: quas amabiles, & venerabiles effecit, nobis per eas tot, ac tantorum bonorum auctor existens; comitetur item,

item, tum desiderium assimulationis Christi, non modò in virtutibus, sed etiam in infirmitatibus; vt paupertatem diuitiis, ignominiam, & iniurias gloriæ, & laudi humanæ præferentes, vestibus iis induamur, quibus ipse indutus est: tum etiam imitatio, qua insistentes ipsius vestigiis, cum charitate in Deum, & proximum, ac zelo diuinæ gloriæ, patientiáque, & humilitate, cum quibus egit, & passus Christus, agamus & nos, ac patiamur in hac vita.

De animæ conatu adhibito cum industria humiliandi se in conspectu Christi.

SECTIO OCTAVA.

QVantumcumque multa & magna pro Christi gloria agamus, aut patiamur: consentaneum est, vt in omni vita nos in ipsius conspectu humiliemus, ac nobis ex vera nostri cognitione vilescamus: cùm *vinum nostrum mixtum sit aquâ*, id est, bono quod facimus, multas imperfectiones admisceamus, deficientes in plurimis, quę possent, & deberent præstari à nobis, qui Deo debitores sumus suprà quàm cogitari potest. Cuius humiliationis necessitatem ad tenendam salutis viam, satis indicant verba Domini Matth. 18. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* & in præced. cap. 16. & Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Adde quod *Deus superbis resistat, & humilibus det gratiam*: r sine qua gratia irritus est omnis noster conatus progrediendi in eadem salutis via: dicente Domino Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 14.

Isa. 1.

Humiliãdi nos ratio.

r Iacob. 4.

Ad

Quibus rationibus ad nostri humiliationē iuuabimur.

Ad illius verò exercitum sequentia nos iuuant. Primò ante oculos habere Christum humiliatum ad nostram instructionem, & prouocationem. Secundo intuendo nostrarum actionum imperfectionem, & debiti magnitudinem, atque Dei cui debentur infinitam dignitatem: erubescere ac dolere quòd in tam multis deficiamus. Tertiò excitari spe in Christum mediatorem nostrum, simulque teneri desiderio obtinendi ab ipso tantam perfectionem. Quartò petere eamdem deuotè ab ipso, qui cùm sit nostri amantissimus, ex seque liberalissimus, nō negabit eam quam vt ab ipso disceremus iussit, Matth. 11. dicēs. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.*

15. Humiliatio quæ debeat habere.

Iam vt perfecta sit humiliatio huiusmodi, debet recta esse, magna, & fortis; recta est, cùm excludit fictionem includit discretionem (quæ maximè necessaria est in ordine ad externa signa quibus illa foras prodit) procedítque ex amore veritatis & iustitiæ (propositā Christi imitatione) ac demum tendit ad Dei honorem: quem quidem verè humilis, nulla vnquam ratione detinere, sibíue vsurpare volet. Magna verò est, cùm ei adsunt paulò pòst attingenda de variis rationibus illius exercendæ. Fortis denique est, cùm nec iniuriis debilitatur, nec honoribus diminuitur, sed potiùs augescit: cū vere humilis se honoribus indignum iudicet ex animo, dicente Domino Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Cæterùm & intra nos, & extra nos, & cum proximo exercetur nostra humiliatio in conspectu Christi. Id autem qua ratione fieri debeat, in particulari explicandum est.

De

De ratione humiliationem exercendi intra nos.

SECTIO NONA.

INtra nos igitur exercetur humiliatio nostra, in conspectu Christi, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Atque ex parte intellectus, existimando nos esse illius seruos inutiles, ob imperfectionem nostri obsequij, quod per nostram corruptionem, nequitiam, tepiditatem, & incuriam: mixtum est vanitate, negligentia, ingratitudine, aliáque multiplici indignitate: ita vt longissimè absit ab ea excellentia, cum qua Deo exhiberi exigunt maiestas ipsius infinita, & multitudo, magnitudóque beneficiorum ipsius in nos collatorum, tam communium, quàm particularium; ex quibus nascuntur innumeræ obligationes obsequendi in omnibus tanto benefactori; nec aliter, quàm secundùm ipsius beneplacitum vtendi eisdem beneficiis. Quibus obligationibus, quàm non respondeamus, satis significatur; cùm Isaiæ 64. *iustitiæ nostræ dicuntur esse tamquam pannus menstruatæ.* Sed esto respondeas officio; si iustè egeris (vt dicitur Iob. 35.) *Quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sicut si peccaueris* (quod ibidem additur) *quid nocebis ei; sique multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* 16.

Eiusdem existimationis comes est accusatio, qua nos coram Christo constituimus reos, nec modò indignos pane, quo vescimur, sed etiam pœna dignos ob tot mala commissa, tot bona omissa, tot dona perdita, vel seruata infructuosè, neque ad

Accusatio propria comes humiliationis.

vsum, in quem accepta erant reuocata; tótque demum peccata perpetrata in ipsum, nos interea tam misericorditer sustinentem: imò nouis quotidie beneficiis augentem, ac cumulantem. Quod si in mentem veniant bona quæ egimus: non est in eis considerandis hærendum, nisi exigeret Dei gioria; cui & tunc totum quidquid est, tribuendum est, tamquam ei à quo procedit, iuxta illud in priori ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti?* nequaquam verò sibimet; quod esset tum iniquum iuxta illud quod ibidem sequitur. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis:* tum etiam pernicioſum; quia inde bonum opus tamquam vredine tactum marcessit, infructuosúmque est, iuxta doctrinam Domini Matth. 6. vbi legenda est. Ex parte autem voluntatis humiliatio intra nos exercetur volendo bona, si quæ in nobis sunt, latere potiùs, quàm patere iuxta eamdem Domini nostri doctrinam; nósque potiùs ignorari, & contemni, quàm celebrari, & magnifieri. Hoc enim satiùs esse indicant verba illa Ecclesiast. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Præterea voluntatem nostram infringi potiùs, quàm agi ex illius arbitrio qua in re maximè consistit abnegatio sui, de qua Dominus Matth. 16. & Luc. 9. verbis citatis in præcedenti sect. 7. Denique subesse potiùs, quàm præesse, exemplo Domini, *qui non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret.* s

s Marc. 10.

De

De ratione exercendi humiliationem extra nos.

SECTIO NONA.

EXtra nos autem in conſpectu Chriſti, humiliatio noſtra exercetur in ſermone, geſtu, inceſſu, veſtitu, aliiſque exterioribus ſignis. In ſermone curandum eſt, vt pauca ſint, & conſiderata verba noſtra: ſine clamore, pertinacia, & defenſione defectuum noſtrorum, & hyperbolica amplificatione rerum ad nos pertinẽtium; de quibus nec loquendum eſt libenter; niſi notabilis vtilitas exigat: cùm non ſit verè humilis, velle res ſuas notas, celebréſque eſſe; ſed reputationem ex dictis profectam, omnémque oſtentationem deuitare. In geſtu verò, & reliquis, curandum eſt, vt medium teneatur inter exceſſum, & defectum: ſicque mediocritas, quæ virtutis eſt propria retineatur. Ad quod pro regula ſtatui debet communis vſus virorum prudentium ſimul & humilium: Neque cùm id agimus, quod decet, quid cæteri etiam ij, quibuſcum viuimus, contra faciant, aut dicant, vel de nobis ſentiant curandum eſt. Exceſſus verò ille contingit, cùm nimis clara & ſplendida affectantur. Defectus autem cùm nimis obſcura, & ſordida; qui eo periculoſior eſt, quo maiorem habet ſpeciem humilitatis. Ad exceſſum quoque ſpectat, in executione noſtrorum operum, ea, quæ ſupra vires noſtras ſunt aggredi. Quamquam ſi talia iniungantur à ſuperioribus, audendum eſt in illis: non quidem fidendo in nobiſmetipſis, ſed in auxilio diuino; quod humiliter obedientibus adeſſe ſolet: etiam in iis, quæ ſu-

17. Quomodo exerceatur humiliatio extra nos.

Verè humilis omnem reputationẽ & oſtenſionem deuitat.

pra vires nostras esse apparent; ita vt obedientia in talibus optima sit moderatrix & regula, præsertim cùm dicat Dominus, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

De ratione exercendi humiliationem cum proximo.

SECTIO DECIMA.

18. CVm proximo denique nostra humiliatio exercetur, tum obediendo superioribus, nósque illis submittendo totos, hoc est, non tantùm quoad executionem eorum, quæ præceperint; sed etiam quo ad voluntatem, & iudicium nostrum subiiciendam ipsorum voluntati, & iudicio: nimirum volendo quod ipsos velle nobis constiterit, & acquiescendo ipsorum iudicio in omnibus, in quibus non est peccatum, iuxta illud D. Bernardi in tract. de præcepto, & dispensatione, siue Deus siue homo vicarius Dei mandatum quodcúmque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum: vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Tum etiam posthabendo nos cæteris omnibus; quia cùm nostrorum defectuum sumus nobis conscij: alienorum verò ignari (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?*) neminem sanè habemus, quem in conspectu Christi existimemus nobis deteriorem. Qua ratione D. Paulus se primum peccatorum esse dixit: *t* eoque tamquam fundamento nituntur sequentia quæ traduntur de ratione exercendi humiliationem istiusmodi: quorũ primum est, vt alios reputemus nobis superio

Subiiciendum est iudicium superioribus, dum eis obedimus.

t in priori ad Timoth. cap. 1.

ſuperiores,iuxta illud ad Philip. 2. *in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* Secundum vt alios honore præueniamus,iuxta illud ad Rom.12. *Honore inuicem præuenientes*; illis ſcilicet potiores partes deferendo.Ad quod vtrumque inducemur intuendo mente in eis,agnoſcendóque, ac venerando Deum tamquã in ipſius imagine,& filio, Chriſtiq́ue membro. Tertium eſt, vt à nullo exigamus præſtari nobis omnia,quæ ratio poſceret: cùm nec nos Deo præſtemus plurima, quæ ei iuſtiſſimè debemus. Ita aliorum defectus libenter patiamur; ſcientes quòd tam Deus, quàm homines patiantur noſtros:non tantùm æquales illis, ſed etiam maiores.Quartum eſt, vt reprehenſiones aliorum nobis factas æquo animo feramus,errorem noſtrũ confitendo,cùm opus fuerit,& alienum tegendo,vel excuſando,ſi res patitur. Quintum eſt vt pauperum, & abiectorum conuerſionem præferamus conuerſioni diuitum,& nobilium, niſi maior Dei gloria contrarium poſtulet;quia in illis expreſſiùs elucet imago humilitatis Chriſti nobis in exemplum propoſiti:*qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret v:* & *factus eſt opprobrium hominum,& abiectio plebis,* ex prædictione Dauidis in Pſalm. 21. *& deſpectus,ac nouiſſimus virorum, ex prædictione* Iſaiæ 53. cap. Neque his obſtant perfectiones, quas nobis ineſſe ita notamus,vt eas negare non poſſimus, quia omnes ſunt Dei dona *x*, de quibus exacta ratio reddenda eſt vnde nobis præbetur magna occaſio ſequendi illud Sapientis monitum Eccleſiaſt. 3. *Quanto magnus es,humilia te in omnibus.*

v Matt.10.

x Iuxta illud antecitatum,quid habes quod non accepiſti?

De animæ conatu tenendi viam ſalutis, adhibitâ induſtriâ ferendi patienter aduerſa pro Chriſto.

SECTIO XI.

19. Aduerſa in nos multa irruunt.

ADuerſa tamquam à quatuor regionibus flantes venti, in nos irruunt; immiſſa, vel à Deo, nos paternè caſtigante; vel à dæmone, nos hoſtiliter perſequente: vel à proximo, nos affligente; vel denique à nobis ipſis, qui tum ad extirpāda vitia, tum ad virtutes inſerendas, tum etiam ad æternam vitā promerendam, ſuſcipimus voluntariè varia afflictionum genera. Neceſſitas autem illa patienter ferendi pro Chriſto, ad tenendam ſalutis viam, ex eo

Matth. 16. patet, quòd Chriſtus Dominus noſter volenti poſt ſe venire, præſcribat, *vt abnegare ſeipſum, ita & portare crucem ſuam*, ſeu patienter ferre, quæ in ea vita contigerint aduerſa, & incommoda; ita vt patientia nobis ſit neceſſaria, & *voluntatem Dei facientes reportemus promiſſiones*, prout D. Paulus inculcat ad Hebr. cap. 10. Ratio verò illa patienter ferēdi, quædam communis eſt aduerſis omnibus; quædā particularis, & propria iis, quæ ab aliis infliguntur; & quædam iis, quæ ipſimet nobis infligimus, atque ad communem iſta pertinent. Primum illud que præcipuum, conuerti ad Chriſtum implorando auxilium ipſius, atque intuēdo ipſum tamquam exemplar quo ad patientiam inſtruimur per ea quæ ipſe pertulit, tum in tota vita; tum maximè in eiuſdem fine, in quo adeo dira, & dura, ac coniūcta cū tanta dolorum acerbitate, & ignominia, omníſque generis indignitate: vt nihil tam graue patiamur, quin ipſe

Nihil graue vnquā patimur, quin Chriſtus grauiora ſit paſſus.

ipse longè grauiùs, & indigniùs passus sit pro nobis; vt facilè aduertet is qui eiusdem passionis circumstantias bene expenderit. Quocirca sublata nobis est omnis occasio conquerendi: cùm *sufficiat discipulo, si sit sicut magister eius; & seruo si sit sicut Dominus eius b.* Secũdũ est mentem ad nos reflectere: considerando, quòd *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius: c* quódque si *socij sumus passionum eius, erimus & consolationis: d* neque *condignas esse passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. e*

b Matth. 10.

c 1. Petri c. 2.

d 2. ad Corinth. 1.

e ad Rom. cap. 8.

Tertium est, sic voluntate affici circa aduersa, vt desideremus patienter illa ferre; & quando adfuerint optemus nobis pariter adesse patientiæ donum, déque nobis diffidentes, confidamus in Christo, qui amore nostri passus, vel dabit ipsius patientiæ virtutem: vel si expediat liberabit nos à præsenti molestia: quæ perseuerans placere debet tamquam ea per quam iuxta Apostolum ad Hebr. 12. Christus se nobis offert tamquam filiis, de æterna salute nostra solicitus: vt pro illa obtinenda patiamur amore illius, qui amore nostri dignatus est etiam in cruce mori. Sic ergo quidquid aduersi nobis acciderit, id diuina ordinatione immissum esse existimandum est, ideóque accipiendum tamquam de manu patris amantissimi, scientissimíque medici, qui illud auertere potuisset; & sine dubio auertisset, si expedire vidisset. Neque verò *patietur nos tentari supra id, quod possumus: sed faciet cum tentatione prouẽtum vt possimus sustinere f.* Illius enim promissio est. *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum g.* Cùm igitur ea sit Dei bonitas, vt

f ex priori ad Corinth. cap. 10.

g Psal. 90.

maioribus necessitatibus maiori auxilio adsit, & ex maiori tentatione maiorem eliciat proventum : quò maiores afflictiones nos pulsant, eo gratiores esse, nobisque magis placere debent. Quod quidem facile est si iuxta Apostolum ad Galat. 5. *Carnem nostram crucifixerimus cum vitijs, & concupiscentijs : siq; spiritu viuentes spiritu ambulemus :* non item *si inimici crucis Christi terrena sapiamus*, vt ij de quibus idem Apostolus ad Philip. cap. 3. loquitur.

De adiumentis patienter ferendi aduersa nobis inflicta ab alijs.

SECTIO XII.

Virtus de necessitate facienda.

SPecialiter autem ad patienter ferenda pro Christo aduersa, quæ inferuntur nobis ab aliis, sequentes considerationes iuuabunt. Prima est, faciendam esse (vt dici solet) de necessitate virtutem, quia enim multa mala, quibus vita hæc obnoxia est pati cogimur, id ferendum est patienter pro Christo, vt prosit nobis ad salutem. Secunda est, impatientiam in aduersis ferendis, siue intus latentem, siue exterius dictis, aut factis expressam, non alleuare, sed aggrauare illorum pondus, & molestiam: quia impatientes tanto magis cruciantur, quanto magis contra suam voluntatem patiuntur. Nobis ergo patientia debet esse commendata : qua æquo animo qui *de manu Domini bona suscepimus, mala quoque sustineamus :* vt scribitur de B. Iob. cap. 2. Tertia est, diuinam iustitiam nullum peccatum relinquere impunitum : melius autem esse in hoc

sæculo

sæculo puniri, quàm in futuro: vbi longè grauiora, & acerbiora sunt supplicia. Præsentis ergo vitæ mala libenter acceptanda sunt, tamquam leuiora iis, quæ peccatis nostris debentur, ac tamquam ea quibus apud Deum mereri possumus adhuc in vita constituti. Nam ex Apostolo *h id quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod idem est, ac si dicatur, breuissimo tempori tribulationis huius vitæ, respondere infinita gaudiorum sæcula. Vnde sequitur huius vitæ tribulationem, vt & prosperitatem, habendam esse pro Dei beneficio: paritérque pro ea gratias illi agendas esse: & pro eis sacrificium laudis offerendum ad imitationem Dauidis, cùm diceret: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, in Domino laudabitur anima mea.* i Accedit ad beneficij rationem, quòd aduersa, sunt quasi præsidia oblata ad obtinendum ingressum in regnum cœlorum; in quod *per multas tribulationes oportere nos intrare* habetur Actorum cap. 14. ita vt illi, à quibus aduersa ipsa nobis inferuntur, in benefactorum potiùs, quàm in malefactorum habendi sint numero. Quarta est, ad consecutionem æternæ salutis nobis esse viuendum non ex propria, sed ex Dei voluntate, iuxta illud, Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Atque adeo, vt in agendo, sic & in patiendo voluntatem nostram omninò subiiciendam esse voluntati diuinæ, quámque nostris humeris crucem Deus imposuerit, æquo animo ferendam esse. Ad quod opus est

h in 2. ad Corinth. cap. 4.

Aduersa, vt & prospera, inter Dei beneficia Dei reponenda.

i Psal. 33.

exui amore proprio, per quem aduersa nobis dura & ingrata redduntur; indui verò Christi crucifixi amore, per quem eorumdem aduersorum perpessio suauis redditur, dulcescens ex deuota recordatione, affectuosóque amplexu crucis. Quod præfiguratum est, Exod. 15. per lignum quod à Moyse Dei iussu missum in aquas amaras, effecit eas dulces. Talis suauitatis participes fuerunt Apostoli, cùm *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati:* & itémque sancti illi martyres, qui cùm acerbissimis suppliciis sæuissimè cruciarentur, dicebant *se nunquam tam iucundè epulatos esse.* Sic respondérunt Marcus & Marcellianus Fabiano iudice; vt legitur in Actis. Illi etiã quos D. Paulus ad Hebr. 10. ait, *Rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepisse.* Et demum ordinariè illi, qui multùm feruent charitate. Nam tamquam pleni Deo (qui per eam in sanctis manet) *l* voluntatis appetitum sic habent exsatiatum, vt omninò contenti viuant; interioréque pace iucunda fruantúr. Cuius tanti boni se reddunt expertes illi, qui seruiunt amori proprio: numquam enim ipsos satiari, docet experientia. Et ratio est, quia licet res omnes, quæ in mundo sunt congeras in vnum, & amore illarum animam impleas, satiéve illius appetitum voluptatis: adhuc tamen illa manebit inanis tamquam maioris boni, puta Dei infiniti, capax. *Vsquequò* ergo *filij hominum diligitis vanitatem, & quæritis mendacium m, relinquentes fontem aquæ viuæ, & fodientes vobis cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquas n?*

k ex cap. 5. Actuum.

l 1. Ioannis cap. 4.

m Psal. 4.

n Ierem. 2.

De

De voluntaria susceptione aduersorum.

SECTIO XIII.

DE perpessione voluntaria, seu quam patiens offerendo se Christo in sacrificium, sibi ipse infligit, monendum restat particulariter, rectitudinem illius pendere ex debita intentione, & ex discretione, cum qua suscipi debet. Censebitur autem intentio debita, quando suscipietur, siue ex amore Christi crucifixi, vt ipsum in infirmitatibus, quas nostri causa suscepit, honoremus: siue ex odio peccati, vt in nobis vitia mortificemus, carnisque illecebras, quibus fouentur reprimamus; siue etiam ex zelo iustitiæ, vt Deo satisfaciamus pro nostris reatibus. Discretio verò aderit, quoad eos qui sub regula viuunt, quando sequentur in omnibus præscriptum sui superioris, se totos in simplicitate cordis manifestantes ei, atque submittentes: quoad alios autem, quando seruarint quod ratio dictat; quale est, Primò, si frequentes sint in mortificationibus, sint etiam varij; modò in vno genere, modò in alio se exercentes: sic enim fiet, vt natura afflicta non opprimatur, & nausea euitetur. Secundò, cùm in mortificatione habeatur præcipuè ratio animæ, talis perpessio eatenus eligatur, quatenus ad spiritale bonum conducit: cauendo interea irrationabilem corporis læsionem: quod fiet dando operam, vt punitiua sit quidem, non tamen corruptiua; seu quæ carnem affligat quidem, sed non corrumpat vitam, reddátve hominem inutilem. Tertiò, vt sicut afflictio propter Christum suscipitur, ita etiam propter Christum relinquatur, si quid occur

21.

Mortificatio spontanea quomodo suscipienda.

Mortificatio carnis moderata esse debet.

occurrat Deo gratius, quod postulet ita fieri. De eiusdem perpessionis magnitudine notandum occurrit eam spectari, tum ex grauitate malorum, quæ tolerantur, tum ex eorumdem multitudine, & continuatione; tum ex amoris vehementia, cum quæ propter Deum, vel proximum tolerantur; tum ex conditione personæ tolerantis: tum ex commodis relictis. De fortitudine denique eiusdem monendum est, consistere in perseuerantia, quæ crescat potiùs, quàm abrumpatur ob longam continuationem aduersorum; neque difficultates deterreàt, sed generosè *seminetur in lachrymis quod cum exultatione metetur*, iuxta illud Psalm. 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent: euntes ibant, & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

CAPVT XVI.

De ratione tenendi viam salutis, prout Pœnitens potest à Confessario de illa moneri ac instrui.

SVMMARIVM.

1. *Ea, in quibus via salutis consistit.* 2. *Circumspectio cum qua vitandum est præsens peccandi periculum, & quæ ad eam pertineant.* 3. *Remedia generalia ad vitandum futurum peccandi periculũ, quorum primum est oratio.* 4. *Non esse disputandum cum diabolo, sed ei fide in Christum crucifixum, re-*

sistere

sistendum, formato signo crucis: si non manu, saltem mente. 5. *Recursus ad patrem spiritualem, & præparatio animi ad quiduis potiùs patiendum, quàm peccandum.* 6. *Custodia cordis, & linguæ.* 7. *Operatio boni in via salutis, requirit bonam memoriam, & bonum intellectum.* 8. *Bonam quoque voluntatem requirit; quam rectam, magnam ac fortem esse curandum est.* 9. *Requirit denique bonam operationem: quam curandum est, esse cum acceleratione, alacritate, & perfectione.* 10. *Quæ ad id conferant.* 11. *Operatio boni in ordine ad Deum triplex.* 12. *Ad eam iuuantia nos.* 13. *Adiumenta operandi bonum in ordine ad proximum.* 14. *Adiumenta operandi bonum in ordine ad nosipsos.* 15. *Documenta quædam particularia pro diuersi generis hominibus.*

CVM salutis via consistat in eo, vt in conspectu Christi constituti, cum humilitate, & patientia secundùm antedicta, declinemus à malo, & faciamus bonum ex vero illius amore (vt patet per illud, quod ex Psalm. 33. inculcat D. Petrus in priori sua epistola, cap. 3. homini *diligenti vitam, & volenti dies videre bonos, diuertendum esse à malo, & faciendum bonum*, dicendum nobis est, tum de ratione diuertendi à malo, seu vitandi periculum peccandi: quod potest esse, aut præsens, aut futurum: tum de ratione faciendi bonum: siue in ordine ad Deum, siue in ordine ad proximum, siue in ordine ad nosipsos. 1.

De

De ratione vitandi præsens peccandi periculum.

SECTIO PRIMA.

2. Quomodo præsens periculũ peccati vitandum sit.

RAtio vitandi præsens peccandi periculũ consistit in circumspectione, ad quam sequentia pertinent.

Primum est, vt statim ac mala cogitatio indecens ad aliquod peccatum, insurgere aduertitur, ea reprimatur : Christo proposito ante conspectum nostrum, considerandóque in eo tamquam in exemplari, illa quæ particulariter egit, vel passus est, vt ad talis peccati vitationẽ nos instrueret. Exemplum sit, quòd vt ad nos ad euitationem arrogantiæ instrueret, abiecerit se ad discipulorum pedes, lauando eos, ex cap. 13. D. Ioan. Vbi id ad nostram instructionem se fecisse declarat, inquiens : *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Secundum est (tunc præsertim necessarium, cùm tentatio vehementiùs vrget) vt Christus præsens consideretur, quasi petens à nobis, ne ipsius vulnera, iniurias, dolores, & ignominias renouemus: sanguinem suum omni auro, & gemmis pretiosiorem perdamus, effusum pro nostra salute; cuius tanti thesauri iacturam facimus succumbendo tentationi peccati mortalis. Quæ consideratio magnam vim habet ad nos siue amore, siue metu Christi permouendos ad generosè obsistendum offerenti se periculo peccandi.

Tertium est, vt Christus consideretur quoque tamquam fortissimus adiutor, qui præsto nobis est, si con-

si confidentes in eo,& de nobis diffidentes, humiliter auxilium ipsius imploremus per intercessionem sanctorum suorum, maximè beatissimæ matris:siue item consideretur vt spectator,& iudex vitæ nostræ, vnde incumbit nobis necessitas circumspectionis : qua (vt est apud Michæam in cap. 6.) *sollicitè ambulemus cum Deo nostro :* tamquam cum eo scilicet,qui ex Iob.cap.31. *vias nostras considerat, & cunctos gressus nostros dinumerat.* Cæterùm intueri Christum præsentem considerando illũ tamquam iudicem, expedit maximè iis, qui facilè labuntur in peccatum:quique ita duri sunt corde, vt non facilè compungantur : talibus enim timor vtilis est. Considerando verò adiutorem,iis, qui in vitæ probitate ita profecerunt,vt non ægrè moueantur ad bonum, nec facilè peccent: quos nondum perfectos,iuuat adhuc spe in Christum erigi, & sustentari. Considerando demum , vt spectatorem, seu testem, iis qui sic iam perfecti sunt, vt omnia agant ex Dei puro amore. Cuius tam pij affectus sibi conscij,recreantur & accenduntur aduertentes se agere Christo spectante,& teste.

Consideratio Christi vt iudicis quibus cõueniat.

Quartum est,vt inter agendum,numquam permittamus nos ita animo perturbari, vt ratio desit suo officio.Id quod dæmon satagit maximè:ei quasi arci machinas suas sæpissimè admouens immissis tentationibus,quibus conatur efficere,vt omnia in ipsa rationis arce, susque deque ferantur : vt non cum eo, cum quo par est timore, enormitas, & pernicies peccati,lapsusque facilitas attendatur.

Quintum est,præcognitas habere proprias inclinationes malas, & ex meditatione, vel piorum librorum lectione,vel cõcionum auditione, vel alia ratione

ratione pro cuiuſque captu, parata habere remedia, quibus quodammodo armati, impetum eorum ſuſtinere, ac propulſare valeamus, vincendo præſentem tentationem.

Sextum eſt, vt nihil agamus vel dicamus præcipitanter, ſed ſemper rationem ſequamur, non autem præcurramus, neque à noſtra poteſtate quaſi egrediamur; ſiſque egredi contingat, ad nos redeamus; nec excuſatione culpam augeamus. Vbi aduerte ſtatim atque peccauimus, inſpiciendum eſſe modum, & occaſionem qua ſic lapſi ſumus; ſtatimque de adhibendo remedio conſilium capiendum; quia tunc ſolent optima remedia occurrere; & dæmon quaſi in ipſo facto deprehenſus confunditur, nobiſque peccatum diſplicet magis: Deo ſcilicet nos illuminante, *qui non vult mortem morientis, ſed magis vt conuertatur, & viuat.* Ezech. 33.

De ratione vitandi futurum peccandi periculum.

SECTIO SECVNDA.

3. HÆc ratio conſiſtit in vſu eorum, quæ cenſentur remedia eſſe aduerſus peccata: quorum nonnulla ſunt ſpecialia pro vnaquaq; peccatorum ſpecie, alia verò communia, pro quibuſuis propulſandis accommodata. De illis commodiùs dicemus in ſequentibus, cùm agetur de prudentia Confeſſarij in imponenda ſatisfactione, quam curandum eſt talem eſſe, vt contineat remedium aduerſus peccata, quibus Pœnitens obnoxius eſſe inuenitur. De communibus dicemus in præſentiarum.

Primum

Primum igitur est oratio, qua quis ad Christum conuersus de se diffidens, & in eo confidens, quotidie manè se minuit contra omnia mala, quæ possunt per totum diem sibi accidere; additâ piâ aliqua meditatione, vel lectione: præsertim de ipsius Christi passione, cuius considerationem aliquid spiritualis roboris addere ad viam perditionis declinandam, indicat illud Domini, Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Quod esse quoque iudicandum de consideratione nouissimorum nostrorum, patet per illud, Ecclesiastici 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis,* ita vt pium illud monitum ad vitanda peccata commendatum esse oporteat.

Oratio primũ remedium aduersus peccatum.

Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria cœli,
Et dolor inferni, sunt meditanda tibi.

Secundum est, cùm dæmon hominem tentaturus, sollicitaturúsve ad peccatum, soleat difficillima quæque contingentia in resistendo proponere ei, vt territum faciat desistere ab incepto; aut si id non succedat, disputationem ita callidè instruere, vt rationum multitudine, & improbitate fatigatum succumbere faciat. Cùm, inquam, hoc ita sit: consultissimum esse fugam potiùs adornare, recurrendo ad Christi auxilium: quàm cum tortuoso illo serpente, quasi manus conserere. Nam in illa colluctatione, quæ teste Apostolo ad Ephes. 6. *nobis est aduersus principes tenebrarum harum*, perniciosum esse quasi propriis viribus subnixos in arenam descendere, non rarò docet experientia in nonnullis, qui dæmonis potiùs, quàm Dei instinctum

4.

Cum dæmone non concertandum, & disputandũ.

secuti; vel res difficiliores audaciùs aggrediuntur, vel cum dæmone libentiùs disputant: quorum illi facilè despondent animum; hi verò citò turpiterque victi; citò, ac turpiter cadentes, despondentesque animo desperant de victoria vmquam obtinenda. Imò, quod peius est, interdum non verentur, talis miseriæ suæ culpam referre in Deum; quasi nimis difficilem salutis viam, & naturam nostram, nimis imbecillem fecerit. Quæ impietas arguitur per illud, Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum.*

Formanda Christi crux contra tentationes.

Tertium, recursus ad Christi crucem in omni tentatione formandam; tum manu cùm potest, quod magnum habet momentum ad hostem nostrum in fugam vertendum: tum maximè mente per fidem in Christum pro nobis mortuum, vt diabolum ipsum destrueret, qui habebat mortis imperium, ad Hebr. 2. Tanto enim splendore talis fides emicat, igne charitatis accensa; vt princeps tenebrarum illum non ferat, sed citò fugiat, aut grauissimè crucietur. Vnde hortatur D. Petrus in priore sua epistola, cap. 5. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Tamquã muniti scilicet præsidio firmissimo Crucifixi, qui teterrimum illum leonẽ vicit.

a Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda: a* ac ita vicit, *vt fortior superueniens vniuersa eius arma abstulerit, in quibus confidebat. b*

b Luc. 11.

5. Quartum est, recursus ad consilium patris spiritualis, se integrè illi aperiendo, corque nudum exhibendo, & submittendo cum voluntate obediendi ei in omnibus, tamquam tenenti locum Christi, qui defectus illius supplebit: cùm tantam magsterio

sterio ipsius addiderit auctoritatem, vt tamquam seipsum audiendum esse voluerit, dicens, Luc 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.*

Quintum est præparatio animi ad ferenda quæcumque aduersa potiùs, quàm Christum offendere peccando: ac non tantùm modica illa, quæ quotidiana sunt: sed etiam grauissima; & qualia ipse pro nobis pertulit capite spinis coronato, manibus ac pedibus perforatis clauis, ac reliquo corpore verberibus consciso: *passus est enim pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius: c neque discipulus est supra magistrum, neque seruus supra Dominum suum, sufficiteque discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut Dominus eius,* Matth. 10. Neque coronabitur, nisi quis legitimè certauerit, nec legitimè certabit qui ducem exemplo præeuntem non est paratus sequi, & laborum ac molestiarum socius fieri, dicente Apostolo ad Rom. 8. *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt conglorificemur.*

Aduersa quæcũque potiùs, quàm Christum offendere patiẽda sunt.

c 1. Petr. 2.

Sextum est, custodia cordis *d*: seu non permittere cor nostrum vllo modo affici erga res vllas huius mundi: nisi quatenus, & quousque Deo placere arbitramur, siue affectus sit amoris, siue odij, siue gaudij, siue tristitiæ, siue cuiusuis alterius passionis. Itaque cùm sentimus nos non secundùm Deum moueri amore, vel odio, vel alia passione erga rem aliquam: statim excludendus est talis affectus, tamquam hostis perturbaturus animam nostram: ac in suo quasi semine perimendus, vt pacem internam conseruemus; quâ cùm nihil sit in mundo amabilius, debemus omni studio & cura vt eam sartam

6.

d De hac prouerb. 4. *Omni custodia custodi cor tuum.*

Non debemus vllo modo erga res huius mundi affici.

tectam ſeruemus,tueamurque inuigilare. Cui dæmon maximè inſidiatur, dans operam , vt quos lapſu in peccatum mortale ſibi ſubiicere nequit , ſaltem in ſeipſis perturbatos reddat.

Cuſtodia linguę cum cordis cuſtodia coniuncta.

Cum cordis cuſtodia valdè coniuncta eſt cuſtodia linguæ : cui qui bene ſtuduerit,plurimorũ peccatorum occaſionem vitabit,vt conſtat ex iis , quæ D.Iacobus in ſua epiſtola , cap.3. habet de ipſa lingua;& inter cætera;quod *maculet totum corpus , & inflammet rotam natiuitatis noſtræ , inflammata à gehenna,& ſit inquietum malum , plenũ veneno mortifero.* In duobus autem potiſſimùm verſatur cuſtodia linguæ:prius eſt,ne de aliis malè loquaris:poſterius, ne de te ipſo ineptè:effutiendo ſcilicet,quæ ad laudem tantùm propriam pertineant. Addi poteſt extirpatio vitioſorum habituum :ę qui vt nati ſunt ex

ę de qua autem in cap.13.ſec.3.

vſu peccandi , ſic ad eumdem faciunt propenſos pro communi ſcilicet habituum natura.

De ratione operandi bonum.

SECTIO TERTIA.

AD operationem boni, quam cum peccati cuitatione via ſalutis ſeu vita æternæ beatitudinis meritoria complectitur , hortatur nos Sapiens per illud Eccleſiaſt.9. *Quodcumque facere poteſt manus tua,inſtanter operare,quia nec opus , nec ratio , nec ſapientia , nec ſcientia erunt apud inferos quò tu properas.* Circa eam autem curandum eſt,vt tanquam optimo omniũ fini deſtinata,optimè fiat. Ad quod quatuor requiruntur,bona memoria, bonus intel-

7. lectus,bona voluntas,& bona executio. Bona quidem

dem memoria, qua conſeruemus bonas inſpirationes, & bona propoſita, recordemurque eorum, quæ agenda ſunt, ac prout expedierit ruminemus illa quæ ad profectum, bonamque operationem nos iuuare, atque excitare poſſunt; vt cenſentur poſſe, religionis noſtræ myſteria: præſertim incarnationis, & paſſionis Chriſti: Dei in nos quoque beneficia, ac eiuſdē præcepta, & iuſtitia: peccata item noſtra, & quatuor nouiſſima; ac denique obſequij Deo debiti dignitas & excellentia. Bonus verò intellectus ideo requiritur, vt ſciamus primò bonum à malo diſtinguere, & ex bonis melius, & ex melioribus optimum eligere. Sciamus ſecundò præponere incerta certis, communia particularibus, permanentia caducis, atque adeo per nos, aut per alios, quos conſuluerimus, dignoſcere, quid valeat iuuare nos ad declinanda ea quæ Deo diſplicent, & ad proſequenda, quæ illi placent: vt totum vitæ noſtræ ſtatum, orationes, lectiones, omniáq; alia exercitia noſtra, iuxta illud diſponamus, ac ordinemus. Sciamus denique in particularibus noſtris actionibus præſtituere nobis finem debitum, atque præmeditari, quemadmodum illas faciamus quàm acceptiſſimas Deo. Curandum eſt verò ſollicitè, vt præmeditatis diſcretè vtamur.

Quæ curāda ſint ad operandū bonum.

Cur bonus intellectus requiratur.

Bona porrò voluntas requiritur, vt ſuauiſſimum nobis proferat pacis fructum: de quo Luc. 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

8. Bona volūtas, cur requiratur, & quæ illa habere debeat.

Procurandum eſt autem. Primò, vt ea rectitudinem habeat intētionis, quâ homo purè quærat Dei honorem: vitæ ſuę ſtatum vniuerſum, actúſque omnes eò dirigendo, vt beneplacitum Dei adimpleatur: quod parui quidem laboris eſt, præſertim exer-

citatis ; sed fructus eximij : siquidem talis intentio opera bona, ex se alioqui vilia, quasi deaurans auro charitatis, facit adeo pretiosa, vt meritoria sint æternæ salutis. ad quam etiam rectitudinem pertinet, vt velimus bonum operari, non tantùm propter Deũ, sed etiam secundùm Deum: hoc est, non aliter volendo, quàm ipse vult nos velle; rectitudinis enim voluntatis nostræ optima regula, est Dei voluntas.

Dei volũtas optima regula nostræ voluntatis.

Secundò procurandum est, vt habeat magnitudinem deuotionis, seu promptitũdinis ad omnia quæ spectant ad Dei seruitium : ita vt paratus quis sit agere, & pati magna, ac difficilia propter Dei honorem, & proximorum salutem : ac quando illa peregerit, nihil se Deo dignum egisse reputans, suppleat defectum operis magnitudine amoris, quo velit si posset infinitè illum honorare.

Tertiò curandum est, vt fortitudinem habeat, qua quis numquam fatigatus, continuet, atq; multiplicet bona opera, quantùm potest: semper volens siue agere, siue pati, id quod tunc gratius Deo fore putat : qua item fortitudine non sinat in se memoratam promptitudinem vmquam tepescere, neque in sanitate neque in morbo, neque in aliis, siue prosperis, siue aduersis : ita vt in omnibus quærat Dei honorẽ, & proximi salutem: ac demum qua sic perseueret vsque ad vitæ finem, quod maximè proprium est fortitudinis. Cæterùm quò quis plùs habebit de his, eò meliorem habebit voluntatem.

9.

Bona executio ad tenendã salutis viam requiritur.

Bona denique executio ad tenendam salutis viam requiritur: quia bona cogitatio, & bonus voluntatis vsus, sine bona executione mandatorum Dei, non dat aditum ad regnum cœlorum, vt patet

per

per illud à Christo domino nostro dictũ, Matt.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Procurandum est autem, vt ipsa habeat accelerationem, qua non procrastinet quis, nec quidquam eorum quæ magis Deo placere existimat, sine necessitate differat operari. Secundò alacritatem qua quis quidquid propter Deum agit, alacriter, feruidéque agat. Tertiò perfectionem, qua quis res inceptas ad finem perducat, nec torpescendo vllum Dei donum relinquat otiosum: quinimò non contentus se obligationem in rebus debitis exoluisse, aliquid ex liberalitate supereroget: cum præceptorum obseruatione coniungendo consiliorum obseruationem data commoditate.

Ad quam procurationem conferunt, Primò assiduè ad Christum suspirare pro gratiæ motu obtinendo: ac cum sui diffidentia, confidentiáque in illo, petere hunc simpliciter verbis illis vsitatissimis in Ecclesia. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina:* vel aliis similibus. Secundò rerum à nobis agendarum plenum habere iudicium, efficacémque voluntatem, cum innouatione propositi bene operandi. Tertiò exstimulare nos stimulo amoris Christi, & spei in ipsum, addita impositione alicuius pœnæ quam subeamus, ac seuerè à nobis exigamus, si contingat nos deficere. Quartò collectum habere animum in id, quod agitur quantùm fieri potest: non autem ipsum in res plures dispergere. Quintò, magnifacere, magníque momenti id esse ducere, quod agimus: nec ad alia agenda nimis festinare. Sextò, mortis habere memoriam, quæ quandocumque acciderit, præscindet omnem occasionem operandi meritoriè,

10. Psal.69.

sibique bene prouidendi pro vita futura. Fortè autem ea accidet cras vel etiam hodie, *breues enim dies hominis sunt*. Iob 14. vt meritò dicas cum eodem in præced. ca. 10. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Vigilate*, dixit Dominus, *quia nescitis diem, neque horam*, Matth. 25.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad Deum.

SECTIO QVARTA.

VT ad vitandum malum dantur remedia, sic ad operandum bonum dantur adiumenta, de quibus dicendum est. Primò quo ad operationem boni in ordine ad Deum, deinde in ordine ad proximum, ac tandem in ordine ad nosipsos.

11. Triplex Dei cultus in quo cõsistit.

Operatio autem boni in ordine ad Deum complectitur triplicem Dei cultum; quorum primus est internus, consistens in actibus (de quibus dictum est in præced. cap.) fidei, spei, & charitatis: rectæ, magnæ, & fortis ea ratione qua ibidem expositum est. *g* Secundus est externus, vt adoratio, & oblatio sacrificij, quibus recognoscimus Deum esse creatorem, & summum Dominum omnium. Tertius est internus simul & externus, consistens in orationibus, laudibus, gratiarum actionibus, lectionibus, & sermonibus de Christo honorificè habitis, & plenis reuerentia, ac piis in ipsum affectibus.

g Sect. 2. 3. & 4.

Istiusmodi autem operationem, cultum Dei cõtinentem adiuuat Christus, consideratus tamquam vnicus magister noster, iuxta illud, Matth. 23. *Magister vester vnus est Christus.* Etenim quia *Deum*

nemo

nemo vidit vmquã h nisi solus vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, qua ratione ille à nobis coli velit, potest nobis enarrare, præsertim cũ, *sicut quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei*, vt habet Apostolus in priori ad Corinth. cap. 2. Ob oculos igitur habendus est Christus, considerando ea quæ egit, & passus est, constituit, & docuit: vt quoad mentem nos instrueret, de ratione, qua Deus à nobis in hac vita colendus est, & glorificandus: atque nos quasi manu duceret in notitiam potentiæ, sapientiæ, bonitatis cæterarúmque diuinarum perfectionum ipsius, ac ex illis proueniẽtium beneficiorum: puta creationis, conseruationis, redemptionis, iustificationis, & glorificationis futuræ, quæ per Symbolum Apostolorum inculcantur. Quoad voluntatem verò nos prouocaret ad tam dignum benefactorem amandum super omnia, laudibus, gratiarum actionibus, omníque obsequio prosequendum. Quippe menti lucem, & voluntati deuotionẽ impertitur, quibus tantæ maiestati (*cui decies centena millia ministrant*, Dan. 7.) cultum debitum reddimus 1. fidei oculo intuendo illum vt creatorem, *in quo viuimus, mouemur & sumus* [i], seu quo largiente, habemus esse, tam naturæ, quàm gratiæ: & possumus operari & operamur opera tam naturæ, quàm gratiæ. Tũ deinde cum vera humilitate nos totos ei submittẽdo, totámque spem nostram collocando in eius omnipotentia, sapientia, & bonitate. Etenim *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*, teste B. Paulo manum auxiliatricem porriget, sciens nihilum nostrum, seu tenebras; & imbecillitates, ac peruersitates, quibus ex nobis

[h] quæ ratio tangitur, Ioan. 1. vers. 18.

[i] Act. 17.

Rom. 8.

inepti ſumus ad cultum debitè ei exhibendum. Ac denique accendendo nos ad eiuſdem ſummæ maieſtatis amorem, per quem prouocemur ad ipſius laudes celebrandas, & ad orationes tam pro aliis, quàm pro nobis, gratiarúmque actiones illi offerendas, & ad cultum ipſius promouendum inter homines, ac gloriam quærendam in omnibus.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad proximum.

SECTIO QVINTA.

13. IStiuſmodi eſſe hæc cenſentur. Primùm fratres noſtros Chriſtianos intueri non ſecundum faciem exteriorem, ſed ſecundùm interiorē Dei imaginem ſanguine Chriſti ita perfuſam, vt illi ſunt capaces regni cæleſtis: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi compatiantur vt conglorificentur* [k]. Secundum eſt meminiſſe tremendi iudicij in quo dicturus eſt Chriſtus [l]. *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: cōſequentérque putare, ſi fratres noſtri egeant corporali auxilio, nos illud exhibendo ſeruire Chriſto in ſuo membro: ſi verò egeant ſpiritali, recolligere ſanguinem ipſius in talibus animabus perditum: vt pote in eis factum ſine ſuo fructu emundationis earum à ſordibus peccatorum, & redemptionis à ſeruitute diaboli. Tertium eſt ad nos melius excitandos Chriſtum ipſum intueri præſentem, qui nos hortetur (vel amicè, vel comminatoriè) ne ſe deſpiciamus in ſuo membro, pro quo ſanguinem ſuum fudit, quemque tanti fecit, vt multa præſtantiſſima agere,

[k] ad Rom. 8.

[l] ex D. Matth. cap. 25.

In fratribus noſtris Chriſtianis quæ ſint cōſideranda.

agere, multa vtilissima instituere, multáque durissima, & ignominiosissima pati misericordissimè voluerit.

Quartum est suppliciter ab eodem petere, vt dignetur iuuare nos ad præstãdum illud, quod in hac re ipse à nobis exigit; siue spiritale siue corporale ministerium exhibendum sit proximo.

Non dolendum est in paucis iuuandis nos esse occupatos.

Postremum est minimè tentari, si ex obedientia, aut iuxta dictamẽ, seu præscriptum rationis, occupandi sumus circa paucos, vel in rebus minoribus, quasi nos possimus pluribus prodesse, & in rebus maioribus occupari. Nam Deus, à quo bonorum operum merces expectatur, nõ tam intuetur quantitatem operis, quàm laboris in operando susceptiamore ipsius. Vnde est quod *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem m.* Et certè, cùm *nec qui plantat, nec qui rigat aliquid sit: sed qui incrementum dat Deus n*; dubium non est, quin Deus possit sua acceptatione exiguo operi magnum valorem dare, & illud ita extendere, vt prosit quamplurimis.

m ex priori ad Corinth. cap. 3.

n ex Apost. ibid.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad nosipsos.

SECTIO SEXTA.

14. Christi præsentia considerada.

IStiusmodi hæc esse censentur. Primùm habere Christum ob oculos tamquam exemplar, & rectissimam benè viuendi regulam: præcipuè autem circa id quod acturi sumus, intueri actiones illius similes, nobis pro modulo nostro imitandas, simulque obligationem, quam habemus bene agendi, conside

considerare, ponderatis ipsius beneficiis, & laboribus pro nobis susceptis.

Secundum est, ipsos mentis oculos flectere ad nosipsos, qui tam malè tantæ obligationi satisfaciamus: & considerare Christum quasi ostendentem nobis suum sanguinem, quo perfudit animas nostras, vt eas bonorum operum fertiles faceret; atque etiam ad meliùs conandum excitantem nos, tum prouocationem ad morē sui, ex eo quòd amore nostri ipse peccata *pertulerit super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus* o, tum etiam exprobratione ac commemoratione pœnarum, quas ingratitudo nostra iustè meretur. Tertium est considerare nos tamquam seruos coram Domino suo constitutos, ac spectatorem actionum nostrarum habere Christum: *assistentibus ei millibus millium sanctorum: p constitutum iudicem viuorum, & mortuorum*, Act. 10. *quireddet vnicuique secundùm opera eius q.* Adeo vt debeamus nos in vita gerere tamquam *spectaculum facti Deo, Angelis*, & hominibus *r*.

o 1. Petr. 2.

p ex Daniel. cap. 7.

q ad Rom. 2.

r ex 1. ad Corinth. c. 4.

Postremum est excitare fiduciam in Christum, non tantùm spectatorem, sed etiam adiutorem nostrum: qui cùm sit fons perennis, & inexhaustus, ex quo manat *omne datum optimum, & omne donum perfectum quod desursum est à patre luminum* s, facilè augebit nostræ cognitionis, & modicarum virium riuulum, quantum ipse volet amantissimus Pater, & potentissimus liberalissimúsque Dominus, plus paratus nostri misereri, quàm nos à miseria liberari. Per pias igitur preces ad ipsum recurrēdum est, implorato Sanctorum, ac in primis beatissimæ Virginis patrocinio: petēdo gratiam, quâ operemur bona cum

s Iacob. 1.

na cum diligentia, discretione, & bona voluntate. Formula precandi ordinariè vsurpanda, est oratio Dominica cum salutatione Angelica prout ostendit receptus vsus recitandi rosarium iis omnibus commendatissimus, qui student *sobriè, iustè & piè viuere in hoc sæculo, expectantes beatam spem*, &c. Rosarium cõmendatur.

Documenta salutis, quæ diuersis hominum generibus, in vsu Sacramenti pœnitentiæ, dari possunt à Confessario.

SECTIO SEPTIMA.

QVæ hactenus tradita sunt de via salutis, eò pertinent, vt Confessarius in promptu habeat documẽta quibus pœnitentẽ de illa instruat, prout in Domino necessarium esse iudicauerit; quem non moneo, tam multa tradita non esse, vt simul omnia eidem inculcentur: quia satis constat id non esse consultum: partim quia obrueretur tot documentorum varietate, & multitudine: partim quia non conuenit cum eo in confessionali hærere diutius quam sit opus ad audienda ipsius peccata, pro munere Iudicis: & ad remedia salutaria ei adhibenda pro munere Medici, iuxta illud, quod ab initio diximus, hoc Pœnitentiæ tribunal esse misericorditer à Christo institutum ad peccatoris emẽdationem, seu spiritalem animæ curationem. Itaque modus instruendi de illis Pœnitentem, erit, vt nominatim ea illi inculcentur, quibus opus habere cognoscetur ex discursu confessionis ipsius: ad quod deprehendendum

dendum potest mediocre etiam iudicium sufficere,ei,qui & tradita probè tenuerit,& ad confessionem sibi factam bene attenderit.

Adhuc verò vltra eadem, quæ quibusuis hominibus communia sunt, dantur particularia quædam, diuersa pro diuersis generibus hominũ,quorum nõnulla ex sacris literis desumpta subiiciemus.

15. Monita pro Ecclesiasticis, & Prælatis.

Ac primò pro Ecclesiasticis,ex D. Matth. cap.5. quòd sint tum *sal terræ, quod si euanuerit ad nihil valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus:* Tum *lux mundi, quæ sic lucere debet coram hominibus,vt videant ipsorum bona opera, & glorificent* patrem suum qui in cœlis est.Et pro Prælatis specialiter, ex Actis Apostolorum cap. 20. quòd debeant *attendere sibi,& suo gregi in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo:* maximè cùm sint pro animabus suorum subditorum rationem reddituri, dicente Apostolo ad Hebræos.13.*Obedite præpositis vestris,& subiacete eis: ipsi enim perui gilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Id quod inculcandum est iisdem subditis, addendo & illud dictum à Domino Lucæ 10. *Qui vos spernit,me spernit*: monendóque si vita minus laudabilis sit, non ideo contemnendam esse dignitatem,vt satis indicauit Dominus Matth.23.De Scribis & Pharisæis sedẽtibus super cathedram Moysi,dicens:*Omnia quæcumque dixerint vobis,seruate, & facite:secundùm opera verò eorum nolite facere.* Monendo pariter; prælatis etiam malè viuentibus obloquentes, impium Cham patris irrisorem,imitari: qui non effugit maledictionem, quamtumuis idem pater

ebrius

ebrius turpiter nudaretur: cùm potiùs auersa facie debuerit ipsum tegere, prout fecerunt reliqui fratres. Gen. 8. Pro principibus, & aliis, quibus commissum est regimen populi: Quòd *non sit potestas nisi à Deo*, ad Rom. 13. cui cum timore seruire debeãt, iuxta illud in Psal. 2. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Debeant item commendatissimam habere iustitiam (iuxta illud Sapien. 1. *Diligite iustitiam qui iudicatis terram*) solicitéque cauere, ne eam peruertant, iudicem habentes Deum, iuxta illud Psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Vsquequò iudicatis iniquitatẽ, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno, & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite egenum, & pauperem de manu peccatoris liberate.* Circa quod suauiter moneri possunt, vt coram Deo (à quo remissionem peccatorum expectant, & vitam æternam) considerent, ac ponderent, quòd sint subditorum suorum conseruí, communem habentes Dominum, qui non est personarum acceptor: sed sicut communi erga omnes vsus est misericordia, instituendo pro omnibus eadem Sacramenta, aliáque salutis remedia: sic communi vtetur iustitia, reddendo vnicuique secundùm opera sua. Expendant verba illa Sapientiæ cap. 6. *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custoditis legem iustitiæ; neque*

Pro principibus & populi moderatoribus.

Principes habent vnũ communẽ Dominũ cũ suis subditis.

tiæ; neque secundùm voluntatẽ Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis quoniam iudicium durissimum in his quæ præsunt fiet: egeno enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur: non enim subtrahet personam cuiusquam Deus. nec verebitur magnitudinem cuiusque, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.

Populi se debẽt principibus submittere.

Pro populo autẽ subiecto; quòd debeat sub pœna damnationis se principibus suis submittere: dicente Apostolo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt.* Item, quòd iisdem honorẽ deferre, & tributa, ac vectigalia debita soluere debeat: dicente eodem Apostolo ibidem. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Cùm quis autem de illorum vexatione conquiritur, hortandus est orare pro illis: sicut hortatur ipse Apostolus in priori ad Timoth. cap. 2. addens id esse bonum, & acceptum coram saluatore nostro Deo.

Monita dãda coniugibus.

Pro coniugibus. Quòd *viri debeant diligere uxores sicut Christus dilexit Ecclesiam*, ad Ephes. 5. neque *amari esse ad illas*, ad Colos. 3. sed *quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem*, tamquam *coheredibus gratiæ vitæ*. 1. Petri 3. Vxores verò quòd debeant viris suis subditæ esse sicut Domino: quoniam *vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Vnde sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus, ex cit. cap. 5. ad Ephes.

Monen

Moueri item debent de eo, in quo facilè labuntur. Eis quidem permissum esse ornare se, sicut aliquando (vt habet D. Petrus in sua 1. Epist. cap. 3.) Sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subiectæ propriis viris: sed tamen cum verecundia, & sobrietate: *non in intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa*, vt habet D. Paulus in priori ad Timoth. cap. 2. Alioqui spectent illam seueram comminationem Isaiæ 3. *In illa die auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & perisselidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra; & erit pro suaui odore, fœtor; & pro zona funiculus; & pro crispanti crine, caluitium, & pro fascia pectorali, cilicium.*

Luxus inuestitu mulierbri abesse debet.

Pro parentibus: Quòd debeant filiorum specialem curam gerere, dicente Apostolo in priori ad Timoth. cap. 5. *quòd qui non habet curam suorum, maximè domesticorum, infidelis est, & infideli deterior.* Nec debeant illos ad indignationem prouocare, vt non fiant pusillo animo, ad Colos. 3. sed *educare illos in disciplina, & correctione Domini*, ad Ephes. 6.

Pro parentibus.

Pro filijs: Quòd debeant parentibus per omnia in Domino obedire, ex eodem Apostolo in iisdem locis. In quorum posteriore, duplex motiuum tangit, vnum honestatis, quia id iustum est: alterum vtilitatis, quia promissionem habet in suo præcepto. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.*

Pro filijs.

Pro Dominis. Quòd mansueti esse debeant erga seruos, ac minas remittere: scientes quòd vtro-

Pro Dominis.

rúmque Dominus in cœlis sit, apud quem non est personarum acceptio: quod idem Apostolus inculcato cap. 6. illis inculcat. Item hortandi sunt vt iustas mercedes illis fideliter soluant, iuxta præceptum eiusdem Apostoli ad Coloss. 4. cùm ait: *Domini quod iustum est, & æquum seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo.*

Pro seruis. Pro seruis & mercenariis. Quòd debeant ex eodem cap. 6. & ad Coloss. cap. 3. sub finem, *obedire Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis sui: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & nõ hominibus: sciẽtes quòd vnusquisque quod fecerit bonũ, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber.* Eodẽ spectat quod ad Titũ 2. præscribit seruos *Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

Pro diuitibus. Cæterùm qui diuitiis abundant, monendi sunt, de eo quod habetur in Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:* & de eo quod habet D. Paulus in priori ad Timoth. cap. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Faciant ergo sibi amicos de mammona iniquitatis, qui eos cùm defecerint, recipiant in æterna tabernacula, iuxta Domini monitum, Lucæ 16. & memi

& meminerint ex posteriori ad Corinth. cap. 9. quòd qui *parcè seminat, parcè & metet.*

Iis verò qui necessaria habent quidem, non tamen abundant; inculcandum est illud prioris ad Timoth. cap. 6. ad frænandam nimiam acquirendi solicitudinem: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiè quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Adde dictum à Domino, Matth. 19. *facilius esse camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Iis denique qui necessariis indigent, suadendum est, vt laborent patienter, ad illa comparanda: memores sententiæ à Deo pronunciatæ Gen. 3. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo:* & documenti à D. Paulo traditi 2. ad Thess. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

Senes autem monendi sunt de præparatione ad mortem, cuius *nescimus diem, neque horam* r, déque mortificandis propriis affectibus, & conformanda vita hac diuinis præceptis: quæ sunt aduersarius ille, cum quo consentiêtes esse debemus *dum sumus in via: ne fortè tradat nos Iudici, & Iudex ministro, qui mittat in carcerem, vnde nõ exeamus donec reddiderimus nouissimum quadrantem.* ex D. Matth. cap. 5. Oportet tandem exuere veterem hominem, & induere nouum: seu iuxta Apostolum ad Titum. 2. *abnegare impietatem ac sæcularia desideria, & sobriè, & iustè, & piè in hoc sæculo viuere, expectantes beatam spem, & aduentum magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi.* Hæc ætas clamat; Ecce venit sponsus; fides

r Matth. 25.

Senes quomodo monendi.

nostra sit viua, quæ operetur per charitatem. Lucerna sit in manibus non tantùm lucens, sed etiam ardens, ne *dicentes, Domine Domine aperi nobis*, audiamus. *Nescio vos*; & inuenti sine eadem charitate, tamquam non habentes vestem nuptialem, *iubeamur ligatis manibus, & pedibus mitti in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 25.

Matth 25.

Iuuenes de quibus monendi.

Iuuenes autem docendi sunt, quòd si velint bene sibi esse in reliqua vita, debeant incumbere obseruationi diuinorum mandatorum, iuxta illud Threnorum 3. *bonum est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua*: & illud, quòd ab eorumdem mandatorum via nunc recedentes, postea remordente ac inquietante conscientia compellentur illud ex Psal. 24. vsurpare. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Seminent igitur in benedictionibus, vt de benedictionibus metant: existimentque non tantùm futuræ, sed etiam præsentis vitæ pœnas & molestias sibi imminere ex licentia indulgendi suis affectibus. Denique iisdem affectibus suis indulgentes fœminæ; non modò in ornatu immoderato (de quo antea) sed etiam in incessu superbo, aut lasciuo, terrendæ sunt illa graui comminatione Isaiæ cap. 3. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & composito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*: & cætera supra recitata.

CAPVT

CAPVT XVII.

De iudiciali prudentia Confessarij in satisfactione Pœnitenti imponenda.

SVMMARIVM.

1. *Non est imponenda satisfactio, quæ sit in præiudicium tertij.* 2. *Nec quæ peccatum occultum in Confessione detectum, manifestet.* 3. *Vitandum est, ne videatur esse ineptè imposita.* 4. *Pœnitenti contraria peccatis ipsius imponenda est satisfactio, ad radices illorum excidendas.* 5. *Imponenda tantùm est Pœnitenti satisfactio, quam creditur impleturus.* 6. *Nec nimis leuis nec nimis grauis imponenda est.* 7. *Nonnisi leuem admittere volens, reijciendus non est, in re posita in ipsius arbitrio.* 8. *Monendus tamen est quam maiorem mereatur: nisi incommodum ex monitione timeretur.* 9. *Recusans illud ad quod aliàs tenetur sub mortali, non est absoluendus.* 10. *Tertius modus imponendi pœnitentiam notandus.* 11. *Cum constituto in articulo mortis qualiter procedendum sit in imponenda satisfactione.* 12. *Vt sacramentalis satisfactio imponatur, debet præcedere confessio sacramentalis.* 13. *Satisfactio omissa vno tempore, implenda est alio.*

AD iudicialem prudentiam Confessarij in imponenda satisfactione, sequentia pertinent. 1.

Primùm est, quod D. Antoninus *a* habet: ne talis imponatur, cuius impletio sit in præ- *a* 3. par. tit. 17. cap. 20. §. 1.

Pœnitentia in præiudicium tertij non est imponenda.

iudicium tertij. Exemplum est si seruo imponatur magnum ieiunium, vel longa peregrinatio, vel aliud quod sit notabile impedimentum obsequiorum Domino debitorum: vel si fœminæ non habenti paraphernalia, iniungantur magnæ eleemosynæ in viri præiudicium.

2. Secundum est, quod consequenter idem auctor habet, ne pro peccato occulto, pœnitentia imponatur manifesta: seu cuius impletio pœnitentem, graue aliquid admisisse ostendat: quoniam frangeretur alioqui confessionis sigillum; & ita Nauarrus *b* meritò ait incautos esse Confessarios, qui ieiunia, & cæteras, quæ nequeunt aliis nescientibus impleri, graues pœnitentias imponunt paulò post Confessionem implendas. Nam attento, quòd vix nostra ætate quisquam graues facit pœnitentias propria sponte susceptas: inde inducunt alios ad suspicandum, quòd pœnitentes grauia peccata cõmiserint, propter quæ tales pœnitentiæ sint eis impositæ. Si quis tamen inter aliquos versaretur, apud quos esset in vsu graues Pœnitentias ex deuotione interdum suscipi (vt in monasteriis, aut collegiis, aut sodalitiis quibusdam orationes longiores, meditationes, vigilias, & verberationes) possent tales iniungi; & quæcumque aliæ, quas multi, vbi pœnitens degit, solent ex deuotione vsurpare; vt Romæ, flagellationes in nocte cœnæ Domini: non verò insolitæ, aut ex quibus spectata qualitate, vel consuetudine personæ, facilè coniici posset iniunctas esse ob mortale peccatum in Cõfessione detectum. Exemplum est, si confessor iniungat Pœnitenti, vt capite, & pedibus nudis cereum teneat in Missa coram populo, quod se vidisse ait, & improbat idem Nauarrus

b ad cap. Sacerdos. de pœnitẽ. distin. 6. n. 103.

Quæ pœnitentiæ etiã graues imponi possint.

uarrus *c*. Item (quod habet Henriquez *d*) si fœminis, aut religiosis, qui in communi mensa cibum sumunt, grauia ieiunia in pane, & aqua imponantur: vnde grauis peccati à maritis, aut à prælatis arguantur.

c in seq. cap. 106.

d lib. 5. summæ Theolog. moral. cap. 21. §. 6.

Tertium est, quod attingunt Nauarrus & Sotus *e*, ne ita imponatur pœnitentia, vt ineptè imposita esse videatur; vt si imponatur magna eleemosyna homini pro ratione sui status pauperi; aut prolixæ orationes, homini continuè occupato; aut ieiunium assiduè laboranti & vescenti pane in sudore vultus sui; aut austeritas magna, delicato, vel constituto in altiori dignitatis gradu: aut aliquid quod sit contra ipsius honorem, nec deceat ab ipso impleri: aut quod periculum habeat lapsus spiritalis, vt fœminam sine viro peregrinationem suscipere, vel etiam cum ille longinquam, vt ex Hostiensi addit Nauarrus: aut ad melancholiam, & desperationem pronum, vti tantùm pane, & aqua, & recreationes omnes etiam honestas vitare. Etenim pœnitentiæ (inquit bene Henriquez *f*) non tantùm numero & qualitati peccatorum proportionatæ esse debent, sed etiam dispositioni personæ; vt leuior ei imponatur, qui ostendit magnæ contritionis signa, aut qui apparet infirmior siue corpore, siue animo, aut qui de grauioribus nihil videtur impleturus. Immò neque iuuenibus feruentioribus qui graues pœnitentias expetunt, imponendæ sunt tales, quibus sub onere gemant, aut breui deficiant viribus.

e ille in Ench. cap. 26. nu. 18. & hic in 4. dist. 20. quæst. 2. Act. 3. concl. 2.

f in præcep. §. 2.

g loco cit. Imponendæ pœnitẽtiæ, quæ radices peccatorũ exscindant.

Quartum est, quod D. Antoninus attigit *g*, vt Confessarius multùm laboret Pœnitentibus contrariam peccatis Pœnitẽtiam imponere ad exscindendas eorum radices, & occasiones, iuxta cap. Sa-

tisfactio de Pœnitentia distin. 3. puta luxurioso, quæ valere poterunt ad continentiam retinendam; vt euitare, & deserere familiaritatem personarũ, quæ illi esse possunt causa ruinæ; itémque ieiunia, verberationes, & alias corporis macerationes vsurpare. Auaro autem imponere eleemosynã, & superbo opera humilitatis, iuxta cap. 1. de pœniten. distin. 1. & sic de cæteris; curando in omnibus, vt cùm in Pœnitentiæ Sacramento, satisfactiones non solùm sint vindictæ peccatorum, sed etiam medicinæ; ex quas ipse imposuerit, non minus, imò potiùs sint remedium præseruatiuum à recidiuo, quàm expiatiõ pœnæ præteritis peccatis debitæ: prout ex D. Thoma, & aliis Theologis adfert à Graphijs in lib. 1. decis. aurearum. *h*

h cap. 31. nu. 7. Pœnitentiæ quæ impleri possunt iniungẽdæ.

Quintum est, quòd idem à Graphiis cõsequenter addit, vt Confessarius semper curet eas Pœnitentias imponere, quas credat verosimiliter Pœnitentem ipsum impleturum, ne obsint, quæ prodesse debent, siquidem status ipsius per violationem illarum, futurus est deterior, quàm alioqui foret. Quapropter monendus est (quantumcumque iuxta Sotum *i*, non ostendat se difficilem) ne propositam Pœnitentiam acceptet, nisi se impleturum eam firmiter proponat; etiamsi pœnæ peccatis suis debitæ non satisfaciens in hac vita, debeat illam soluere in purgatorio, vbi longè grauior erit, & multò minus efficax ad satisfaciendum, prout idem Sotus tangit *k*. Et ratio est, quòd homo in hac vita Pœnitentiam impositam suscipiat, & peragat ex plena libertate: in futura autem vita necessitate compellente, perinde, ac cùm quis iudice cogente soluat debitum: quod non imputatur ei ad laudem, & meritum,

i loco cit.

k in eod. art. 3. non lõgè à principio.

ritum, sicut si ex plena libertate solueret.

Sextum est, quod idem à Graphiis adhuc habet, *l* Confessarium debere diligenter cauere, ne pœnitentiam adeo leuem imponat, vt pœnitens illam contemnat, illiúsque leuitate illectus faciliùs relabatur; nec contrà, adeo grauem, vt ille eam cum animæ suæ præiudicio omittat, sed sic grauitatem cum leuitate temperet, vt neque nimis rigida, neque nimis facilis esse videatur. 6. *l* in sequ. num. 8. & 9. Pœnitentia leuis valde imponenda non est.

Quòd si Pœnitens ipse dixerit, pœnitentiam mediocrem quam meretur Confessarij iudicio, se facere non posse: sed paruam tantùm facere velle, debet hic illi morem gerere: in re scilicet, quæ relicta est ipsius arbitrio, prout pluribus aliis citatis habet Henriquez *m*: & probatur, quia Confessarius, cùm officium gerat non tantùm Iudicis ad vindictam peccati, sed etiam pij medici, ac patris spiritalis ad curationem animæ, debet vti ea prudentia (vt bene ait Sotus) *n* qua solet medicus, qui non semper rigore vtitur medicaminum, quæ morbus exigit: sed ad ægri debilitatem ita attendit, vt si rigorem illum ferre nequeat, remissiùs cum eo agat. Si ergo Pœnitens Confessario suam imbecillitatem exponat, isque præsumatur propter debilitatem corporis, aut animi, spiritúsve languorem, & torporem non impleturus condignam Pœnitentiam, ei iniungenda est, quam libenter admittet: etiamsi esset vnum Pater & Aue, aliúdve modicum (addito quòd alia bona, quæ fecerit, vel mala, quæ pertulerit, sint etiam ei in pœnitentiam: potius quàm sinendus, vt afflictus recedat vel desperabundus ob Pœnitentiæ difficultatem: id quod ex D. Thoma, & Hostiensi adferens D. An- 7. Cõfessarius quomodo se geret erga Pœnitẽtẽ qui exiguam vult agere pœnitentiam.

m li. 5. summæ cap. 20. §. 5. lit. q.

n ibidem concl. 2.

8. toninus *o* addit ex Paludano quando Pœnitentia minor, quàm deberet, sic imponitur, iudicandum esse pœnitenti quantò maiorem mereatur (cùm canones pœnitentiales septemnalem imponant pro vno mortali) ne decipiatur putans impositam sufficere, ac condignam esse. Quamquam tamen, si nimia deiectio, aut desperatio ex tali declaratione timeatur, esset abstinendum ab ea, & potius humaniore adhibita cohortatione, suadendum, vt velit Deo satisfacere, siue hîc, siue in purgatorio. Quæ quidem voluntas poterit ei sufficere, iuxta Nauarrum alios citantem in Enchir. *p* Confirmatur verò per illud, quod idem bene docet ad cap. consideret. de pœnitent. distinct. 5. *q* relictum esse ipsius arbitrio, siue hîc, siue in purgatorio, satisfacere pœnæ debitæ peccatis suis. Qua de re dicemus in praxi par. 2. lib. 3. cap. 2. num. 5.

o 3. par. tit. 17. cap. 20. in initio.

p cap. 26. num. 20.

q §. Ponat se, num. 11.

9. Quãdo Pœnitẽs tenetur pœnitentiã sibi iniunctam acceptare.

Aduertendum est verò, si id quod pœnitenti imponitur tale sit, vt sub mortali teneatur illud præstare, etiamsi non iniungeretur; ipseque illud recusset, non debere sacramentaliter absolui: quia tamquam impœnitens incapax est talis absolutionis, iuxta illud in cap. Tunc vera. 11. quæst. 3. *Tunc vera est absolutio præsidentis, cùm interni sequitur arbitrium iudicis*, id est, Dei, qui numquam absoluit impœnitentem, de Pœnitentia distinct. 1. cap. neminem. Quod D. Antoninus annotans addit id procedere, etiamsi talis insistat pro absolutione, ostendendo scandalum, & desperationem: si non absoluatur. Nam ei nullo modo assentiendum est, sed declarandum id non posse fieri, neque si fiat profuturum ipsi. Quòd verò permaneat in scandalo, non debet nos reddere sollicitos, quasi rei firmus

mus illius: quia non est à nobis datum, sed ab eo acceptum: ita vt Pharisæorum sit, non paruulorum scandalum, ex cap. Inter verba 11. q. 3.

Septimum esse potest, quod Polancus habet in direct. [r] vt dispositis ad mitiorem pœnitentiam admittendam, maior imponatur, habita ratione criminum perpetratorum: dummodò ea talis sit, quam illi videantur adimpleturi. Concedatur item pœnitenti vt impositam Pœnitentiam possit redimere: vt ieiunia eleemosynis: quædam etiam relinquantur ipsius arbitrio: dicendo hoc facies, aut si malueris illud. 10.

[r] ca. 2. art. 4.

Octauum sit quod Nauarrus in Enchir. habet, [s] & ante eum ex Paludano D. Antoninus [t] per cap. 1. 16. quæst. 7. vt constitutis in articulo mortis, non imponatur magna pœnitentia exterior mox agenda, sed ad interiorem contritionem, quàm fieri potest maximam ipsi moneantur, non tam proponendo pœnas inferni quàm spem misericordiæ Christi pro ipsis crucifixi: quia tunc magis quis desperatione, quàm præsumptione oppugnatur. Item admoneantur, vt iubeant de bonis suis eleemosynas rationabiles fieri, & Missas celebrari; rogentque amicos, si quos præsto habeant, vt precibus, & aliis bonis operibus iuuent ipsos ad pœnitentiam pro suis peccatis agendam. Quò etiam spectat id quod ex Hostiẽsi D. Antoninus addit, Pœnitentem in articulo mortis constitutũ monẽdum esse à Confessario, quæ pœnitentia illi imponi deberet, si bene valeret, quámque debeat implere, si conualescat: aut pro ea eleemosynas facere, suísque hæredibus iniungere faciendas. Quòd si timeretur inde accepturus occasionem aliquam desperatio 11:

[s] cap. 26. num. 33.

[t] 3. parte tit. 10. ca. 2. sub initiũ. Pœnitẽtia qualis moribundo sit imponẽda.

rationis, seruandum esset, quod antea num. 8. dictum est: moneri posset tamen, vt si conualuerit, denuo se præsentet Confessario petendo taxari sibi condignam suis peccatis pœnitentiam: quod tunc fieri nequit, durante ipsius infirmitate. Ratio autem monitionis reddetur, quòd cæteris paribus impletio satisfactionis à Confessario impositæ plus valeat, quàm susceptæ propria tantùm sponte, perinde ac impletio voti, de qua ad 1. Clement. De reliquijs & veneranctorum, glosa. *v* Addit D. Antoninus de tali, si redeat ad eumdem Confessarium, non teneri denuò confiteri peccata, pro quibus satisfactio est taxanda, si Confessarius ipse adhuc illorum recordetur, quantùm sufficit ad moderandam Pœnitentiam: aliàs verò debebit denuo confiteri.

v Verbo seipsum.

12. Satisfactio sacramentalis maioris est efficaciæ quàm spõte susceptæ.

Pro quo notandum est sequens documentum. Si Pœnitens considerando sacramentalem satisfactionem; efficaciæ esse maioris, quàm sponte susceptam: velit per illam potiùs, quàm per hanc satisfacere Deo, ideóque postulet aliquam sibi imponi, debere tunc confiteri prout Nauarrus attigit ad cap. Contrarium. de pœnitent. distinct. 5. num. 23. & patet, quia ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Sacerdos iudicium Pœnitentiale incognitâ causâ exercere non potest, neque æquitatem in pœnis iniungendis seruare, nisi in specie, & figillatim sua Pœnitens peccata ei declarauerit. Idem quoque iudicium est, si quis ab alio, quàm ab eo cui confessus est, vel ab eodem quidem, sed qui oblitus sit peccatorum in confessione auditorum, petat sibi aliquam imponi, eo quòd antea impositæ, quam non impleuit, minimè recordetur.

Quod

Quòd si illius recordetur quidem, petat nihilominùs aliam pro ea à se omissa sibi imponi, cautum est (inquit D. Antoninus) *x* ei declarare, ac permittere: vt si aliqua die siue ex negligentia, siue ex obliuione omiserit iniunctam pœnitentiam, vt ieiunium, vel orationes, vel aliud huiusmodi, possit alio die supplere. Ratio est quam reddit Caietanus *y*, quod principale in satisfactione, sit ipsum opus, non circumstantia temporis. Qua etiam ratione Fumus *z* vtitur ad stabiliendam determinationem, quam ait posse consolari multos: nempe si Pœnitens non impleuit loco & tempore designatis, vel partem Pœnitentiæ vel totum, quod ei fuerit iniunctum, impleat postea. Quamquam si tempus ipsum tamquam pars satisfactionis imponatur, vt si quis præcipiatur ieiunare in æstate, quia ieiunium tunc habet specialem difficultatem, ieiunando hyeme non impletur tota Pœnitentia, ratione variæ conditionis temporis, quæ spectata est in illa imponenda.

x in sequ. tit. 17. ca. 20. §. 1. sub finē.

y verbo satisfactio §. 1. in fine.

z eodē verbo, num. 5.

CAPVT XVIII.

De prudentia Confessarij in arbitranda seu taxanda satisfactione Sacramentali.

SVMMARIVM.

1. *Tanta, & talis satisfactio imponenda est Pœnitenti à Confessario, quæ censeatur iusta.* 2. *Solus Deus*

Deus nouit definitè, quæ sit iusta. 3. *Relinquitur arbitrio Confessarij determinare quantitatem, & qualitatem pœnitentiæ iustæ.* 4. *Iniuncta minor, quàm diuina iustitia exigat, non liberat omnino à pœna peccato debita.* 5. *Non ita relinquitur arbitrio Confessarij satisfactio, vt pro libito eam imponere possit.*

6. *Satisfactio non modò in remedium futuri, sed etiam in vindictam præteriti peccati imposita esse debet.* 7. *Responsio ad illud, quòd Christus peccatum remiserit sine impositione pœnitentiæ.* 8. *Quæ consideranda ex parte pœnitentis, in arbitranda pœnitentia.* 9. *Ratio arbitrandi ex eadem parte.* 10. *Considerandæ ex parte peccati in arbitranda Pœnitentia.* 11 *Ratio arbitrandi ex eadem parte, est per canones pœnitentiales, & quo modo.* 12. *Canones pœnitentiales secundùm ordinem præceptorum decalogi, & Sacramentorum ad quæ pertinent.* 13. *Considerandæ ex parte finis in arbitranda satisfactione.* 14. *Generalia remedia aduersus peccata quæ in satisfactionem imponi possunt.*

1. DVBIVM non est, quin, vt Nauarrus, in Enchir. docet, *a* Pœnitentia à Confessario imponenda sit tanta, ac talis satisfactio, quæ iusta censeatur. Id enim præter alia quæ ille adfert, satis confirmat auctoritas Concilij Tridētini sess. 14. cap. 8. docentis, quòd sacerdotes Domini debeant, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniun-

a cap. 26. num. 15.

Cōfessarius pro grauissimis peccatis iniungens leues

iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Verumtamen quia iusta pœnitentia censetur, *b* quæ exæquat, nec maior, nec minor est eâ pœnâ, quæ pro peccatis per contritionem, & confessionem condonatis restat luenda in purgatorio; certum est, quòd Deus solus eam cognoscat, sicut solus nouit grauitatem peccati, & vim contritionis, ac quam pœnæ partem absolutio Sacramentalis tollat; quantíque meriti sit opus satisfactorium, siue impositum à Confessario siue propria sponte susceptum? Vnde fit vt Confessarius in æstimanda iusta Pœnitentia, nequeat id spectare, & sequi, quòd diuina iustitia definitè exigit, cùm tale quid notitiam ipsius fugiat.

pœnitẽtias fit particeps alienorum peccatorũ. 2.

b hoc idem Nauar. in seq. num. 16. notat.

Quocirca quantitas, & qualitas iustæ Pœnitentiæ relinquitur, sempérque relicta fuit prudentis Confessarij arbitrio, prout consequenter Nauarrus *c* docet per cap. Mensuram, de Pœnitentia distinct. 1. & cap. Tempora, 26. quæstio. 7. & cap. Deus qui, de pœnitent. & remiss. benéque præterea admonet relinqui ad hoc, vt animæ negotia, tam quo ad hunc mundum quàm quo ad alterum gerantur seruata rationis moderatione: non autem ad eum effectum, vt Pœnitens impleta quacumque sibi iniuncta à Confessario pœnitentia, siue magna, sine parua, liberetur ab omni purgatorij pœna. Nam quæ iniuncta fuerit minor, quàm diuina instiria exigat, etiam impleta relinquit obligatum ad luendum illud pœnæ debitæ reliquum, quod ipsa non exæquat: indéque Nauarrus ipse *d* ait dictam esse falsam pœnitentiam in cap. falsas. de pœnitent. distinct. 5. non quòd nihil prosit, vel absolutionem reddat inualidam: sed quòd pœnitentem

3.

c ibidem num. 17. Pœnitentia arbitrio Sacerdotis relicta est.

4.

d in cit. num. 15. Falsa pœnitentia quæ dicatur.

tentem fallere possit, præbendo occasionem credendi se per illam plenè satisfacere, cùm res aliter se habeat ex communi sententia: ita vt idem consequenter meritò approbet dictum Ioan. maioris in 4. distinct. 20. non esse veri amici paruam pœnitentiam imponere, neque esse prudentiæ paruitate illius lætari. Quamquam vt ex communi sententia habet Suarez *e*, si rationabilis causa exigat, propter impotentiam, aut fragilitatem pœnitentis, potest leuior satisfactio ei imponi: admonito talem non esse sufficientem, ad ipsum eximendum omnino à pœna purgatorij.

e tom. 4. disput. 38. sect. 4. nu. 4.

De Confessarij arbitrio, cui relinquitur iusta satisfactionis taxatio.

SECTIO PRIMA.

5. Quid sit iustam pœnitentiam relictã esse Confessarij arbitrio.

POrrò Confessarij arbitrio relictam esse iustæ Pœnitentiæ quãtitatem, & qualitatem, est tam non esse taxatam à iure; sed illius taxationem relinqui prudentiæ Confessarij tamquam Iudicis, & medici spiritalis, prout ante ex Nauarro habitum est. Attamen non ita relinquitur, vt ad libitum suum sine alia circumspectione possit illam facere: sed (vt bene confirmat Sotus) *f* spectatis peccatorum, & peccatoris circumstantiis: quia non exercet hoc munus propria sua auctoritate; sed Dei, tamquam instrumentum ipsius: quod nonnisi ad eius nutum moueri deceat. Pro quo tum alia Sotus adfert, tum illud, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, &c.* Per quod Christus satis insinuauit non esse sacerdotibus po-

f in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. concl. 1.

testate

testate remittendi peccata vtendum proprio arbitratu: sed secundùm iudicium directum à Spiritu sancto. Non est ergo dubium, quin confessor peccet, offensas contra Deum factas condonans sine regula prudentiæ: præsertim cùm nimis leues pœnitentias imponendo, faciat Deo iniuriam; & imponens nimis graues, faciat proximo.

Cõfessarius quomodo peccet nimis graues, & nimis leues imponens pœnitentias, 6.

Cuius peccati ipsum clarè admonet Concilium Tridentinum, vt patet ex ipsius verbis propositis initio huius capitis. Quibus cùm subiungit: *Habeat autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponat, non sit tantùm ad vitæ nouæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam:* ostendit Confessorem ipsum in imponenda satisfactione sic debere rationem habere emendationis pœnitentis, vt simul habeat iustæ vindictæ peccatorum ipsius: seu, quod idem est, curare, vt non modò medicinalis, sed etiam satisfactoria sit pœnitentia. Quam (vt iam antè attigimus) determinare ex æqualitate, qua peccati grauitatem magnitudo pœnæ exæquet, non est moraliter possibile, ob defectum notitiæ quantitatis eorum, quæ inter se conferenda essent: puta dictæ grauitatis, & magnitudinis ex vna parte; ex altera verò, tum dispositionis cum qua Pœnitens ad Sacramentum accedit: tum portionis meritorum Christi, quæ iuxta institutionem ipsius applicatur suscipienti Sacramentum. Ita vt Confessarius illud tantùm possit, ac etiam debeat obseruare, vt secundùm rationes quasdam generales, pro grauioribus delictis, grauiores pœnitentias imponat, quantùm prudentia, & Spiritus sancti instinctus dictauerit: de quibus, quæ Theologici Scholastici

tradant Suarez *g* persequitur. Nobis autem sufficit cum Soto respondere ad obiectionem illam; quòd Christus, Ioan.8. peccata remiserit sine impositione satisfactionis, quando mulieri in adulterio deprehensæ dixit. *Nec ego te condemnabo, vade iam, noli amplius peccare.* Respondetur ergo id à Christo Domino factum esse pro sua potestate excellentiæ; neque debere à sacerdotibus trahi in exemplum, quorum potestas tantùm est ministerij & instrumenti: quod non proprioſed causæ principalis nutu; vt in aliis, sic & in hac re, moneri debet, prout iam attigimus insinuatum esse à Christo per illud, Ioan.20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sit igitur constitutum ex hactenus dictis, ad iustam, seu quàtam, & qualem oportet satisfactionem pro peccatis auditis in confessione imponendam, requiri in Confessario tum Spiritus sancti impulsum, tum horum trium considerationem: peccatoris, inquam, peccati, & finis, id est, salutis animæ: quibus debet satisfactio ipsa esse commensurata, perinde ac infirmo, infirmitati, & sanitati, medicina: vt bene ait Caietanus in verbo Satisfactio. Atque de Spiritus sancti instinctu pro praxi nobis proposita, nihil aliud occurrit monendum, quàm vt deuota, humilique oratione imploretur, nec illi obex prauæ animi ponatur: de cæteris plura sunt notanda: quæ deinceps persequemur sigillatim.

g in cit. disp. 38. sect. 5.

7.

Christus cur peccata remiserit absque vlla satisfactione, quod sacerdotes non faciũt.

Considerandа ex parte Pœnitentis in arbitranda satisfactione.

SECTIO SECVNDA.

EX parte Pœnitentis igitur in arbitranda, imponendáque satisfactione, oportet Confessarium considerare ac ponderare tum possibilitatem, & commoditatem ipsius ad talem Pœnitentiam implendam: tum quantitatem contritionis, quam habet de peccatis commissis: tum etiam qualitatem personæ: robustáne sit, an debilis: iuuenis an senex: assueta pœnitentiis, an non: tum demum cæteras circumstantias, vt scandalum, vel detrimentum aliorum. ineptum est enim talem pœnitentiam imponere, quam Pœnitens non possit implere, aut etiamsi absolutè possit, non tamen commodè, ita vt periculo exponatur non implendi impositam. 8.

Cæterùm rationi consentaneum esse constat, ob idem peccatum cæteris paribus, minorem pœnitentiam magis contrito, quàm minus contrito imponi: cùm per maiorem feruorem contritionis, maior pœnæ pars remitti nata sit, immò tota aliquando remittatur *h*. Præterea personis infirmis, aut non assuetis pœnitentiæ, agendæ imponendam esse satisfactionem habita ratione infirmitatis earum: vt quantumcumque grauiorem, ipsorum peccata mereantur, & exigant; non imponatur tamen nisi quanta, & qualis infirmitas earum siue corporalis siue spiritalis, languórve, aut tepor animi ferre potest: iuxta tradita in præced. capit. 17. 1. num. 7. In quam sententiam præclarè Caietanus, in verbo Satisfactio ait: ægro, secundùm corpus forti, ac & 8.

Magis contrito minor pœnitentia imponenda est, quàm minus contrito.

h Aduerte contritionē tanquā pœnalē satisfactoriam esse posse.

bene constituto, dari potest fortis medicina, debili autem, minimè: ita Pœnitenti bene præparato, & robusti animi, satisfactio, quam meretur imponenda est, debiliter autem dispositio danda est satisfactio paruula iuxta debilitatem sui animi, vt paruulus ignis foueatur apposita palea, ne suffocetur appositis magnis lignis desuper. Hæc ille. Atque in tali casu sacerdos, quemadmodum habet D. Antoninus *k*, si non potest gaudere de omnimoda purgatione Pœnitentis, saltem gaudeat, quòd liberatum à gehenna transmittit ad purgatorium.

k 3.par.tit. 17.cap.20. sub initiũ.

9. Attamen cauere debet, ne minorem, quàm ea, quæ iusta videatur, imponat sine iusta causa. Censetur verò iusta causa ex Nauarro in Enchir. *l* tum impotentia implendi maiorem pœnitentiam: tum magnitudo contritionis de peccatis confessis, tum senectus, & debilitas Pœnitentis, tum aliqua lucratio indulgentiarum per quas supplentur pœnitentiæ punitiuæ: tum demum Pœnitenti facta omnium bonorum operum totius vitæ iniunctio, ac directio in satisfactionem pœnæ peccatis debitæ: adde & bonorum operum, quæ ab aliis pro se fieri curauerit, ex D. Antonino *m*. Curare debet autem Confessarius vt pœnitentiæ sint præseruatiuæ à relapsu in peccata: quia homo per Sacramentum restituitur diuinæ gratiæ, vt deinceps ambulet, ac perseueret in operibus bonis. Immò verò potest interdum pro minore peccato, grauiorem pœnitentiam imponere pœnitenti illius capaci, ad ipsum deterrendum, ne facilè relabatur. Nam ea quoque ratione qualitati Pœnitentis satisfactio proportionatur: neque obstat, quòd non proportionetur peccato, quia quantumuis grauitatem peccati

l cap.26. num.21. Causæ pœnitentiæ diminuendæ.

m in eodem cap. 20. §.1. in fine.

superet : talis tamen inæqualitas compensatur per fructum spiritalem ex ea consequentem.

Considerandа ex parte peccati, in arbitranda Pœnitentia.

SECTIO TERTIA.

EX parte autem peccati in arbitranda, ac imponenda satisfactione, considerandа est Confessario, illius tùm natura, tum grauitas. Natura quidem, quia vt corporeis, sic spiritalibus morbis consentaneum est adhibere medicinam ex contrariis, eo modo, quo ante traditum est. *n* Grauitas verò, quia non debent pro grauibus delictis, leuia opera iniungi, vt Concilium Tridentinum expressit per illa verba, quæ retulimus initio huius capitis. Aduerte verò dari quidem aliquam rationem iudicandi de peccatorum grauitate, quantùm satis est, ad intelligendum, quod grauius sit, vel minus graue, prout tractauimus in praxi fori pœnitentialis part. 3. tomo 1. *o* & consequenter cognoscendi in genere pro quo maior, vel minor satisfactio sit imponenda: cùm dubium non sit grauioribus maiorem deberi: nullam tamen dari certam rationem determinandi in particulari, quàm magna vnicuique debeatur pœna, cuius tolerатione ita satisfiat diuinæ iustitiæ in hac vita, vt nihil superſit soluendum in vita futura. Nam sicut gradus pœnæ pro vnoquoque peccato luendæ in purgatorio (qui coram iustitia diuina certus definitúsque est) quo ad rigorem, & durationem nobis est incognitus: ita etiam incognita est magnitudo pœnæ in hac vi-

10.

n in cap. 17. num. 4.

o lib. 4. ca. 1.

Non potest dari certa regula pœnæ cuique peccato debitæ.

ta sustinendæ, quæ sic ei commensurata sit, vt sufficiat ad ipsam totam redimendam.

11. Itaque hac ex parte ad Confessarium dirigendum in satisfactione imponenda conuenienter, seu correspondenter grauitati peccatorum in confessione auditorum, nihil potest in particulari assignari præter canones Pœnitentiales, quorum aliquot collecti habentur in fine decreti Gratiani, tamquam regulæ directoriæ viris Ecclesiasticis ad pœnitentias pœnitentibus imponendas valde necessariæ, vt ibidem habet eorum inscriptio: Ob quam necessitatem censeri potest dictum in cap. Quæ ipsis, distinct. 38. *Vix sacerdotis nomen constare in eo, qui tales canones ignorauerit.* Non est tamen sic accipienda talis necessitas, vt bene monet Nauarrus *p*, quasi oporteat sacerdotes in foro cõscientiæ imponere pœnitẽtias in iisdem canonibus contentas: vsus enim docet contrarium; tum in aliis, tum in eo quòd (inquit idem auctor *q*, nemo presbyterorum inueniatur, qui ob simplicem fornicationem, decem annis pœnitentiam agat, ipsi constitutam, in cap. Presbyter. distinct. 82. Atque si talis de necessitate imponenda esset; quid quæso fieret cum presbytero, qui toto anno in concubinatu vixisset? quandoquidem non sufficeret ad agendam talem pœnitentiam, mille annorum vita. Ratio igitur eiusmodi necessitatis est, quòd per eos canones possint Confessarij doceri, quæ pœnitentiæ quantitas, & qualitas, cui peccato magis conueniat: quorum constitutum licet ob pœnitentis infirmitatem siue corporis, siue animæ, vel ob aliam causam, sequi Confessarij impediantur: habent tamen vnde salubriter illum moneant dicendo ei,

p ad cap. falsas. de pœnit. dist. 5. num. 18.

q in præced. num. 3.

Canones pœnitẽtiales quam vim nunc habeant.

iuxta

iuxta Nauarrum in Enchirid. *r*) Quamuis ſolus Deus ſciat iuſtam pœnitentiam pro peccatis tuis tibi imponendam, tamen diuino impulſu directos ſanctos Patres, per ſuos canones talem pro tali peccato de quo confeſſus es, aut pro alio non abſimili impoſuerunt; addendo etiam (quod refert Gratianus in cap. Hoc ipſum. 33. quæſtio. 2.) priſcos Chriſtianos ſolitos fuiſſe pro vnoquoque maximo peccato mortali facere ſeptem annorum pœnitentiam *s*, iudicantes tam longam pœnam, tam magnæ offenſæ purgandæ adhiberi oportere: ſe autem nolle tam grauem imponere, niſi ipſe ſponte velit ſuſcipere. Quo reſpondente ſe velle, & iudicetur impleturus, iniungenda eſt ei pœnitentia, quæ videbitur iuſta, facta comparatione ad eas, quæ prædictis canonibus pœnitentialibus præcipiuntur: hocque eſt quod Nauarrus notat *t*, Parochos ſecundùm omnes, debere pœnitentias ſuas imponere ad inſtar præfixarum à iure pro foro exteriori. Cùm ergo certum ſit Confeſſarium debere dictos canones in promptu habere, ſaltem ad pœnitentias in illis præſcriptas pœnitenti (niſi deiectus omninò videretur) inſinuandas, vt intelligat, quàm graui pœna dignus ſit, libentique animo eam, quæ imponitur, ſubeat, ac diligenter caueat ſe iterum inquinare talibus peccatis, quæ ſunt grauibus pœnis expianda: ad doctrinæ complementum iidem canones ſubiiciendi ſunt tamquam regulæ directiuæ ad pœnitentias iniungendas, commenſuratas grauitati peccatorum declaratorum in confeſſione.

r cap. 26. num. 19.

s Intelligeius rationis cuius debere eſſe arbitraretur ſacerdos, perſpecta conditione ac diſpoſitione perſonę, *t* in cit. num. 18.

Canones Pœnitentiales in arbitranda satisfactione considerandi à Confessario.

12. AD horum facilioré recordationem, & commodiorem vsum conducet eos proponere secundùm ordinem præceptorum decalogi, & Sacramentorum, ad quæ pertinere cognoscuntur.

Pertinentes ad præcepta decalogi.

Diuinationes obseruans.

DIuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare præsumens, 40. dies in pœnitentia sit, cap. 1. De sortilegiis.

Diuinatores consulens.

Respiciés futura in astrolabio, seu consulens diuinatorem etiam bono zelo, & cum simplicitate, suspenditur à diuinis per annum. cap. 2. eod. tit. } Ad 1.

Magicis cãtionibus vtens.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliúdve simile admittit, & qui ei consentit, & consulit, Pœnitens sit 5. annis, cap. Qui diuinationes, 26. q. 5.

Votũ simplex violãs.

Votum simplex castitatis violanti ducta vxore, constituitur pœnitentia trium annorum, cap. Si vir. dist. 27.

Publicè blasphemans.

Qui blasphemiam in Deum, & beatam Virginem, & Sanctos publicè coniecerit, pœnitentiam agat 7. annis secundùm formam præscriptam in cap. finali. De maledictis.

Iurans non redire ad pacem,

Iurans non redire ad pacem cum proximo,

ximo, redeat, & per annum pœnitens sit. cap. Qui Sacramento. 22. quæst. 4.

Qui periurium sciens admiserit, 40. dies in pane & aqua, & 7. sequentes annos pœnitens sit, & numquam sit sine pœnitentia. cap. Quicumque. 6. quæst. 1. Peierans sponte.

ad 2. Qui coactus peierat, si liber sit, 40. dies, & 7. annos sequentes: si seruus, tres quadragesimas, & legitimas ferias Pœnitens sit, cap. Qui compulsus. 22. quæst. 5. Peierãs cõpulsus.

Qui compellit alium, vt falsum iuret, 40. dies in pane & aqua, & 7. annos pœnitere debet. cap. Si quis conuictus. 22. qu. 5. Compellẽs peierare.

Qui peierat in manu Episcopi vel in cruce consecrata, tribus annis: si verò in cruce non consecrata, anno: si ignoranter & coactus trib. quadragesimis: iuxta cap. Qui peierat. ead. quæst. Peierans in manu Episcopi.

Qui sciens in periurium alios induxerit, 40. dies pœniteat in pane & aqua, & 7. sequẽtes annos, & numquam sit sine pœnitentia, & alij qui conscij fuerint similiter pœniteant. cap. Si quis peierauerit. 22. quæst. 5. Inducens alios ad periurium.

Qui Dominum vel vxorem interfecerit, numquam equitet, aut vehatur; non contrahat matrimonium, decem annis carne nõ vescatur, vinum non bibat, cap. Quicumque. & cap. Admonere. 33. qu. 2. Dominum vel vxorem interficiẽs.

Matrem occidens decem annis Pœnitens sit. cap. Latorem. ead. quæst. Vbi forma agẽdi pœnitẽtiam præscribitur. Occidens Clericum vel Monachum, Deo ser- Occidens matrem.

uiat in monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ: & 7. annis publicam pœnitentiam agat. cap. Qui occiderit. 17. quæſt. 4.

Occidens Clericũ vel Monachũ.

Occidens presbyterũ 12. annis. c. 2. de pœniten. & & remiſſ.

Occidẽs presbyterum.

Homicida.

Epiſcopus homicida ſit pœnitens annis 15. & deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ peregrinetur: Preſbyter annis 12. Diaconus decem, tres in pane & aqua: Clericus & laicus ſeptem, tres in pane & aqua. cap. Si quis homicidium, diſt. 50.

Caſu committenti homicidium, pœnitentia quinque annorum imponitur. cap. Eos. cum duobus ſequentibus ead. diſtinct.

Sacerdos fornicarius.

Sacerdos qui fornicatur, pœnitentiam agat annis decem. cap. Preſbyter. diſt. 82. in quo etiam præſcribitur pœnitentiæ modus.

Monialis fornicans.

Monialis, quæ fornicatur, & qui eam cognoſcit, Pœnitens ſit 10. annis. cap. Deuotam. 27. quæſt. 1.

Incæſtuoſus.

Si pater & filius, aut duo fratres cum vna muliere, aut ſi cum matre & filia, aut cum duabus ſororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, octo annis pœniteat. 30. qu. 4. cap. Si patet. & 32. quæſt. 7. cap. Si quis viduam.

Fornicans cũ filia ſpirituali.

Si Sacerdos fornicatus eſt cum filia ſua ſpirituali, id eſt, quam baptizauit, aut de baptiſmo vel confirmatione ſuſcepit: aut cum illa quæ ei confeſſa fuit peccata ſua, pœnitens ſit 12. annis, & in monaſterio

ſeruiat

ad 6. seruiat Deo omnibus diebus vitæ suæ. Si Episcopus id admiserit, pœnitentiam agat annis 15. Mulier verò detrudatur in monasteriũ, vbi perpetuò viuat, cap. Si quis, & cap. Non debet. 30. quæst. 1.

Adultero, fornicatorive constitui pœnitentiam septem annorum habetur ex cap. Prædicandum. 22. quæst. 1. prout glosa declarat. Adulter & fornicator.

Qui fornicatus est cum muliere, & frater eius id nescius illam duxerit, pœniteat 7. annis: eo quòd crimen fratri celauerit. cap. Si homo. 35. quæst. 5. Occultans coitum cũ sponsa fratris.

Ecclesiastica consuetudine est vsurpatum, vt maiorum criminum pœnitentia, 7. annorum spatio concludatur: nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedẽs, præmissum spatium transcendere cogat: veluti dum contra naturam humanæ societatis parẽtibus vel liberis, vel aliis eiusmodi personis impudicè adhæremus: vel dum relicto naturali vsu contra naturam more Sodomitico fornicamur, vel vsque ad coitum animalium prolabimur. Ita habetur in cap. Hoc ipsum. 33. quæst. 2. Et in cap. Clerici. de excessibus prælatorum, eiusmodi notandi criminis reus, præcipitur deponi, si Clericus sit: & excommunicari, si laicus. Peccantes contra naturam.

Qui Ecclesiam incenderit, pœniteat 15. annis, ac eam sedulò restituat, & pretiũ det pauperibus. c. Si qui Ecclesiã. 17. qu. 4. Incendens Ecclesiam.

Qui

Incendens domum vel aream.

Qui domum, vel aream cuiuſdam incenderit voluntariè, ſublata & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat. cap. *Si quis domum. De iniuriis & damno dato.*

Patronus abſumẽs res Eccleſiæ.

Patronus qui res Eccleſiæ abſumit, ad reſtitutionem malè acceptorum compellitur, & per annum excommunicationi ſubiicitur. cap. Filiis. 16. quæſt. 7.

} ad 7.

Menſuras adulterans.

Menſuras adulterans, 30. diebus ieiunet in pane & aqua. cap. 2. de empt. & vẽditione.

Fur.

Clerico furi ſeptem annorum, laico 5. annorum pœnitentia imponitur, ſi res ſit notabilis; ſin vilis ſit, pœnitentia vnius anni. cap. *Si quis Clericus.* 17. quæſt. 4.

Iniuſtè accuſans.

Qui iniuſtè quempiã accuſat ad mortem, 40. diebus continuè in pane & aqua ieiunabit, & per 7. annos Pœnitentiam aget, non tamen in aqua & pane: ſed arbitrio Sacerdotis. *Si* verò ob eam occaſionem non vitam, ſed membrum quis perdiderit, accuſator ieiunabit quadrageſimis tribus in pane, & aqua. cap. Accuſaſti. de accuſationibus.

} ad 8.

Pertinentes ad Sacramentorum vſum.

Scienter rebaptizatus.

SCienter rebaptizatus, ſi per hæreſim id ſcelus admiſerit, afficiatur pœna 7. annis, feria 4. & 6. ieiunans. Si verò fecerit pro immunditia, ſine curatione aliqua corporis, tribus annis. cap. Qui bis. de cõſecrat.

Baptiſmi.

Baptis-mi.

secrat. distin. 4.

Si Episcopus, presbyter, aut Diaconus sponte sunt rebaptizati, quamdiu viuunt pœnitentes sint. Alij verò Clerici, & moniales pœnitentiam agant 10. annis. cap. Eos quos. eadem distin. Vbi pœnitentiæ modus præscribitur. — Ecclesiastici rebaptizati.

Sacerdos celebrans absque sumptione Sacramenti per annum pœnitentiam agat; & interea temporis non communicet. cap. Relatum. de consecrat. distin. 2. — Celebrans sine cõmunione.

Sacerdos qui pannis altaris mortuum inuoluit, pœnitens sit annis decem & mensibus 5. Diaconus autem 3. annis & mẽsibus sex. cap. Nemo. 2. De consecr. distin. 1. — Inuoluens mortuum pãnis altaris.

Sacrilegiis polluens chrisma, calicem, vel altare: pœnitens sit 7. annis. cap. De viro. 12. qu. 2. vbi præscribitur pœnitentiæ agendæ modus. — Polluens Chrisma, calicem.

Sacerdos excommunicatus si celebrat, annis tribus in pœnitentia sit, hebdomadibúsque singulis feria 2. 4. & 6. à carnibus & vino abstineat. cap. De illis. 11. quæst. 3. incurritque in irregularitatem reseruatam Papæ. cap. 1. De senten. excomm. in 6. — Excõmunicatus celebrans.

Sacerdos à sacerdotij gradu remotus in perpetuum, si celebrare præsumat, priuatur Eucharistia vsque ad vltimum vitæ diem; & est excommunicatus: viaticum tamen in fine sumens. cap. Accedens. distin. 50. — Degradatus celebrans.

Si

Sinens cadere guttã sanguinis Christi.

Si gutta sanguinis Christi in terram cadat, Sacerdos in pœnitentia sit 40. diebus: si super altare, & ad pannum vnum transeat, duobus diebus: si vsque ad pannos duos, diebus quatuor: si vsque ad tres, diebus nouẽ: si vsque ad quatuor, diebus 20. cap. Si per negligentiam. de consecrat. distin. 2. Vbi alia ad hoc genus pœnitentiæ pertinentia traduntur. } Eucharistiæ.

Euomens Eucharistiã

Qui per ebrietatem, aut voracitatem euomit Eucharistiam, si laicus est, 40. diebus: si Clericus, 60. si Episcopus, 90. dieb. pœniteat: sin per infirmitatem, diebus septem. cap. Si quis per ebrietatem. De consecr. distin. 2.

Cõmunionẽ dans hæretico, aut ab eo illam recipiẽs, aut ei Missam celebrare permittens, aut ad hæreticos deficiens.

Ignoranter communionem dans hæretico, vel ab eo accipiens, per annum sit pœnitens. Si scienter, annis quinque. Itẽ qui nescius permittit ipsum in Ecclesia celebrare, diebus 40. pœniteat: sin sciat, sed permittat pro eius reuerentia, anno vno: sin pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, proiiciatur ab Ecclesia tamquam hæreticus; aut si resipiscat, 10. annis pœniteat. Quòd si ad hæreticos defecerit, & postea ducatur pœnitẽtia, 12. annis pœniteat. cap. Si quis dederit. 24. quæst. 1.

Pœnitẽs ad vomitũ rediens.

Solemniter pœnitens si postea ad vomitum redierit, pœnitentiam agat decem annis. cap. Si quis verò. De pœniten. distin. 5. } Pœnitentiæ.

Reuelator Confessionis.

Confessarius, qui pœnitentis peccatum patefacit, in monasterium detrudatur

tur ad agendam p œnitẽtiam. cap. Omnis vtriusque sexus. de pœniten. & remiss.

Episcopus qui Clericum inuitum & reclamantem ordinat, subiicitur annuali pœnitentiæ. cap. 10. distin. 74. — Episcopus ordinãs inuitum.

Ordinis. Episcopus dissimulans corrigere venditiones ministeriorum, mensibus duobus: sacerdos vendens, mensibus 4. Diaconus excommunicationi subiaceat: cæteri clerici pro arbitrio superioris competenti pœna puniantur. cap. Quidquid. 1. quæst. 1. — Vendentes sacra ministeria.

Qui dicendis horis canonicis, & aliis officiis diuinis discrepat à consuetudine metropolitanæ Ecclesiæ suæ, priuatur communione 6. mensibus, cap. De his. distin. 12.

Qui alienam sponsam de præsenti accipit in vxorem, pœnitens sit 7. annis, & 40. diebus in pane & aqua. cap. 2. De spõsa duorum. — Ducẽs alienam sponsam.

Mulieri quæ partum supponit de alieno viro conceptum, pœnitentiæ & satisfactionis modus relinquitur præscribendus arbitrio prudentis Confessarij. in cap. Officij. de pœniten. & remiss. — Supponens partum.

Fornicatus cum muliere, quam frater id nescíens ducit in vxorẽ, eo quòd frater fratri crimen celauerit, 7. annis pœniteat. cap. Si homo. 35. quæst. 3. — Occultans fratri crimẽ sponsæ.

Parentes filiorum sponsalia dirimentes, atque iidem filij eadem de causa si de ipsorum consensu contracta fuerunt, cõmunione priuantur annis 3. in cap. Vnico. quæst. — Dirimentes sponsalia filiorum.

31.quæſt.3.

Matrimonij

Contrahẽs cum adultera.

Qui cõtraxerit cum ea, cum qua adulterium commiſit, pœnitẽs ſit annis quinque.cap. Si qua.31. quæſt.1.

Cognoſcẽs adulteram.

Vxorem quæ adulterata eſt cognoſcẽs ante peractam pœnitentiam, duobus annis pœnitens ſit.32.quæſt.1. cap.Si quis.1.

Sacerdos qui adeſt clãdeſtinis deſpõſationibus.

Sacerdos qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per triennium ab officij ſui adminiſtratione amouetur. Extra de clandeſtina deſponſatione,in fine.

Ducens filiã ſpiritualem

Qui filiam ſuã ſpiritualẽ,ſeu quã de ſacro fonte ſuſcepit, duxerit in vxorẽ, pœnitens ſit 7. annis. cap. Non oportet.30. quæſt.3.

Contrahẽs cõtra interdicta Eccleſiæ.

Qui matrimonium contrahit contra interdictum Eccleſiæ , per menſem,aut arbitrio Sacerdotis condignam agere pœnitentiam debet, ex cap. 1. De matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

Nota , quod habet Iacobus à Graphiis in fine lib. 1.Deciſ.aurearum,quando in propoſitis Canonibus ad tempus præſcriptum , non additur modus pœnitentiæ agendæ : hunc relinqui arbitrio Sacerdotis inſpecta Pœnitentis qualitate & diſpoſitione. Ieiunia autem trium quadrageſimarum eſſe illa quæ ante natale Domini ,& paſcha reſurrectionis, ac tredecim dierum ante feſtum S. Ioãnis Baptiſtæ olim celebrabantur. Legitimas autem ferias aliqui volunt dici 2. 4. & 6. alij verò 4. 6. & ſabbathum. ſed parui refert ad noſtrum inſtitutum.

Conſideran

Considerandа ex parte finis in arbitranda satisfactione.

SECTIO QVINTA.

EX parte denique finis satisfactionis (qui est salus animæ) in hac arbitranda, imponendáve, debet Confessarius ita salutem ipsam considerare, ut sua intentio in imponendo feratur in extirpationem vitiorum: ac proinde his contraria imponat, quantùm à pœnitente admittenda, implendáque esse iudicantur: vt eleemosynas contra auaritiam: ieiunium, contra luxuriam: auditionem verbi Dei, & lectionem librorum piorum, contra negligentiam cogitandi de sua salute: & orationes ad gratiam contra ipsa vitia à Deo impetrandam, vt septies Pater & Aue ad impetranda septem Spiritus Sancti dona, & septem virtutes, septem peccatis capitalibus contrarias: aut quinquies ad impetrandam reformationem quinque sensuum, aut ter ad reformationem trium principalium potentiarum animæ, hoc est, intellectus, voluntatis & memoriæ, aut etiam ad bene habendum se ad Deum, ad seipsum, & ad proximum: tum corde, tum ore, tum etiam opere; vel ad promerendum aduersus recidiuum auxilium speciale Dei (qui respicit orationem humilium) coram diuina ipsius maiestate, prosternendo se in genua, terrâ deosculatâ: si locus secretus sit dicere psalmum. *Miserere mei Deus.* vel alium huiusmodi cum animi auersione à peccato. Confert etiam, inquit consequenter Polancus, pro pœnitentia aliquando imponere cuitationem aliquarum occasionum peccati, & præcisionem

13. " quod habet Polancus in direct. cap. 2. art. 4.

Pœnitentiæ quo modo contra vitia debeant imponi.

causarum illius : vt allocutionem alicuius personæ, ingressum in domum illius,& similia.

14. Vtiliter etiam iniungeretur (si Pœnitens libenter admittat) aliquid ex latè patentibus remediis aduersus vitia , quale est octauo , vel decimo quinto quoque die confiteri : & vt habet Iacobus à Graphiis *x* certis diebus loco accommodato exercere se in meditationibus : puta in consideratione suorũ peccatorum, quibus gratiam Dei & regnum cœleste perdidit , ex filio Dei , effectus filius dæmonis : spoliatus omnibus mediis consequendæ salutis æternæ accommodatis,constitutus reus æternæ damnationis : atque adeo in infernum præcipitandus : vbi tormenta sunt sine fine , sine interruptione, sine temperamento : & tortores qui numquam lassantur : vbi timor conturbat reum , conscientia confundit & increpat:ac denique diluuium est omnium pœnarum , quas moriens in peccato mortali ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores ; eiectus horrendè sine vlla vmquam spe euadendi patiatur.

x in lib. 1. decis. aurear. cap.31.nu. 29.

Mortis consideratio peccata abiget.

Præterea in mortis consideratione , qua , sicut equi muscas agitatione caudæ , abigimus insidentes in anima tentationes , seu solicitationes ad peccatum : mortem enim , ad quam velis remisque incessanter tendimus , cogitantes de fortitudine , & aliis bonis corporis non superbiemus , quæ omnia videmus per aliquam infirmitatem (eiusdem mortis tantummodò prænuntiam) admittenda esse, nec item de generis nobilitate , ac aliis eiusmodi bonis : quia cernimus vnam esse omnium moriendi conditionem,sicut vna est nascendi;nec demum de diuitiis , quia scimus nec ob eas quemquam excipi à

cipià regula mortis, quæ *æquo pede pulsat pauperum tabernas regúmque turres.* Horat. Ode 4. lib. 1.

Præterea in consideratione tremendi iudicij, in quo de minimis quibusque actionibus, verbis, & cogitationibus nostris reddituri sumus rationem, & satisfacturi diuinæ iustitiæ vsque ad vltimum quadrantẽ, nec inuenturi locum pœnitentiæ, aut recuperaturi tempus, quod conceditur ad redimenda debita, pro quibus ad pœnas horrendas damnati erimus, misericordia Dei conuersa in iudicium. Iudicij tremendi consideratio multum iuuat.

Præterea in consideratione ingratitudinis nostræ erga Deum, qui tamdiu nos in peccatorum cœno hærentes sustinuit: cùm multi pro paucioribus, & minoribus peccatis, quàm nostra sint, iam crucientur in inferno: quique tot sanctis inspirationibus contemptis perseuerantes in peccato misericorditer conseruauit, vt tandem per pœnitentiam tam horrendas pœnas redimeremus ac euaderemus. Denique in consideratione passionis Christi, ex qua tamquam ex remedio ineffabilis excellentiæ, infinitíque valoris, intelligitur quantæ malignitatis morbus peccatum sit, ac quàm graue sit debitum; quod fuit tanto pretio soluendum. In quibus, vt & in aliis proponendis, semper habenda est prudenter ratio capacitatis, & dispositionis pœnitentis (vt idem à Graffiis habet) *y* illis qui vix debuntur minus ad ista idonei, imponendum potiùs est, vt aliquid pium legant, vel Dei verbum audiant. Qui etiam rectè addit iis, qui peccato assueti sunt, non per vnam, sed per plures hebdomadas talia exercitia esse iniungenda. In quibus omnibus interna vnctio docebit timoratum, & cum Deo Ingratitudo nostra quanta.

y in fine eiusdem capitis 31.

coniunctum Confessarium. Cui etiam debebit curæ esse pœnitentem ipsum animare ad iuncta constanter exequenda, resistendo fortiter diabolo tentanti: difficilem enim initio tantùm futuram pugnam, quia vires pugnando crescunt,& hostes debilitantur, iuxta illud D. Iacobi cap. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Caueat igitur in re tanti momenti negligenter agere, & primas partes aduersario concedere. In Christi auxilio humiliter confidat cum Apostolo, dicente ad Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

CAPVT XIX.

De remediorum & pœnitentiarum varietate, accommodata varietati peccatorum Capitalium.

SVMMARIVM.

1. *Aduersus luxuriam puncta consideranda.* 2. *Cautelæ adhibendæ.* 3. *Pœnitentiæ imponendæ.* 4. *Remedia aduersus gulam.* 5. *Aduersus eamdem imponenda in pœnitentiam.* 6. *Pœnitenti à Confessario inculcanda aduersus acediam.* 7. *Pœnitentiæ peculiares ea laborantibus imponendæ.* 8. *Aduersus auaritiam remedia.* 9. *Pœnitentiæ auaris imponendæ.* 10. *Remedia aduersus superbiam.* 11. *Pœnitentiæ eâ laborantibus imponendæ.* 12. *Remedia aduersus inuidiam.* 13. *Pœnitentiæ aptæ aduersus eamdem.* 14. *Remedia aduersus iracundiam.* 15. *Ratio ferendi patienter alterius iram.* 16. *Pœnitentiæ iracun-*

tiæ iracundis imponendæ. 17. *Imponendæ blasphemantibus seu maledicentibus Deo, aut ipsius Sanctis, quod plerûmque fit ex ira.* 18. *Admonitio pro vsu antedictorum.*

QVIA praxis nobis proposita exigit vt quantum fieri potest, ad particularia descendamus, subiiciemus antedictis, quæ aduersus peccata capitalia tamquam noxias rádices, ex quibus cætera pullulant, possint peculiaria remedia adhiberi, & in pœnitentiam aptè imponi. Ad particularia descēdere cóuenit pro peccatorū remediis.

Contenti autem erimus iis quæ à Gasparo Loarte tradita sunt in instructione Confessariorum, tamquam profectis à viro pio, & docto, qui cum primitiis Spiritus nostræ Societatis coniunctam habuerit experimentalem scientiam. Ad quæ alia quidem addi possent, quæ breuitatis studio relinquenda videntur diligentiæ Confessarij: præsertim cùm iam extet opus à R. P. Ioanne Busæo editum, quod inscripsit πανδάριον, vnde talia ei abundè suppetant per auctoritates tam sacræ scripturæ, quàm sanctorum patrum, accommodatáque exempla.

Aduersus luxuriam particularia remedia, & pœnitentiæ accommodatæ.

Cap. 21.

PRimùm dicemus de luxuria, tertio, & abominando crimine, passim hominibus adeo familiari, vt dici meritò nunc possit quod de tempore diluuij dictum est Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Quod crimen grauissimum est, perniciosissimumque omnium: cùm non tantùm animā Luxuriæ crimē abominandum, & pernicioſissimum.

inficiat, sed ipsum quoque corpus corrumpat, ideoque bonos & zelo diuini honoris feruentes Confessarios decet, diligẽtem nauare operam ad communem eam pestem curandam: atque pluribus aduersus eam instructos esse remediis, qualia memoratus auctor adfert, tum puncta consideranda, tum cautelas adhibendas à pœnitente.

Quot & quanta mala ex luxuria promanent.

1. Quorum punctorum primum est: quantum malum pro momentanea voluptate luxuria inuehat, & in animam & in corpus: illam enim præ cæteris peccatis mortalibus de spiritali statu dimouet: obtenebrans intellectum, & voluntatem deprauans per vehementiam passionis: ita vt subacta mancipatáque corpori, reuocetur à perfecta voluntate quærendi Deum (quo nomine censetur suffocare semen verbi Dei, ex cap. 8. D. Lucæ ver. 14.) inepta-que fiat ad spiritalia, ac tantùm sapiat quæ carnis sunt, homine quasi in bestiam degenerante. Corpori verò, præter illud de quo 1. Corinth. cap. 6. *Qui fornicatur in corpus suum peccat:* adfert vitæ diminutionem, virium debilitationem, formæ deturpationem, bonorum temporalium dissipationem, aliáque multa incommoda, quæ patent experientiâ. Quibus accedit (iuxta illud in eodem cap. 6.) *neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnũ Dei possidebunt*) reatus gehennæ, omni aliâ pœnâ grauior; cuius timorem tamquam præcipuum Dominus nobis commẽdat Matth. 10. ver. 28. Reputet ergo quisque momentaneum esse, quod delectat, & æternũ quod cruciat.

Mala quæ corpori ob illã proueniunt.

Momentaneum est quod delectat, æternũ quod cruciat.

Secundum est; vt occurrente carnis tentatione, habeatur in memoria præsentia Dei, & sancti Angeli custodis: quos tantæ turpitudinis facinus latere non

non possit: de quo erubescere instinctu ipso naturæ contingit, coram quocumque viro honesto, etiam ab iis qui perditis sunt moribus. Recordetur tamquam Christianus, quòd sit *templum Spiritus-sancti, quod qui violauerit, disperdet illum Deus*, ex priori ad Corinth.cap.3. Quæ violatio insinuatur verbis eiusdem Apostoli 1.ad Thessal.cap.4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione.* Item voluptatis amans cogitet longè amabiliorem esse illam de qua in Psalm.35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Tertium, quantumcumque fame pressus recusas vti cibo, cui scis admixtum esse venenum (iuxta illud Iob cap.6. *Non potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem*) cur non respues delectationem carnis, adferentem animæ æternum interitum?

Libido insatiabilis.

Quartum est, naturam huius detestandi vitij esse quoque, vt quò diutius in eo quis perseuerarit, eò magis cruciet desiderio insatiabili: vtpote æstum libidinis non restinguens, sed magis ac magis inflãmans: tamquam ignis, qui tãtò magis inflammatur, & ardet, quanto plus fomenti acquirit: vnde ipsum statim tamquam à facie colubri fugiendum est, & excutiendum à se, tamquam ignis illapsus in sinum.

2.

Occasiones peccati sedulò vitandæ.

Prima cautela pœnitenti præscribẽda, est vt studiosissimè euitet occasiones carnalium tentationũ, quas priùs habuit: vt otium, quia *multam malitiam docuit otiositas*, Ecclesiast.33. aspectus, ac tactus illicitos, quia *mors ascendit per fenestras nostras.* Ierem.9. Itemque conuersationem seu cõsuetudinem cum personis suspectis: eã præsertim, quæ est solius cum

sola: aut etiam aliàs quãdo fuerit cum turpiloquiũ: *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* 1. Corinth. 15. Ac demum nimiam curam carnis (cui indulgere est hostem domesticum perniciosè armare) aliaque pericula, & causas talis turpitudinis: cuius tentationem fugiendo potiùs, quàm resistendo superari D. Thom. *a* annotat per illud 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem.*

a 2. 2. q. 35. art. 1. ad 4.

Tentationum initiis resistendũ.

Secunda cautela est vt tentationum initiis resistatur. Si enim aditus illis patefiat oblectando se in eis, ita prævalebunt vt nequeant sine magna difficultate postea expelli. Magna cura igitur adhibenda est, ac vigilandum, vt exorientes, concepto Dei timore (cuius iram tali peccato peculiariter accendi patet ex cap. 6. Genes. vbi refertur quòd *tactus dolore cordis intrinsecus, & pœnitens, quòd hominem fecisset in terra, dixerit, delebo hominem quem creauit facie terræ.*) statim repellatur *b*: quod est iuxta Apostolum *spiritu facta carnis mortificare*: & secundùm Psalmistam *c*, *paruulos suos tenere, & allidere ad petram.*

b ad Rom. 8. ac ver. 13.

c Psal. 136. ver 9.

Tertia cautela est, vt si quis per incuriam permiserit tentationem in carne sua radices agere, confugiat ad Dominum, intimo cordis affectu, petens ab ipso auxilium; seque beatissimæ Virgini, & Angelo suo custodi, aliisque Sanctis commendans, memor quòd *aliter non possit esse continens, nisi Deus det.* Sapien. 8. Atque interea carnem ipsam dolore aliquo afficiens, per quem conceptus ardor extinguatur: simúlque mente recolens acerbissimas gehennæ flammas, quibus obnoxius efficitur præbendo consensum carnali oblectationi, ac simul ponderans quid de seipso dicat S. Apostolus in priori ad Corinth.

rinth.cap.9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Denique commendatum habere, frequentem cum debita præparatione vsum Eucharistiæ, vt eius quæ iuxta Zachariam in cap.9. *Frumentum est electorum, & vinum germinans virgines.*

Pœnitentiæ in eiusmodi peccatum prolapsis iniungendæ, sunt potissimùm, quæ carni castigandæ deseruiunt: vt ieiunare, superflua in cibo, & potu resecare per abstinentiam & sobrietatem, verberatione, aut ciliciis, humi cubatione, aut durioris strati vsu carnem domare, vigilare, summoque manè surgere, templa obire cum deuotione, hospitalibus inseruire, ægrotis ministrare, fœtorémque sordidorum locorum perpeti, & id genus alia, quibus subigitur caro, refrenatur, & spiritui subiicitur. Diuitibus autem, & aliis infirmioribus, qui harum macerationum carnis non videbuntur capaces, eleemosynæ sunt commendandæ, quibus pauperes foueant, puellis indotatis subueniant ad matrimonium ineundum, orphanos nutriant, in studiis alant, aliaque similia opera faciant pro conditione, & facultate cuiusque. Misericordes enim misericordiam consequuntur à Domino: cui non minus facile est lepram eam internam mũdare, quàm fuit externam, cùm ei dictum est, *Domine si vis, potes me mundare*, Matth.8.

3. Pœnitentiæ in eiusmodi peccatũ prolapsis iniungẽdæ.

Aduersus gulam.

PRo remediis aduersus hoc peccatum inculcari possunt pœnitenti sequentia.

Primum est talis peccati pernicies: de qua in sa-

4. cap.22. Gulæ damna ex Scripturis.

cris literis habentur exempla. Gula enim matris Euæ fuit perditio humani generis. Genes. 3. Loth, vir alioqui iustus, per ebrietatem eò delapsus est, vt cum propriis filiabus commisceretur, Genes. 19. Ob gulam Esau iure suæ primogenituræ excidit, Genes. 25. Holofernes vino obrutus à Iudith truncatus est capite. Iudith 13. Herodes denique in suo natali inter epulas caput D. Ioan. Baptistæ præcepit amputari, Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3. Eamdem perniciem ostendunt etiam tum temporalium bonorum iactura, tum varij corporis morbi: quos, atque adeo mortem, ex eo peccato prouenire medici testantur, quod experientia satis docet. Adde gulam ipsam aditum in animam aperire vitiis omnibus, & intercludere virtutibus, vt ipsa etiam experientia docet. Vnde Dominus, Lucæ 21. præcipit, *vt attendamus nobis, ne fortè grauentur corda nostra in crapula & ebrietate.*

Secundum est breuitas voluptatis, quæ ex hoc peccato percipitur; nec enim diutius durat quàm quamdiu editur, & bibitur, cibúsque aut potus ab ore in fauces delabitur, nullo perseuerante vestigio perceptæ voluptatis: imò si modus excedatur, continuò præsto est molestia, stomachus se ciborum onere prægrauatum, fastidióque affectum sentit, cruditas, & alia incommoda sequuntur.

Tertium est multiplex fructus, quem profert contraria abstinentia, ex qua quæ ad corpus prouenit sanitas, vita longa, alacritas, dexteritásque ad quodvis opus, compendium sumptuum, cura, labor, molestiáque minor. Quoad animam verò aptitudo ad orandum, contemplandum, studiis vacandum, ad vitanda peccata, & sectandas virtutes, &c.

Quæ

Quartum est euitatio occasionum huius vitij: nempe(iuxta illud, Prouerb.23. *Noli esse in conuiuijs potatorum : nec in comessationibus eorum , qui carnes ad vescendum conferunt*,nõ versari cum epulonibus, & temulentis , fugere conuiuia in quibus est difficile modum seruare:vt in iis , in quibus superuacanei sumptus fiunt in cibo & potu : de quibus consultum est,ne cogitare quidem.

Quintum memoria fellis,& aceti , quo Christus in passione potatus est;& temperantiæ qua ipse, & ipsius discipuli vsi sunt; ac sancti illi patres , qui vitiosum putabant cibo cocto vesci, vt non rarò D. Hieronymus in suis epistolis meminit. Adde & pauperes , qui in toto terrarum orbe plurimi cum fame & siti conflictantur.

Sextum est expectatio cœnæ cœlestis. Decet enim,ex huius mundi quasi ientaculo, sobrios nos esse, vt in illam cœnam admissi mereamur satiari ab *vbertate domus Dei , & torrente voluptatis illius inebriari*,iuxta dictum Dauidis in Psalm.35.Quibus adde statum abominabilem eorum quos Apostolus ad Philip. 3. flens dicit , *inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.*

Pro pœnitentiis particularibus aduersus idem 5.
peccatum imponi hæc possunt. Aliquo die ieiunare, aut abstinere aliquamdiu , sibi temperare à rebus quarum vsus expetitur magis causa voluptatis, quàm necessitatis,vt ab aromatibus , condimentis, fructibus, & à cæteris quæ irritant gulam : potissimùm autem ab iis , quibus maximè quis delectatur:iniungi etiam posset admixtio alicuius rei amaræ,in memoriam amaritudinis , quam Christus in cruce sitiens sensit:quoniam tale quid à sanctis factita

ctitatum inuenitur: vtà S. Franciſco, cùm cibum ſuum aſpergeret cinere, Dauidis imitatione dicentis in Pſalm. 101. *Cinerem tamquam panem manducabam.*

Excedentibus in potu poteſt iniungi, vt ad tempus ab vſu vini abſtineant, aut illud aqua probè dilutum, & parciùs bibant, neque hoc extra menſam. Item quoties bibituri ſunt, præſentiæ Dei meminerint: & aliquid orationis occultè, ac nemine aduertente fundant. Poteſt etiam iniungi pœnitenti, vt quoties in tale peccatum lapſus fuerit, aliquam pœnitentiam ſibi imponat, quam exequatur ſequenti die; vt parciùs ac tardiùs cibum ſumere, quàm vellet: aut cibis vti vilioribus, vel malè paratis, aut aliud pœnitentiæ opus facere.

Aduerſus acediam ſeu pigritiam.

6. cap. 13. Pigritia nõ leue peccatum eſt.

ACedia peccatum eſt non leue, dilectioni Dei, & pietati, ac promptitudini, quam cultui ipſius debemus, contrarium, tãquam tædium quoddam, & tarditas in rebus ſpiritalibus: ac ignauia quædam ad bonum inchoandum, & inchoatum perficiendum. Ei, quem Confeſſarius ſenſerit hoc morbo laborare, remedia hæc adhibebit. Primò proponet meditandum, quàm breue ſit huius vitæ tempus, conceſſum ad opera meritoria præſtanda: ex quo tamen pendeat, quidquid per omnem futuræ vitæ æternitatem ſibi euenturum eſt; & de quo coram Chriſto Iudice, eſt redditurus ſtrictiſſimam rationem. Secundò in memoriam ei reducet, quantos labores, quot diſcrimina adeant homines, dum diuitias & honores ſectantur; quanta

sollicitudine aulici principibus placere, & eis seruire studeant: bonum autem nullum esse maius æterna salute: nihilque dignius esse, ac nobilius diuina maiestate; ita vt maximè quémque pudere debeat, negligentem esse in diuino obsequio. Tertiò inculcet labores assiduos, molestias, orationes, aliáque pia exercitia, tum Christi, & Sanctorum: tum etiam multorum adhuc in sancta conuersatione viuentium; vt quod hi facere consueuerunt, ille quoque gnauiter faciat: cùm eamdem, quam ipsi, expectet mercedem. Quartò incitet ad reputandum secum, quòd præsens dies ei supremus fortè sit: quandoquidem incertus est de crastino, dicente Domino, Matth. 25. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Dicat ergo apud se, incertus de crastino: cur hunc saltem diem, mihi fortè vltimum, diuino obsequio non impendam, vt debeo? percepturus ex breui hoc labore æterna gaudij præmia; nonne in medio incendio, aut in procelloso mari constitutus, omnem diligentiam adhiberem, ad quamprimùm inde me eripiendum? Quidni multo magis conuenit me nunc vigilantem ac sedulum esse, qui versor inter tot pericula æterni incendij, & submersionis in profundum infernalis abyssi? Quintò admoneat acediæ profligandæ laborem, apparere præcipuè in initio. Si quis enim æternæ salutis motus desiderio, vim aliquam sibi faciat, difficultatem subinde magis ac magis consuetudine minui; ac tædium, quod initio sentit, paulatim euanescere experietur. Ad quod tædium leuandum (si contingat ipsum perseuerare) consulendum est, vt mutet exercitia: nempe si in meditationibus aridum se, ac frigidum comperiat, transeat

Maximè quemque pudere debet negligentē esse in cultu Dei.

Varianda sunt exercitia acediosо.

eat ad vocales orationes faciendas : sique nec inde gustum percipiat, occupet se in aliqua lectione, vel in aliquo studio pio. Si denique nec tunc afficiatur, aggrediatur aliquod corporis exercitium, opúsve misericordię corporale: sic vt numquam desidiæ se dedat, otióve torpere se sinat.

Pœnitętię huic peccato propriæ.

7. Pœnitentiæ peculiares eidem peccato accommodatæ hæ assignantur. Prima est, vt aliquo hebdomadis, aut mensis die, dum præsertim ab illo ignauo spiritu se oppugnari animaduertit, virum aliquem religiosum inuisat, cuius in Deo colendo zelum, flagransque studium perspectum habet, cum quo communicet, ac conuersetur; quia talis conuersatio cum hominibus, zelo pietatis flagrantibus, solet in aliorum animis similem zelum accendere, & in nimium remissis mutationem aliquam adferre. Vitet autem carnalium hominum, mundanis deliciis deditorum consortium : quod istiusmodi tentationi magnam præbere solet occasionem. Secunda est, vt cùm cibus, potus, ac somnus immoderatus inutiliáque colloquia peccatum istiusmodi soleant magnopere promouere, ad obuiandum tali malo, imponatur certum ieiunium, aut vigilia, aut silentium. Tertia est exercitium aliquod manuum domi aut foris peragendum, quod Pœnitenti ipsi congruat, & frugiferum sit, pro ipsius statu, & conditione. Quarta sub noctem exquirere, an elapso die fortassis otio indulserit, & conscius sibi talis defectus pro vnaquaque hora otiosè ac inutiliter transacta, minimùm dicat semel, defixo in terra vultu orationem Dominicam cum salutatione Angelica. Quinta vt quoties audit horæ pulsum, apud se dicat, esto memor rationis,

nis, quam Domino redditurus es de hac hora. Hoc enim erit illi incitamentum ad horam sequentem vtiliter transigendam.

Aduersus auaritiam.

QVæ hactenus dicta sunt pertinent ad bellum gerendum contra carnem, hostem nostrum domesticum: quæ iam sequuntur, pertinent ad gerendum cum externo hoste, qui est mundus; suos asseclas plerumque præcipitans in barathrum auaritiæ, quæ peccatum est commune tam diuitibus, qui opes suas immoderatè amant, & retinent: quàm pauperibus qui nimia cupiditate, inordinatóque modo incumbunt diuitiis acquirendis. cap. 24. Peccatum auaritiæ commune est pauperibus & diuitibus.

Remedia vtrisque inculcanda sunt. Primò quòd ex Christi Domini doctrina, Matth. 5. & 19. amor studiumque paupertatis, sit ad beatitudinem, & perfectionem via: illic enim dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* & hic, *si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Amor diuitiarum verò radix sit omniũ malorum*, vt dicitur in priori ad Timoth. 6. vbi & additur. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.* Spinæ sint diuitiæ, iuxta Domini doctrinam, Lucæ 8. vers. 14. quæ acquiruntur, conseruantur, & amittuntur cum magnis molestiis: sicut & spina in pedem intrat, & manet in eo, ab eóque extrahitur cum dolore, & molestia. 8.

Secundò quòd in Christi famulatu magnifiant, honoratique sint, non qui diuitiis inhiant, sed potiùs qui illas spernunt, eiusdem Christi exemplo, qui

qui in ipso ingressu in mundum paupertatem elegit, nascens in stabulo; eamque per totam vitam seruauit, non habens vbi caput suum reclinaret: (vt de se ipse fatetur. Matth. 8. & Lucæ 9.) ac tandem in morte ita coluit, vt nudus omnique humano solatio destitutus vitam finierit. Quod quidem exemplum beatissima virgo, Apostoli, reliquique sancti studiosè secuti sunt; & meritò cùm auaritia sit *quædam simulachrorum seruitus*, ad Colos. 3. vers. 5. ac *facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*, Matth. cap. 19. Nihilque *prosit homini si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur*, ex præced. cap. 16. ver. 16.

Tertiò quòd huic transitoriæ, breuique vitę pauca necessaria sint, & sufficiant; nempe victus & vestitus, quibus nos contentos esse iubet Apostolus: d Ita vt nihil opus sit tanta contentione, & molestia, quanta se fatigant diuitiarum amatores, præsertim cum Christus, Matth. 6. promiserit *talia esse adijcienda ijs qui primùm quæsierunt regnum Dei, & iustitiam eius.* Itaque hortante Apostolo ad Hebr. 13. *mores sint sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit, non te deseram, neque derelinquam, &c.*

d. loco cit.

e Psal. 61. Quartò, non immeritò Psalmistam e monere. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Nam non modò voluntatis desiderium non satiant, sed acuunt potiùs: sicut aqua salsa epota, sitim non extinguit, sed accendit, eóque magis, quo magis fuerit potata. Et ita, vnde solatium, & quies quæritur, inde molestia, inquietudóque augentur, prout patet experientia. Quod qui in se agnoscunt, erubescant, conquerente Deo apud Ierem. capit. 2. *Duo mala fe-*

Diuitiæ nõ satiant desiderium, sed acuunt.

cit

cit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Quintò experientia quoque constare id, quod ait Apostolus in priori ad Timoth. cap. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possimus:* nec quemquam esse, quin dicere possit cum Iob *f*, *nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Cum vno funerali linteo mandaberis terræ, sicut vides cæteris contingere. Cur ergo tanta auiditate diuitiis congregandis, & conseruandis incumbis, quas te oportet aliis relinquere, qui eas pro arbitratu consument, parum de te curaturi; ac fortè etiam tuam hanc irrisuri sollicitudinem: quæ te fecerit obliuiscì bonorum cœlestium, quorum comparatione nihil sunt totius mundi opes: ita vt meritò dictum sit, Ecclesiastici 10. *Nihil iniquius esse, quàm amare pecuniam.* Consideret igitur hortante D. Gregorio, *g* quæ & quanta nobis promissa sint in cœlis, & vilescent animo omnia quæ habentur in terris.

f Iob. cap. 1.

g in homilia 37. in Euangelia.

In pœnitentiam hoc crimine infectis imponendam tradit idem auctor: opulentis quidem, ac diuitibus, vt eleemosynas erogent, quod continuato tempore fieri, etiamsi parum detur, quàm simul largiri multùm nonnunquam magis expediet hoc nomine, quòd ex assidua consuetudine dandi sæpiùs eleemosynam paulatim nascatur habitus liberalitatis, quæ est auaritiæ destructiua.

9. Præstat dare eleemosynã paulatim, quàm multum simul.

Addi quoque posset, vt hospitalia, aliosque inopes visitent. Id enim ad hoc eis proderit, vt videntes illorum miseriam, & inopiam, aliquid de duritia sua remittant, & ad misericordiam flectantur.

Pauperibus verò auaris, qui ardenti desiderio comparandi diuitias, quas non habent, iniungi potest, ne cum diuitibus, præsertim auaritiæ deditis, conuersentur; & caueant sibi ab inspectione pecuniarum, opúmque alienarum, ne inde inflammentur illarum cupiditate. Interdum quoque domos pauperiorum, quàm ipsi sint ingrediantur, necessitates illorum, & penuriam considerent, atque si possint eis opitulentur. Item vt aliquam in die, vel hebdomadą horam insumant meditandæ paupertati Christi inopis, ac nudi in cruce pendentis, in exemplum nostrum, iuxta illud, 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius.*

Aduersus superbiam.

cap. 25. Superbia omnis peccati initiũ est. 10.

QVæ sequuntur pertinent ad pugnam aduersus diabolum, tertium nostrum hostem, nos prouocantem præcipuè ad superbiam, odibilem coram Deo, & hominibus: *omnis peccati initium*, vt dicitur Ecclesiastici 10. Aduersus eam autem cùm sit appetitus inordinatus excellentiæ, & præeminentiæ: remedia sunt, quæ vilem hominis conditionem, miserúmque statum ostendunt: nempe corporis quædam interna fœditas, quam manifestant excrementa ex eo prouenientia; incommoda famis & sitis, æstus, & frigoris; multiplicium morborum, & ærumnarum, ac tandem mortis, & corrosionis à vermibus. Animæ verò ignorantia, & errores, vitia innumera, prauæ affectiones, timor, sollicitudo, mœror, anxietas, & plurimorum peccatorum reatus: quibus miser est & miserabilis, æternæ

Quæ superbiam destruunt.

obno

obnoxius morti, de qua in Psalm.33. *Mors peccatorum pessima*: & ad instar diaboli facta nihili, iuxta illud in sequent. Psalm.72. *Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Deinde quamuis careret homo omnibus prædictis incommodis, abundè miser, & miserabilis efficeretur, per ipsum superbiæ peccatum: cui Deus specialiter aduersatur, fauens maximè contrariæ humilitati, iuxta illud, Iacobi 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sic Luciferi, & sequacium superbiam puniuit gehennæ supplicio æterno, ex Isaiæ 14. cap. superbiam primorum nostrorum parentum expulsione à paradiso terrestri, & corporali morte, aliisque innumeris calamitatibus, ex cap.3. Genes. ad quæ adiungi possunt exempla punitionis, qua seuerè puniuit in hac etiam vita superbiam tum Saulis, 1.Reg. 15. tum Roboami, 3.Reg.12. tum Nabuchodonosoris, Dan. 4. Aman. Esther. 7. tum Antiochi lib. 1. Machab. cap.6. & lib.2.cap.9. tum etiam multorum aliorũ, humilitatem verò beatissimæ Virginis Mariæ, vt excellentissimam, tanto beneficio cumulauit, vt ipsa Dei mater, & dici, & esse mereretur; sic exaltantur humiles, vt ipsa profitetur in suo cantico, & apertè Dominus pronunciauit, Luc.14. & 18.

Exẽpla superborum, qui à Deo grauiter sunt puniti.

Remedium quoque aduersus eamdem superbiam, est instabilitas, & incõstantia eorum, de quibus homo gloriatur; vt sanitas, pulchritudo, fauor, diuitiæ, nobilitas, & similia, quæ fluxa esse, faciléque euanescere constat. Quæ verò iudicantur esse bona hominis solida, vt virtutes, & bona opera, ille sibi tribuere non debet, sed ea Deo accepta referre, nec potest de eis gloriari (iuxta illud in priori ad Corinth.cap.4. *Quid habes, quod non ac-*

Inconstãtia eorũ, quæ in hac vita habentur.

cepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis) præsertim cùm ipsa de se sint adeo imperfecta, vt ex Isa. cap. 64. censeantur *quasi pannus menstruatæ.* Itaque hortante Apostolo in 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Vana gloria vitanda est omni studio, tamquam bona opera euacuans laude, apud homines, & mercede apud Deum: quorum illud constat experientia, & hoc ex Domini doctrina, Matth. 6.

Vana gloria vitanda est.

Remedium denique præter cætera efficacissimum, est animo reuoluere exempla, quæ Christus Sanctus sanctorum, rexque regum dedit humilitatis in sua Natiuitate, & in toto vitæ suæ cursu, factus subditus beatissimæ Virgini, ac S. Ioseph. ex D. Luc. cap. 2. sub finem; nec dedignans etiam lauare discipulorum suorum pedes ex D. Ioan. cap. 13. aliáque passim agens quibus doceret, quæ discipulos à se discere velint cùm dixit, Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, & quod est singulare humanæ superbiæ antidotum, *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. h*

h ad Phil. p. 2. 11.

Pœnitentiæ laborantibus superbia imponendæ assignantur hæ. Quandoque in actibus humilitatis exercere se: simplicioribus, & vilibus hominibus se adiungere: inferiorem locum in mensa eligere: hospitalia visitare; pauperibus, & ægrotis ministrare, cibum porrigere, lectos sternere, vilia, & contemptibilia ministeria obire. Iis autem quibus talia publicè facere displiceret, iniungi posset, vt ea in ædibus saltem priuatis exequantur. Item quando

Pœnitētiæ laborātibus superbia imponēdæ.

soli

soli fuerint, humi se prosternãt, semetipsos conuitiis,& probris onerent,humilitatis ergo: quod à D. Francisco factitatum habetur in ipsius vita.

Præterea Rosarium recitent flexis genibus,& ad vnamquamque orationem Dominicam ac salutationis Angelicæ decadem,osculentur terram.

Superbientibus autem aduersus parentes,aut superiores; omnino tamquam medicinalis pœnitentia,iniungenda est submissio, & obedientia per illud ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri,vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.hoc enim non expedit vobis.*

Aduersus inuidiam.

SVperbiæ comes est inuidia, vt patet tum in diabolo superbo,cuius *inuidia peccatum introiuit in orbem terrarum.* Sapien. 2. tum etiam in hominibus,quos ille pertractos ad superbiam, inflammat inuidiâ mœroréve ex aliorum profectu. Superbiæ comes est inuidia.

Aduersus quod peccatum remedium esse potest. Primò ostendere illius grauitatem, quæ patet ex eo quòd sit peccatum directè contrarium charitati, virtutum omnium præstantissimæ, & sine qua nihil sumus, nihílque nobis ad æternam salutem prodest. 2 Secundò inculcare illius perniciem, nam est instar vermis intra lignum nati, qui ipsum vnde natus est reddendo consumit (vnde Prouerb.14. dicitur. *Putredo ossium inuidia*) simúlque addere ex aliis peccatis quidem capi aliquid voluptatis : sed inuidiam corpus pariter, & animam cruciare, ex temporalibúsque pœnis ad sempiter- 12. 1 ex priori ad Corinth. cap.13. Inuidia corpus & animam cruciat.

nas abripere: adeo vt illi succumbens priuet se gaudio, tum præsentis, tum futuræ vitæ ; & id sine vllo necessitatis, vel vtilitatis motiuo. Tertiò exponere Pœnitenti, quòd inuidus similis sit furioso laceranti se propriis dentibus: simúlque conari ipsum per remedia antè tradita reuocare à superbia, quæ inuidiam ipsam procreat, dum superbus ægrè fert alios, aut superiores, aut æquales sibi esse. Conari item ipsum ab amore terrenarum rerum, (vtrumque illud vitium generante, ac fouente,) adducere ad amorem cœlestium, quæ vera sunt, perpetúaque bona, omnibus bene viuentibus proposita: ad quorum fruitionem, quò plures admittuntur, eò singuli vberiore cumulantur lætitia, adeo vt inuidiæ nullus sit locus. Quartò inculcare magnæ cæcitatis esse, amatorem propriæ excellentiæ tangi inuidia: per quam se alio inferiorem, aut certè non superiorem profiteatur: per quam etiam conficiat se mœrore, de eo, ex quo feruens charitate, posset lætitiæ fructum suauissimum capere.

Inuidēs aduersatur naturæ legi.

Postremò inducere ad pōderandum, ac expendendum secum, quòd inuidens aduersetur naturæ legi, dictanti non esse faciendum alteri, quod nolumus factum nobis. Quia igitur nollet inuidus alios de bono suo tristari, nec ipse debet de alieno. Itémque ad considerandum quàm multa sint, quæ inuitant nos ad congaudendum aliis de bonis ipsorum; nempe omnium nostrum *vna est fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium*, ad Ephes. 4. Vna omnium mater Ecclesia: omnes ex Adamo, & Eua originem trahimus, & ad vnum finem tendimus, eamdémque beatitudinem expectamus. Quæ quidem omnia sunt motiua conciliatiua charitatis,

&

& eliminatiua inuidiæ ab anima.

Pœnitentiæ, quæ infectis hac labe imponi poſſunt, duæ proponuntur potiſſimùm. Prior, vt recitent Roſarium pro iis, quibus inuident, quóſve odio habent; & dent operam, vt de eis bene coram aliis loquantur, ac vbicumque ipſos deprehenderint accuſatos, & malitiosè traductos, quàm fideliſſimè poſſunt, excuſent: eos quandoque inuiſant, cum eis colloquantur, cæteraque officij genera exhibeant. 13. Pœnitentiæ pro inuidis.

Poſterior verò, vt Chriſtum aliquoties animo intueantur ligno crucis affixum, pro ſuis crucifixoribus orantem, ac ſanguinem ſuum effundentem: ſimúlque cogitent eum, in quem odium, vel inuidiam exercent, eſſe de numero eorum, quos Chriſtus ipſe ſanguine ſuo aſperſit, & à peccatis expiauit. Quæ licet inuito fortè animo fient ab ipſis initio, vſu tamen ipſo, & difficultas tolletur, & fructus cum voluptate percipietur.

Si ex inuidia ſecuta ſit detractio: monendus eſt Pœnitens de obligatione ad reſtitutionem famæ læſæ: & inculcandum ei Tobiæ monitum. *k Quod oderis ab alio tibi fieri, vide ne aliquando alteri facias.* Item quàm indignum ſit os habere tamquam ſepulchrum patens, ex quo fœtores emittantur ad corrumpendum bonum proximi odorem; non modò nulla tua vtilitate, imò cum damno maximo: cùm detrahendo, non minus lædatur propria quàm aliena fama. Nec enim eſt qui bene ſentiat de detractore. k Tobiæ 4. Nullus eſt, qui bene ſentiat de detractore.

AD peccatum iræ diabolus quoque per superbiam excitat hominem : quòd specialiter aduersatur mansuetudini, quam vt ab ipso discamus
14. præcipit Christus, Matth.11. Familiare autem est
Quomodo sit vincenda ira. principibus,ac magnatibus. Quibus in remedium proponi poterit. Primò quàm sit à ratione alienum exardescere irâ in alterum similis naturæ : cùm ne quidem bestiis ferocibus tale quid vsuueniat, etiâsi à natura sufficienter armatis ad nocendum,quod non est homini concessum. Secundò ex tali immoderata ira , sibimet multa mala inferre. turpes enim vultu, & gestibus, contemptibilésque effici, balbutire lingua, ac in sermone hærere perplexos: iudicio in omni re destitui, non posse refrenare, ac cohibere seipsum : & cæteris fastidio, offendiculóque esse.

Tertiò propria delicta contra Deum commissa,exigere , vt ipsi longè maiora ferant , quàm ea, quæ contigerunt,Deo permittente,propter quę sic excandescunt;proinde imitentur Dauidis mansuetudinem,qui(ex 2.lib.Regum.cap.16.) maledicentem sibi Semei, non permisit occidi : sed maledictionem tamquam Dei præcepto factam, cum humilitate,& mansuetudine suscepit , sperans se ideo misericordiam à Deo consecuturum.

Dauidis mãsuetudo erga Semei.

Quartò reuocent in memoriam Christi Domini patientiam, qui conuitiis , probrísque appetitus obmutuit,& dolores tantos, ac tam multos, tormentáque grauissima innocenter perferens, nó est comminatus, neque conquestus. Intuentes enim seipsos in tam lucido speculo , facilè cognoscent quàm

Christus speculũ in quo se intueri debẽt inuidi.

quàm longè absint à mansuetudine requisita in vero Christi sectatore.

Quintò vbi se excandescere sentient, iram intus continere, ac compescere studeant, nec sinant foras erumpere. Recedant ab iis, cõtra quos ira commouentur, & se aliis negotiis applicent: seque Deo cõmendent, donec ira ipsa deferbuerit: vnde fiet, vt delectationem magnam ex eo sentiant, quòd nihil opere aut verbo admiserint, de quo valde ipsos pœnituisset.

15. Adferẽdam alterius irã quid faciẽdum.

Ad ferendam autem alterius irã patienter (quod necessarium est ad illam in seipso cohibendam) iuuabit, Primò se à conspectu irati subducere. Secundò, si id non possit fieri commodè, iratum demulcere bonis verbis, quia *responsio mollis frangit iram.* Prouerb. 15. Tertiò si neque hoc locũ habeat, seruare silentium, donec irascens suam iram decoxerit: cogitando irati cerebrum de suo statu dimotum esse, ideóque locum esse commiserationi potiùs, quàm indignationi: perinde ac cùm agitur quis furiis, iuxta illud quòd ira, communiter dicitur *furor breuis.* Horat.

16.

Pœnitentiæ accommodatæ iis, qui iræ succubuerint, esse possunt primò vt orent pro iis, quos offenderunt, ac beneficiis eos prosequantur, vt bene faciendo compensent offensas: sicque iuxta Apostoli monitum *k ignitos carbones charitatis congerent super caput ipsorum.* Secundò, vt interdum semetipsis afficiant cõuitiis & verbis iniuriosis lacessant, exemplo D. Francisci vt assuescant scõmata, & dicteria contumeliosa aliorum excipere patienter. Tertiò cùm iræ (vt nonnumquam solet) admixtus fuerit affectus odij, & desiderij nocendi, iniungen-

k ad Rom. 12.

da est consideratio verborum Domini Matth.6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quæ verba ostendunt deponendum esse odium, & appetitum vindictæ ad consecutionem æternæ salutis: de qua nos assiduè sollicitos esse debere: idem Dominus satis admonet in sequen.cap.25. inquiens, *vigilate quia nescitis diem, neque horam*; ac inter cætera prouidere, ne qui toties nostri misertus est, non miserentibus proximo, exprobret illud Matth.18. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* ac tradat tortoribus. Quartò cùm (vt item nonnumquam solet) ex ira secutum fuerit homicidium; præter restitutionem (de qua in Praxi fori pœniten.par.2.lib.6.tract. 4.cap.2.) poterit imponi in pœnitentiam longa peregrinatio sine viatico, vt sentiat pœnam Cain *l*, cuius est imitatus nequitiam. Item iniungi exercitium operum misericordiæ, in sepeliendo mortuos, visitando captiuos, hospitalium ministeria obeunda, orando, sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ piè vsurpando, procurando sacra fieri pro eo quem occidit.

Odium deponēdū est ad consecutionem vitę æternæ.

Ex ira nonnumquam homicidiū sequitur.

l Gen.4.

Confessarius autem cui talis casus reseruatus fuerit, absoluere non debet ab eo, aut dispensare in irregularitate quæ ex eo sequitur, sed remittere ad superiorem.

17. Quartò, cùm ex eadem ira fuerit secuta blasphemia in Deum, vel Sanctos (vt etiam solet) imponendam esse grauissimam pœnitentiam Nauar. *m* habet ex decreto Cōcilij Lateran. sub Leone 10. Ex

m in Ench. c.12.nu. 83.

Gasparo

Gaſparo autem Loarte *n* eſſe poteſt, vt Roſariũ B. Virginis recitet, & ad finem cuiuſque orationis oſculatus terram dicat: *Gloria patri, & Filio & Spiritui ſancto:* aut, *Sit nomen Domini, Sanctorúmque omnium benedictum in ſæcula ſæculorum.* Item, vt lingua ſignum crucis in terra imprimat, ad membrum maledictionis ea ratione caſtigandum. Tertium litanias de nomine Ieſu, & Beatæ Virginis quibus continẽtur laudes ipſorum cum aliis precibus recitet, aut ſi non poſſit, neſciens legere, vel alia de cauſa, illud ſæpius vſurpet, *Laus, honor, & benedictio ſit Deo, & omnibus Sanctis.* Quartò vt aliquam pœnam ſibimet imponat, quam ſponte ſubeat quoties in tam deteſtabile peccatum relapſus fuerit; qualis eſſet, os ſuum, vel pectus ferire, terram oſculari, Pſalmum aliquem, vel ſaltem orationem dominicam, aut ſalutationem angelicam recitare: eleemoſynam aliquam largiri, aliquot verbera ſibi infligere, ieiunare, proximo quoque tempore confiteri, aut aliquid aliud facere, per quod maiore deinceps cura caueat ſibi à tali lapſu. Extendat quoque eaſdem pœnas quoties incurrerit in occaſiones talis peccati quas euitare debuit, qualis eſt alearum luſus, & conſuetudo iurandi per Deum, aut per ea quæ Dei ſunt, & rixæ. Expendat etiam cùm peierauerit (præſertim ex conſuetudine temerè iurandi) & cùm maledixerit, ſeu malum imprecatus fuerit proximo, memor quòd redditurus ſit rationẽ *de minimo etiã verbo otioſo*, ex D. Matth. c. 12. ver. 36. Ne autẽ facilè tã ſalutaris propoſiti obliuiſcatur, quotidie ante ſomnum exquirat, an eo die lapſus ſit, ſique ſe culpabilem iuuenerit, pœnam propoſitam exſoluat, antequam cubitum eat, aut ſi tunc

n in ſequen. cap. 28.

Cauendum maximè à blaſphemia, & quid ad eam euitandam faciendum.

si tunc non possit, sequenti die manè defectum illum suppleat. Poterit adhuc induci, vt non tantùm in sua sed etiam in aliorum simili morbo laborantium curatione operam collocet, eos, quos audiuerit perperam iurare, aut blasphemare humaniter & commodis rationibus admonendo ad maiorem Dei gloriam. Admoneri quoque seriò debebit de abóminatione istiusmodi peccati; quod tamquam rationem habens infidelitatis, grauissimũ est, atque adeo deterius homicidio, ex D. Thoma. *o* vnde si exhorreret se, vel semel mentem infidelitate, vel manus humano sanguine polluisse: quomodo non vereatur contaminare linguam, concessam ad Deum laudandum, & gratias pro beneficiis agendas contaminare blasphemiis: quibus non modò Deus grauissimè offenditur, sed etiam proximus quilibet, sensum habens aliquem pietatis erga suum creatorem, valde scandalizatur? Atque contaminare, absque vllo motiuo expectati emolumenti; nec enim potest inde vtilitas, vel voluptas accipi, siue corporis, siue animæ, imò verò possunt grauia incommoda non modò animæ, sed etiam corporis, in hac etiam vita contingere, vt patet per illud *p* quod ob blasphemiam Sennacherib, vna nocte in ipsius exercitu Angelo Domini percutiente centum octoginta quinque millia perierint. Pax in regno esse non potest ei, qui cum rege bellum gerit: quo ergo modo bene erit bellum gerenti cum creatore, *in quo viuimus, mouemur, & sumus?* Act. 17. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* ad Hebr. 10.

o 2.2. quæst. 13. art. 3. Blasphemia deterior homicidio.

p 4. Reg. cap. 19. Blasphemiã Sẽnacherib quomodo Deus vltus sit.

Admonitio

SVbiungit memoratus Loartes in cap.29.admonitionem aliquot puncta continentem. 18.

Primùm est non omnia tradita remedia, esse singulis pœnitentibus proponenda, quia id nimis prolixum esset: sed quæ ex audita Confessione iudicabuntur confitenti necessaria esse, & sufficere posse ad ipsius curationem. Non igitur omnia alicui speciali peccato assignata, debent cuilibet indifferenter accommodari, sed tantùm ea quæ ab eo, qui se offert capi possunt, & ei esse vsui. Nõ omnia remedia cuilibet proponenda.

Secundum est cùm pœnitens variis peccatis implicitus, ab omnibus pariter oppugnatur: ita vt differentibus peccatis æquè consulendum sit, tunc sufficere vnicum singulis remedium attribuere: nisi quòd conueniat plura adferri aduersus illud, à quo pœnitens vehementiùs impugnari inuenitur.

Tertium est, quod dicitur de remediis, idem esse dicendum de pœnitentiis assignatis, pro variis peccatis: nempe vt non omnes indifferenter imponantur, sed prout peccati, & peccatoris conditio exegerit: ac cùm fuerint peccata diuersa, pro vnoquoque aliqua pœnitentia imponatur, ei accommodata secundùm antedicta; siquè aliquod ex iisdem peccatis grauius fuerit, plures ex talibus pœnitentiis imponere conueniet.

Quartum est, consultum esse, vt Confessarius eiusmodi pœnitentias adiunctis remediis in promptu habeat, simúlque diligens sit in aliis (quæ multę sunt) comparandis librorum lectione, & communicatione cũ iis, quos nouit in hac exercitatione bene versatos, & imploratione auxilij Spiritus sancti, ex

cuius

cuius maximè impulsu dirigi oportet in peccatoris curatione, vt sit fructuosa.

Remedia particularia vnde petenda.

Remedia particularia aduersus varias species peccatorum relinquemus Confessario comparanda sibi librorum piorum lectione (quam debet familiarem habere) præsertim cùm nimia prolixitas vitanda sit, & antedicta sufficiant ad ipsum dirigendum in illis eligendis; & ad illorum defectum supplendum, ostendēdo tale peccatum ex tali fonte oriri: proinde adhibere debeant talia remedia, per quæ tollatur causa, ex qua manant. In particularibus pœnitentiis verò pro iisdem peccatis imponendis, dirigi poterit idem Cōfessarius, tum per antedicta de imponendis pro capitalibus, tum etiam per Canones pœnitentiales in eum finem descriptos in præced. capite.

CAPVT XX.

De diminutione & mutatione satisfactionis impositæ à Confessario, & acceptatæ à pœnitente.

SVMMARIVM.

1. Duo modi, quibus per interpretationem potest satisfactio relaxari. 2. Satisfactio etiamsi iustè imposita, & acceptata, mutari, aut diminui potest à Confessario, iusta de causa. 3. Quid in hac re amplius possit Confessarius, qui satisfactionem imposuit, quàm alius. 4. Superior Confessarij potest satisfactionem ab eo impositam

positam mutare, aut minuere. 5. *Potest & æqualis Confessario, ac etiam inferior.* 6. *Argumentum in contrarium, cum illius solutione.* 7. *Exceptio casus, in quo superior sibi reseruasset talem mutationem, aut diminutionem; aut in quo imposita fuisset pœnitentia, ob peccatum reseruatum.* 8. *De satisfactionis relaxatione per indulgentias notanda pro praxi.* 9. *Ad relaxationem iustæ satisfactionis Sacramentalis, secundùm probabiliorem sententiã, requiritur iteratio Confessionis peccatorum, pro quibus imposita fuit.* 10. *Ratio in qua talis sententia fundatur.*

QVæ ad hanc rem pertinẽt, sufficienter ad praxim comprehendi possunt aliquot propositionibus. Quibus præmittendum est, præter mutationem, & diminutionem (de qua nobis est sermo) à Confessario faciendam, dari eiusdem satisfactionis interpretationem (quæ non est actus potestatis sacerdotalis, sed prudentiæ, ac doctrinæ) idque duobus modis. Quorum alter est, cùm quis rationabiliter iudicat clauem à principio errasse: seu impositam esse satisfactionem iniustam; ideóque declarat pœnitentem non teneri ad illam implendam. Alter verò cùm à principio quidem fuit iustè imposita, sed postea pœnitens factus est impotens ad eam implendam: vel exorta est alia causa sufficiens ad illum excusandum. In quo etiam casu locus est interpretationi, quia cum impotentia, aliáve excusandi causa adest, reuera sufficiens, non tenetur pœnitens mutationẽ postulare; quia ratio obligationis cessat in præcepto, quando ipsum cadit in actum, qui non est moraliter possibilis, aut non est conueniens. Quæ ratio cùm

1. Interpretatio pœnitẽtiæ datur, & quæ illa sit.

tio cùm perseuerat, non est pœnitenti liberum (ne quidē in melius) mutare propria auctoritate illud, quod sibi in satisfactionem à Confessario impositi acceptauerit: quantumuis in melius mutare possit illud, de quo votum fecit. Ratio est, quam habet Henriquez *a*, quia homo per suam tantùm voluntatem adstrictus est voto; ad pœnitentiam autem implendum adstringitur per sententiam Confessarij tamquam superioris sui.

a in 1. part. Theol. moral. libr. 5. c. 20. §. 5.

2. Iusta de causa mutari potest aut diminui pœnitentia ab alia imposita.

Prima verò propositio de mutatione aut diminutione facienda per Confessarium est iustam satisfactionē mutari, aut diminui posse iusta de causa: nempe vt habet Nauarrus in Enchir *b*. quia pœnitens bona fide putat se non posse, aut non sine magna difficultate, aut periculo salutis animæ, vel corporis talem pœnitentiam implere. Cuius propositionis fundamētum est, quòd si in voto locum habeat non modò commutatio, sed etiam dispensatio, per quam obligatio eiusdem voti nunquam implendi tolli etiam in totum potest, cùm adest iusta dispensandi causa; nihil sanè sit cur negemus commutationem, & diminutionem, habere quoque locum in satisfactione acceptata à pœnitente. Debet verò iusta adesse causa; quia vt votum rationabile, ita & sententia iusta Confessarij acceptata, sic obligat, vt omninò seruari debeat, quando nulla causa subest, cur eam mutari, aut laxari oporteat. Quilibet enim Confessarius est Iudex absolutus, tamquam Christi minister immediatus: qui vt soluere à culpa, sic ligare potest ad pœnam, vt bene argumentatur Sotus in 4. distin. 20. *c*.

b cap. 26. nu. 22. Dispensatio in voto locum habet iusta de causa.

Cōfessarius est iudex absolutus.

c qu. 2. art. 3. in calce.

Ex quo *d* aduerte in commutanda aut diminuenda satisfactione, Confessarium qui illam imposuit,

3. *d* ibid. ante solutionem argumētorum.

posuit, non habere maiorem potestatem, quàm cæteros Confessarios: nisi quòd pœnitente, qui illam acceptauit pro tali mutatione ad ipsum recurrente intra tempus, quo idem iudicium moraliter censetur adhuc durare, potest suam sententiam mitigare, sicut mitigasset, antequam satisfactio acceptaretur à pœnitente: tamquam adhuc durante iudicio, negotium nondum in rem iudicatam transierit. Tempus illud autem esse trium dierum idem Sotus definit inquiens: si quis hodie, vel heri quempiam absoluit, isque recurrit præsens, cras, vel postridie, quando adhuc in memoria sunt peccata: videtur idem iudicium durare: sin autem longum tempus defluxerit, negotium iam transire in rem iudicatam: & ideo nō potest aliud facere sacerdos, qui satisfactionem imposuit: quàm quod de alio sacerdote dicitur. Hæc ille, satis rationi congruēter. Quamuis, vt meminit Alfonsus à Viualdo, in priore parte candelabri aurei, *e* non defuerint qui plures dies assignarent permansioni morali talis iudicij ad effectum, de quo agimus sufficienti; quod relinquitur prudenti pensandum ex inspectione circumstantiarum cum humili imploratione diuini auxilij. Cæterùm si nulla grauis necessitas in contrarium vrgeret, & Confessarius nihil apud se certi statuere posset, deberet (quia tutius est) perinde agere in ea re cum pœnitente, ac iuxta post dicenda ageret alter qui talem satisfactionem non imposuisset.

e cap. de satisfactione nu. 30.

Secunda propositio est: satisfactionem à pœnitente acceptatam, quando iusta adest causa, mutari aut diminui posse; tum ab eo qui illā imposuit, tum ab ipsius superiore. Hanc satis aperta ratio

4. Pœnitentia acceptata mutari potest, & à quibus.

confirmat: quia licet Confessarius habeat à Christo authoritatem præcipiendi satisfactionem: tale tamen præceptum est humanum, vt pote quod pendet à voluntate hominis; sicut lex Ecclesiastica est humana, etiamsi feratur à Papa, qui suam potestatem habet à Christo. In præcepto autem humano, & is, qui illud dedit, & superior ipsius (quandoquidem huius correctioni sententia illius subijcitur) potest dispensare, quando iusta causa adest dispensandi. Quare & in præcepto satisfaciendi, tum Confessarius qui illud dedit, tum superior ipsius dispensare poterit. Sícque pœnitentiam à Parocho impositam mutare aut diminuere iusta de causa potest, tum idē Parochus, tum Episcopus ipsius, tum etiam Papa: & impositam ab Episcopo tum ipse, tum Papa.

5. Ab inferiori etiam potest vel æquali.

Tertia propositio est; ab æquali, imò & ab inferiori Confessario, posse ex iusta causa minui, vel mutari satisfactionem à pœnitente acceptatam. De hac est quidem difficultas aliqua, & in vtramque partem auctores refert Suarez tomo 4. *f* sed vt idem notat, ea est communis sententia: quæ probatur ex eo quòd talis modus minuendæ, vel mutandæ pœnitentiæ sit in vsu; vt Sotus (qui contrariam partem sequitur) etiam fatetur. *g* Deinde quòd omnes Confessarij respectu eorum peccatorum in quæ iurisdictionem habent, non impeditam, sint æquales in munere confessiones audiendi, & absoluendi, cùm proferant vltimam, & definitiuam sententiam tamquam immediati ministri Christi. Quare sicut ad perfectam potestatem ipsius Confessarij: atque ad perfectum Sacramenti pœnitentiæ vsum, maiúsque remedium animarum pertinet, vt vnus & idem

f disput. 38. sect. 10. nu. 4.

g in cit. art. 3. sub finem.

& idem Sacerdos ; iterata ei confessione , possit mutare primò impositam satisfactionem, vel de ea aliquid demere ob bonã dispositionem pœnitẽtis, qui multò meliùs dispositus quàm priùs, accedit (siue quia maiorem habet contritionem , siue quia aliis viis satisfecit , aut lucratus est indulgentias) sic existimandum in diuersis Sacerdotibus sufficientem habentibus potestatem idem contingere quod in illo vno , præsertim cum pœnitens possit ante ea factam confessionem iterare, sicut eidem Confessario , ita & diuerso idoneo: cuius prudenti iudicio impositio satisfactionis perinde relinquitur , ac si nondum esset de talibus peccatis facta confessio. Hoc enim iudicium tale est, vt ad bonum pœnitentis ordinatum, in fauorem eiusdem, iterabile sit super eamdem causam : non quidem per modum appellationis , sed per modum noui iudicij æqualis iudicio præcedenti , quorum neutrum alteri officit : sed ipsum in sua integritate relinquit : eo quòd in pœnitentiali foro reus hunc fauorem obtinet, vt sæpius de iisdem peccatis, si velit , iudicari possit : siue ab eodem siue à diuersis habentibus sufficientem iurisdictionem ; cúmque Deus contentus sit vna cõpetenti satisfactione (iuxta illud, quod dicitur *non iudicare bis in idipsum*) [h] pœnitens ipse non tenebitur plures pluribus illis iudiciis competentes , pœnitentias sibi impositas implere, sed vnam , quam libuerit , quod etiam notat Suarez [i].

Confessarius cui pœnitens eadem peccata confessus est , mutare potest prioris pœnitentiam.

[h] 23. quæst. 5. cap. Quid ergo. ex Nahum cap. 10.

[i] In sequen. nu. 7. sub finem. 6.

Atque ex his satis constat , infirmum esse argumentum allatum à Soto pro contraria sententia: nempe quòd quiuis Sacerdos pœnitentiam iniun-

gens,Iudex sit absolutus suo tantùm superiori subditus , cum par in parem non habeat imperium: ideóque alius ipsi æqualis, vel inferior , sententiam ipsius mutare nequeat. Respondetur enim ex dictis constare, quòd in hac iudicij iteratione par in parem non exerceat imperium , sicut nec idem exercet in seipsum. Nam posterius iudicium non instituitur ad derogandum priori ,sed ad consulendum pœnitenti,in cuius fauorem talis iteratio conceditur:vt liberum sit ei pœnitentiam nouam præsenti dispositioni accommodatiorem suscipere, omissâ eâ quam in præcedenti confessione admiserat. Sic ergo absque eo quòd par in parem exerceat imperium , aut inferior in superiorem , fit , quod

k cap.16. nu.12. Nauar.in Enchir.*k* expressit,vt Episcopus pœnitentiam à Papa impositam, & parochus impositam ab Episcopo possit iusta de causa immutare , aut diminuere.

7. Excipe tamen cum Syluestro ver. Confessio 1. *l* quæst.27. *m* nu.4. *l*. & cum Rosella ver. Confessio 2. nisi certum sit, quòd superior reseruauerit sibi talem mutationem, aut diminutionem : aut nisi crimen , pro quo imposita est pœnitentia,fuerit Superiori reseruatum, circa quod inferior , sicut nihil potest quo ad culpam , vt pœnitentem ab ea absoluat: ita nec quoad pœnam , quæ per Ecclesiæ clauem imposita fuerit eidem culpæ annexa. Vnde quia eiusdem potestatis clauium est , absoluere à culpa , & ligare ad pœnam : fit vt inferior , sicut circa absolutionem à reseruatis , ita circa satisfactionem pro eis à superiore impositam nihil possit , nisi de ipsius licentia quam vt memorati auctores inquiunt , præsumitur dare, quando is non potest facilè adiri , necessitásque

vrget

vrget, vel vtilitas suadet satisfactionis ab ipso impositæ commutationē fieri. Videri potest Suarez *n* atque addi ex Nauarro loco citato cùm spes adest breui adeundi superiorem, qui pro reseruatis imposuit pœnitentiam, huius impletionem differendam esse potiùs quàm ab alio Sacerdote faciēdam ipsius mutationem, vel diminutionem.

n in citata sect. 10. nu. 13. & sequē. tibus.

Cæterum non debet Confessarius præbere se facilem in mutanda, vel minuenda pœnitentia, quam alius imposuit: tum ne obsit bonæ æstimationi alienæ: tum ne petentibus præbeatur occasio facilitatis non implendi suas pœnitentias. Potiùs ergo ij remittendi sunt ad Confessarios, qui illas imposuerunt, si commodè adiri possint; sin minus, agendum est iuxta antedicta.

Cōfessarius nō debet se præbere facilē in mutāda pœnitentia.

Quarta propositio, pro qua plures auctores refert Suarez *o*, est superiorem, qui habet potestatē dandi indulgentias, posse pœnitētiam ab alio impositam relaxare pro quantitate indulgentiarum, quas dare potest. Ratio est, quia per indulgentias remitti potest pœna debita pro aliqua culpa: ergo & tolli obligatio satisfaciendi pro illa. Aduerte autem incidenter quod Nauar. *p* habet in comment. de indulgentiis ex communiter recepta sententia: abusum esse, vsum quorumdam: qui nullo vel suo, vel pœnitentis muniti priuilegio, huic concedunt indulgentias. Nā inferiores Episcopo, nihil tale posse, nisi ex superioris, id est, Papæ, vel Episcopi priuilegio: patet ex cap. Accedentibus. De excessib. Prælat. Ideoque audiendi non sunt contra sentientes quorum meminit à Viualdo in priore parte candelabri aurei *q*.

§.

o in præced. nu. 10.

Cōfessarius qui habet potestatem dādi indulgentias potest mutare pœnitentiā.

p notabili 31. nu. 9.

q cap. de indulgentiis, num. 6.

Aduerte etiam, quod monet Suarez *r*, posse per

r loco cit.

Per indulgẽtias relaxari possunt satisfactoriæ pœnitentię nõ medicinales.

indulgentias relaxari pœnitentias impositas, prout satisfactoriæ sunt, non autem prout medicinales: quia indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem animæ. Tollere autem medicinã curatiuam peccati, magnum est detrimentum animæ. Quare nõ est ad id instituta potestas dandi indulgentias, neque ea intentione dantur. Vnde infert idem auctor his temporibus, considerato modo, quo pœnitentiæ imponi solent, rarò, vel numquam licere propter indulgentias, omittere impositas pœnitentias, vtpote quæ ordinariè sunt leuissimæ, & quæ vix sufficiant, per modum medicinæ præseruatiuæ à peccatis in futurum: quæque requirantur ad Sacramenti integritatem, & obedientiã suo Iudici exhibendam, & ad assuescendum bonis operibus.

Vnde sumi potest ratio eius, quod Henriquez habet in sua summa multis auctoribus in margine citatis *s*, consecuta indulgentia etiam plenaria Iubilæi non debere pœnitentem se reputare liberum à pœnitentiæ iniunctæ præcepto.

s lib.5.c.22. §.6.lit.b.

Restat dubium, an iterari debeat confessio peccatorum, pro quibus imposita est satisfactio, quando hæc iusta de causa minuẽda est, aut mutanda: de qua re Franciscus à Victoria de sacramen.& Nauarrus in Enchir *t*. sentiunt nõ esse necessariam talem iterationem. Sotus verò in 4. *v* idẽ censet quidem si clauis errauerit, id est, si prior Confessarius nimis improportionatam peccatis, aut pœnitenti pœnitentiam imposuerit: quia tunc potest talis relaxatio extra confessionem fieri, atque adeo fieri à sacerdote, non tantùm vt Confessarius est, habens iuridicam auctoritatem ea declarandi, quæ pertinent

t ille nu.211. & hic c.26. num.22.

v distin.20. quæst.2.art. 5.sub finem.

nent ad pœnitentis sibi subditi conscientiam; sed etiam vt pius doctor: qua ratione, ad ferendum rectum iudicium nihil amplius requirit, quàm vt sufficienter informetur de tota re, quod potest fieri sine Sacramentali Confessione, & faciendum esset, si doctor, qui consulitur, non esset sacerdos, cùm de ignotis nemo prudenter iudicet. Si autem clauis nõ errauerit, sed pœnitentia fuerit debitè imposita, vult Sotus, ne superiorem quidem posse mutare, aut minuere impositam pœnitentiam nisi audita Confessione peccatorum pro quibus imposita est. Quod idẽ asserens Suarez *x*, pro eóque citans adhuc Syluestrum, & Tabellam, bene probat: quia in pœnitentiali foro, potestas eadem est ligandi, aut soluendi. Quare sicut superior non potest ligare, seu imponere pœnitentiam Sacramentalem extra Cõfessionem: ita nec potest ab illa soluere, seu illã mutare. Confirmatur quia talis mutatio est actus iuridicus, iudicij fori pœnitentialis, sicut & impositio, quæ per eumdem aufertur. Requirit ergo Sacramentalem Confessionem, sine qua tale iudicium esse non posse satis declarauit Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.

De ignotis nemo prudenter iudicat.

x in eadem. sect. 10. nu. 8.

CAPVT XXI.

De iudiciali prudentia Confessarij in absoluendo pœnitente, ac de modo absoluendi & difficultatibus, quæ in executione talis muneris occurrentes anxietatem pariunt.

SVMMARIVM.

1. *Prudentiæ Confessarij est Pœnitentem circumspectè monere, consolari, obiurgare, interrogare.* 2. *Item non facilè negare ei absolutionem: nec eam dare nolenti à peccato mortali abstinere, aut recusanti restituere.* 3. *Item cognoscere dispositionem pœnitentis; & quantùm ad præteritum, nisi suis obligationibus satisfecerit: & quantùm ad præsens, si sufficientem dolorem habeat; & quantùm ad futurum, si sufficienter emendationem proponat.* 4. *Item non absoluere à reseruatis, nisi habita ad id facultate; nec ante à peccatis absoluere quàm ab excommunicatione, & quàm imposuerit pœnitentiã.* 5. *Forma seu modus absoluendi à peccatis.* 6. *Cum qua intentione proferri debeant verba absolutionis.* 7. *Nec licet, nec valet absolutio à peccatis data sub cõditione de futuro.* 8. *Quando liceat data sub conditione de præterito.* 9. *Quando data sub conditione de præsenti valeat, etiamsi illicita sit.* 10. *Duo casus, in quibus sic data potest licita esse.* 11. *Bis super eãdem confessione absolutio dari non potest, super iisdem peccatis autem, iterata Confessione, potest.* 12. *Absolutio per aliquod tempus differri potest post factã Confessionem, & impositam satisfactionem.* 13. *Manum pœnitentis*

pœnitenti imponere necessarium non est: non modò de necessitate Sacramenti, sed nec de necessitate præcepti. 14. *Quid sit agendum cum pœnitente, qui cognoscitur occasionem habere mortaliter peccandi de cætero.* 15. *Quid item sit agendum cum pœnitente qui interrogatus, negat in Confessione peccatum, quod Confessarius probè nouit, ab ipso commissum.* 16. *Explicatio difficultatis. An vt æger absolui possit sacramentaliter, sufficiat in genere tantùm dedisse contritionis signum; vt percutiendo pectus, vel extollendo in cœlum oculos aut manus.* 17. *Pœnitens, quando absolui possit eo nomine, quòd ante aduentum sacerdotis signa contritionis dederit.* 18. *Documenta notanda à Confessario, qui ægro administrat pœnitentiæ Sacramentum.* 19. *Quid agendum sit Confessario, cùm aliquem absoluerit, quem non potuit, propter aliquod impedimentum: explicatur distinctione.* 20. *Quid cùm error tantùm leuis commissus est.* 21. *Quid cùm à se diuisit sine absolutione eum, quem absoluere debuit.* 22. *Quando ad supplendum istiusmodi defectum sit, vel non sit opus iteratione confessionis.*

Prima pars capitis, de ijs quæ spectant ad prudentiam Confessarij in absoluendo.

HÆc Nauarrus persequitur in Enchir. cap. 26. *a* Primum est, vt peracta confessione doceat pœnitentem, si quæ sint in quibus ipsum animaduerterit errare quoad ea quæ scire tenetur. Secundum est, vt pro pœnitentium varietate alium increpet, alium consoletur, ad odium peccati, & virtutis amorem ex-

1. *a* vndecim primis numeris.

citet, adhibitis salutaribus monitis, & conuenientibus remediis, iuxta ea quæ antea dicta sunt de ipsius, tamquam patris, & medici spiritalis muneribus. Tertium est, vt præmissis, pro munere iudicis, interrogationibus opportunis, faciat concludere confessionem, dicendo se de omnibus confessis, & quibuscumque aliis, quorum non meminit à se commissis, dolere ex animo, & petere à Deo veniam cum firmo proposito, quòd (ipso bene iuuante) nec ea, nec alia, saltem mortalia, de cætero committet. Ad quod non est voto, vel alia promissione, aut iuramento obligandus, nisi ius id fieri postulet in absoluendo excommunicato, notorio, itémque in incendiario, & in mutilatore, in manifesto raptore, aut Ecclesiæ violatore, ac in vsurario publico, & in inferente publicè iniuriam personis Ecclesiasticis: prout Nauarrus citatis canonibus notat in Enchirid. *b* Quartum est, vt non facilè neget Pœnitenti absolutionem, dicendo peccatum mortale esse quod non est: sed si dubitet, petat à Pœnitente inducias, seu spatium ad consulendos doctores. Quòd si ille nolit diutiùs sibi absolutionem differri, exigendum est ab eo propositum faciendi id quod constiterit ipsum de iure debere facere. Tale enim propositum sufficit, vt absoluatur prout ex Angelo & Syluestro habet Nauarrus. *c* Quintum est, vt nullatenus absoluat nolentem abstinere ab eo, quod certum est peccatum esse mortale. Christi enim minister existens in hoc sacro iudicio, grauiter contra religionem, & iustitiam peccaret absoluendo eum, quem Christus nõ absoluit peruertendóque dictum ipsius, Matth. 18. *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cæ-*

Quomodo cõcludenda sit cõfessio.

2.

b cap. 26. num. 2.

c in cit. cap. 26. num. 3.

lis

lis: quandoquidem solueret in terris eum, qui non soluitur in cœlis. Sextum est, vt non neget absolutionem Pœnitenti, quando is in re inter auctores dubia, non vult eamdem, quam ipse sententiam sequi: nisi ipse crederet se niti textu, aut ratione euidenti. Septimum est, dare operam, vt Pœnitens qui ad restitutionem tenetur, obligationi suæ satisfaciat: de quo & tribus præcedentibus antea pleniùs dictum est in cap. 3. sect. prima. Octauum est, 3. vt curet cognoscere dispositionem Pœnitentis, antequam ipsum absoluat; nempe respectu præteriti, si satisfecerit sufficienter alicui obligationi, quam sub mortali habeat exequendi aliquid; respectu præsentis verò, si doleat ex animo de offensa Dei à se commissa: & demum respectu futuri, si firmum propositum habeat non peccandi de cætero. Atque circa horum primum obseruandum ei est documentum, quod aliis citatis tradit Suarez *d*, non debere semper priusquam absoluat pœnitentem, cogere eum, exequi illud, quod facere tenetur: quia interdum ad absolutionem à peccatis sufficit, vt is firmum propositum habeat, obligationem suam implendi. Cui promittenti credendum est, præsertim si tunc primùm defecerit in executione, necdum inuentus sit infidelis, & inconstans esse in similibus propositis: neque ex aliis coniecturis, suspicio sinistra possit probabiliter formari. Deprehensus verò obligationem suam non implere, absoluendus non est, si iterum ac tertiò, de illa contra promissionem in confessione factam, non impleta confiteatur; quia propositum quod ipse de nouo facit, non potest moraliter iudicari magis efficax, quàm priùs factum: ideoque promittentem

d tomo 4. disput. 32. sect. 2. nu. 3.

perin

perinde ac antea versari in morali periculo relabendi. Qua in re, vt idem Suarez ex D. Antonino, Caietano & Nauarro addit, Confessarios cautos esse oportet, atque constantes, ne peccatis alienis inuoluantur. Circa secundum verò debet Confessarius obseruare, vt si audita confessione; & cùm opus esse iudicauerit, cohortatione aliqua adhibita, non habeat sufficientia signa præsentis doloris in Pœnitente, interroget ipsum an de peccatis suis doleat ex animo. Cui seriò affirmanti, credere tenetur, quando nihil apparet, quod obstet. Circa tertium autem, obseruare debet, quòd ad impertiendam absolutionem, possit sufficere, si de præsenti Pœnitens cõcipiat generale propositum numquam de cætero peccandi mortaliter: neque necessarium esse vt ipsemet Confessarius persuadeat sibi, aut probabiliter iudicet illum semper seruaturum esse tale propositum: sed sufficere, vt existimet, quòd tunc tale habeat: quantumuis fortè post breue tempus sit illud mutaturus. In quo idem Suarez *e* omnes conuenire ait.

e in fine præced. num. 2.

Nonum est, vt Pœnitentem habentem casum reseruatum non absoluat, nisi habita licentia ab eo, qui illam dare potest: Huius pleniorem notitiam suppeditabunt documenta tradenda in sequenti cap. De modo quo sacerdos inferior potest absoluere à peccatis reseruatis à superiore.

4.

Decimum est, ordinariè satisfactionem priùs imponat, quàm absoluat à peccatis. Vndecimum, vt pœnitentem quem constat esse excommunicatum, priùs absoluat ab excommunicatione, quàm à peccatis, seruatâ quoad fieri potest iuris formâ; de qua absolutione in praxi fori pœnitentialis part. 2. li-

brum quintum constituimus. Forma verò illa iuris, vt notat Nauarrus citatis canonibus, *f* tria continet: Primum, vt talis iuret se pariturum mandatis Ecclesiæ, quam contumaciter noluit audire. Secundum, satisfaciat parti à se læsæ; siqúe de præsenti non potest, præstet de futuro sufficientem cautionem. Tertium vt nudatus humeris leuiter flagelletur, recitando vnum ex psalmis pœnitentialibus, additis Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c. Saluum fac seruum tuũ, &c. & oratione, *Deus cui proprium est misereri, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absoluat, per Christum D.n. amen.*

f in Enchir. capit. 26. num. 7. & 8.

Aduerte verò nudationem, & verberationem illam tamquam indecentem, omitti in fœminis, ac etiam in quocumque alio secretè confitentem in publico, quemadmodum expressit Caiet. in verbo. Absolutio ab excõmunicatione. vers. Quoad secundum. Duodecimum est, vt absolutionem à peccatis præmittat ad cautelam absolutionem à censuris, maximè ab excommunicatione, etiamsi non constet Pœnitentem in eas incurrisse. Postremum est vt absoluat à peccatis eo modo, de quo consequenter dicendum est.

Pars altera capitis, de modo absoluendi à peccatis.

IAm modus absoluendi à peccatis satis conueniens censetur, qui traditur in directorio Polanci: *g* vt postquam Pœnitens ad absolutionem dispositus, dixerit, Mea culpa, & cætera quæ sequuntur

5.

g cap. 4. art. 1.

tur in confessione generali: Confessarius dicat. *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam:* & manum versus caput Pœnitentis eleuans addat: *Dominus noster Iesus Christus qui est summus Pontifex te absoluat, & ego auctoritate ipsius mihi licet indigno concessa, absoluo te imprimis à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & indiges. Deinde, absoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Post hæc retrahendo manum dicat. *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis: & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris & mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & in præmium vitæ æternæ, amen.* Si tamen Pœnitens nullo ordine sit initiatus, omittendum est nomen suspensionis: quia non est capax censuræ per illud significatæ. Quòd si constaret in particulari de censura aliqua incursa, ea esset particulariter exprimenda per causam propter quam incursa est, verbi gratia dicendo. *Absoluo te imprimis à vinculo excommunicationis quod incurristi propter clerici percussionem*; sique sæpius in eumdem incurrerit, exprimendum, quoties contigerit. Si verò in diuersas inciderit, diuersæ quoque causæ ad earum expressionem sunt exprimendæ. Si quis Pœnitens adhuc incurrerit in irregularitatem, in qua possit Confessarius dispensare: ipse supra positis verbis (in quãtum possum & indiges) addere debebit, *& dispenso tecum super irregularitate quam incurristi propter hoc* (verbi gratia, *propter Missæ celebrationem ante ætatem*) *& habilitate ad actus legitimos.* Deinde, *ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, &c.*

Hic

Hîc nonnulla occurrunt notanda. Primum est, 6.
intentionem ministri verba ea proferentis, debere in particulari esse exercendi actum, per quem Sacramentum pœnitentiæ administretur confitenti: ideoque si sacerdos casu, neque ex tali intentione, verba ipsa Sacramentalia proferret, neutiquam absolueret. Cæterùm in communi eadem intentio debet esse faciendi, quod Ecclesia facit per suos ministros: iuxta Concilium Florẽtinum in instructione Armenorum sub initium; nõ quòd necessarium sit, vt intra se actu dicat, intendo facere id quod facit Ecclesia (prout monet Sotus in quartum) *h* sed quod intendat tamquam Ecclesię minister, incumbere talis Sacramenti administrationi, & id quod sui muneris est exequi.

h dist. 1. q. 5. art. 8. in fine.

Secundum est, numquam esse absolutionem à 7.
peccatis impendendam sub conditione de futuro: vt si Confessarius diceret: *Si restitueris, aut si feceris talem pœnitentiam, vel aliud huiusmodi. Ego te absoluo.* Talis enim absolutio esset nulla, vt rectè probat Caietan. in summula, verbo, absolutio à peccatis *i*, & post eum præter cæteros Nauarrus in Enchir. *k* Quia non est in potestate sacerdotis ministrantis Sacramentum, nunc temporis illud conferre, & effectum illius suspendere in aliud tempus implendæ conditionis appositæ. Vnde (vt addit Caietanus) sacrilegus est formæ Sacramenti abusus, quo istud sic perficitur vt fructus eius per indebitam ministrantis intentionem excludatur. Idémque iudicium est (vt adhuc Caietanus addit) si Sacramentalis absolutio sub ratihabitione superioris impendatur; quoniam illud quod fit sub spe ratihabitionis, quantumuis tunc voce fiat, re tamen ipsa fit tam

Absolutio non est cõferẽda cum conditione de futuro.

i versu circa appositionem cõditionalẽ.

k cap. 26. num. 12.

tamquam pendens: adeo vt irritari, nullúmque esse possit.

8. Sub conditione de præterito, absolutio valet.

Sub conditione verò de præterito, quãdo Confessarius dubitat, an protulerit verba absolutionis, potest licitè absoluere dicendo. *Si non es absolutus, ego te absoluo, &c.* Sicut cùm de aliquo dubitat an sit baptizatus, potest illum sub conditione baptizare: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* iuxta cap. 2. de baptismo.

9. Sub conditione denique de præsenti, vt dicendo. *Si verè statuisti restituere, vel præsentare te superiori: Absoluo te, &c.* absolutio data tenet stante conditionali veritate, id est, si res verè se habeat, vt supponitur: Peccat tamen sacerdos sic absoluens, quia sine iusta causa (si quidem in foro pœnitentiali Ecclesia, Pœnitenti aliquid de se dicenti, credit absolutè, & sine conditione) præsumit dare sub forma dubia, quod Christus mandauit sub certa forma ministrare: adeo vt (addit Caietanus) si à superiore facultas absoluendi à reseruatis commissa sit sub aliqua conditione peragendi certam pœnitentiam peregrinationis, vel eleemosynæ; vel alterius boni operis, ipse non debeat conditionaliter, sed simpliciter, & absolutè absoluere pœnitentem, acceptantem talem pœnitentiam, aut saltem habentem animum implendi quamcumque ei iniungendam.

10. *l* lib. 1. decis aur. cap. 32. num. 2.

Dico tamẽ, sunt casus quos Iacobus à Graphiis *l* (citato Bartholomæo à Medina) commemorat, in quibus dari potest absolutio sub cõditione de præsenti. Prior est, quando puer confitetur, & Confessarius dubitat, an is habeat vsum rationis; vel quando phreneticus, an in actu confessionis sit sanæ mentis. Posterior casus est quando is, qui confitetur

fitetur, iustus esse creditur, & ita virtutibus ornatus apparet (vt sacerdos nequeat internoscere, an ea de quibus ille confitetur sint peccata nec ne, etiam venialia. In illo enim casu, inquiunt memorati auctores, Confessarius potest absoluere dicendo. *Ego te absoluo à peccatis tuis si habes vsum rationis.* In hoc verò dicendo. *Ego te absoluo, si quæ confiteris sint peccata.* Cuius doctrinæ ratio reddi potest, quòd absolutio sub conditione de præsenti sufficere possit ad Sacramentum: & quando res est dubia, tantùm abest, vt ea de se mala sit, quin potiùs sit remedium præsentissimum ad vitandam molestiam, qua animus anxius vexatur, dum non suppetit ratio vincendi dubietatem; vt ferè contingit in propositis casibus. Quamquam in eorum posteriore (quod etiam monet Iacobus à Graphiis) meliùs est aliqua dexteritate elicere ex ore Pœnitẽtis aliquod ipsius peccatum iam aliàs in confessione detectum, vt vsurpari possit vsitata absoluendi forma. Aut certè cùm nullum dubium est de mortali, abstinere à Sacramentali absolutione: prout prudentia, interiórque Spiritus sancti instinctus ad maiorem Dei gloriam esse dictabit. Nam etsi cauendum est, absolutionem Pœnitenti facilè negare, prout habet Nauarrus in Enchir. *m* ei tamen non fit iniuria: cùm ideo quòd notetur aliquid deesse ad absolutionem requisitum (vt deest materia absolutionis in proposito casu) non absoluitur.

m in præced. nu. 3.

II. Absolutio in eadẽ cõfessione iteranda non est, sed super eadem peccata potest.

Tertium est, numquam esse impendendam bis absolutionem super eadem confessione: posse autem impendi super iisdem peccatis, si eorum confessio iteretur. Cuius veritatis priorem partem Caietanus probat: quia ipsa iteratione (cum hæc

n loco cit. vers. circa iterationẽ.

arguat insufficientiam prioris formæ) fit iniuria Sacramento. Posteriorem verò partem probat, quia confessio tenet locum materiæ proximæ in Sacramento pœnitentiæ ex Concilio Florentino, in antecit. instruct. Armenorum. Vnde fit, vt homo, quia potest pluries eadem peccata confiteri, possit quoque pluries ab iisdem absolui. De qua re Medina in Cod. de confessione. o Quanquam tamen in tali iteratione adhibendus est modus, propter reuerentiam Sacramenti: nam ea laudabilis quidem est, quando fit seruatis prudentiæ conditionibus, non tamen aliter facta: nempe ex inquieta phantasia, & scrupulosâ conscientiâ cum molestia Confessarij, & iactura temporis, prout ex eodem Caietano annotat Nauarrus ad cap. fratres. de pœniten. dist. 5. p videnda sunt quæ diximus de sexta specie scrupulorum. q

o quæst. 25.

p num. 30.
q in præced. cap. 11.

12. Absolutio post plures dies differri potest.

Quartum est, absolutionem, per plures dies differri posse, post factam confessionem, & taxatam pœnitentiam: etiamsi Confessarius interea obliuiscetur talis pœnitentiæ, dummodo ea illi in memoriam prius reuocetur. Item posse in vna die confessionem audiri, & in altera iniungi pœnitentiam, & absolutionem impendi: quia pœnitentiæ Sacramentum non requirit tantam continuitatem agendorum, & dicendorum, quantam alia Sacramenta. Ita habet D. Antoninus in summa confessionali r, ex quo id etiam refert Iacobus à Graphis in lib. 1. decis. aurearum. s

r tract. 1. par. 2. cap. 4. sub finem.
s cap. 32. num. 11.

13. Postremum est, ad absolutionis substantiam minimè pertinere, vt dum ea profertur, manus capiti Pœnitentis imponatur, imò neque de necessitate præcepti id faciendum esse Nauarrus ad princip.

prim-

primi cap. de pœnitent. distinct. 6. num. 29. ex D. Thoma habet: addens aliquando malum esse id facere, vt cum Pœnitens est fœmina, molli fortè pulchritudine, & molliter ornata. Similiter nec videtur necessarium esse, vt sacerdos dum absoluit manum extollat: licèt, vbi consuetudo regionis admonet, conueniat id facere.

Tertia pars capitis, de difficultatibus, quæ in absoluendo occurrentes, anxietatem pariunt.

PRima est, quid agendum sit, cùm Pœnitens habet proximas occasiones peccandi mortaliter, quas vix potest sine scandalo & infamia, vel graui incommodo humano relinquere; sique non relinquat, manet in morali periculo proximo peccandi mortaliter. De qua nihil certi potest præscribi; ita vt totum negotium prudentiæ Confessarij relinquatur; qui sic habeat rationem commodorum proximi, vt maiorem habeat gloriæ Dei: cui sine controuersia, priores partes semper sunt deferendæ. Is igitur videre debet, an talis occasio peccati sit proxima, & voluntaria: vtrumque enim ad id requiritur, vt reddat absolutione indignum; tamquam eum qui amans periculum, peribit in illo. Indicabit autem causam proximam esse, quando talis fuerit ex suo genere, quæ frequenter homines similis conditionis inducat ad eiusmodi peccatum: vel quando experimento constiterit, in eo homine talem effectum habere. Iudicabit verò non esse voluntariam quando moraliter

14. Quid agendum cum Pœnitente, habẽte occasiones peccandi, quas non potest deserere.

vitari non potest, apparétque eam tali homini potiùs inferri, quàm ab ipso assumi: ita vt necessitas quædam, vel impotentia esse censeatur potiùs, quàm aliquid morale. Videre etiam debet, an sit aliquod remedium quod susceptum à Pœnitente, credatur posse ipsum, cum Dei gratia, præseruare à lapsu in peccatum. Ille enim tale remedium admittens, cum proposito firmo non consentiendi peccato, posset absolui. Neque si iterum, iterúmque recidat, obstabit, quominus iterum confitens, possit absolui; dummodò aliqua emendatio diminutióve in numero peccatorum facta esse notetur. Interdum quoque absolutio differri potest. Omninò autem ea neganda est, quando nullus apparet profectus. Ita docet Suarez. *h*

15. Secunda difficultas est, quid agendum sit Confessario, cùm videt Pœnitẽtem tacere aliquod peccatum, quod certò sit commissum esse ab ipso: qui nihilominùs de eo interrogatus, illud negat in cõfessione. Hæc autem ad vsum accommodatè satisfieri potest per hæc documenta, quæ Suarez tangit. *i* Primum est, cùm in hoc foro credendum sit Pœnitenti, tam pro se, quàm contra se loquenti (nec enim alius in eo testis admittitur) regulariter standum esse illius confessioni; ideóque si alterius tantùm relatione Confessarius sciat peccatum Pœnitentis; magis in dubio debet huic credere, quàm illi. Secundum est, quamuis Confessarius certus sit commissum esse à Pœnitente peccatum, vt quia suis oculis vidit; si possit probabiliter existimare, quòd ille iam sit de eo confessus, potest dissimulare, credendo propterea tacere, quòd iam cõscientiæ suæ satisfecerit. Tertium est, si in proposito casu sit planè

h tomo 4. disput. 32. sect. 2.

i in fine sequentis sectionis.

Cõfessarius quomodo se geret cũ Pœnitente qui non fatetur se peccatum cõmisisse, quod ipse nouit.

planè euidens pœnitentem mentiri ipſum,tãquam nolentem integrè confiteri de omnibus mortalibus (ideóque ponentem ſacramentali abſolutioni obicem,vtpote ad validitatem requirenti eiuſmodi integritatem)nullo modo abſoluendum eſſe,quidquid ipſe dicat: quia committeretur alioqui mortale peccatum ſacrilegij contra reuerentiam debitam Sacramento inſtituto à Chriſto. Nec obſtat communis regula, quòd in omni iudicio debeat Iudex ſecundùm allegata, & probata iudicare. In hoc autem foro non ſit alia allegatio, & probatio, quàm dicti Pœnitentis, cui ſiue pro ſe, ſiue contra ſe dicenti creditur. Non obſtat, inquam, quia in foro quidem externo iudicium tamquam publicum(vtpote ſpectans ad commune reipub. bonũ) requirit ſcientiam publicam, tamquam ei proportionatam: ſed in foro pœnitentiali iudicium quod ſecretum eſt, & ad priuatum Pœnitentis bonum ordinatum, priuata ſcientia Confeſſarij ad eumdem Pœnitentem redarguendum & conuincendum ſeruire poteſt.

Tertia difficultas. An æger qui in genere tãtùm exprimit ſigna contritionis; percutiendo pectus, vel eleuando oculos,aut manus in cœlum,nec poteſt verbo,vel alio ſigno, vllum in particulari peccatum manifeſtare,abſolui ſacramentaliter poſſit. 16.

De hac in vtramque partem auctores commemorat Alphonſus à Viualdo in Candel. aureo *k*. Et quamuis magni nominis auctores partem negãtem ſequantur,inter quos eſt Nauarrus in Enchir.ca.26. num.28.pars tamen affirmans (nimirum poſſe abſolui eum qui prædicto modo ſigna contritionis dederit)probabilis eſt,& tota in praxi.Nam præter-

k cap. de abſolutione nu. 70. & 71. Abſolui poteſt qui ſigna contritionis dederit, etſi nihil ſit cõfeſſus.

quàm quòd fauet animabus, & Dei immensam in peccatores misericordiam commendat, approbatur calculis multorum celebrium Theologiæ professorum modernorũ, quos idem à Viualdo commemorat, eis addens aliquot antiquiores: quibus (alios adhuc citans) Suarez assentitur *l*, vt & Henriquez *m*, neque eiusmodi sententiæ reprobandæ datur ratio conuincens: etenim cùm obiicitur non nisi confessõ de peccatis dãdam esse absolutionem sacramentalem; respondeti potest in casu proposito, Pœnitentem confessum esse nutu, quod sufficit, quando confessio fieri nequit verbis. Et dum vrgetur eam confessionem esse generalem, per quam cõscientia peccatoris à quo fit, non innotescit plus quàm sine illa, quia tantùm ostendit generaliter ipsum esse peccatorem: Sacramentalem verò confessionem, diuina institutione debere fieri de peccatis singulatim in specie, & numero. Voluit enim Christus Sacramentum Pœnitentiæ iudiciale esse: iudicis verò sententia apta esse non potest, nisi Iudex ipse peccata in specie & numero cognoscat. Dum, inquam, hoc vrgetur: respondeti potest, ex Christi quoque institutione confessionem Sacramentalem esse debere integram; & tamen necessitatem facere, vt confessio mutilata, sufficiens sit ad obtinendam Sacramentalem absolutionem. Quocirca necessitatem similiter facere posse, vt ad eamdem obtinendam, sufficiat confessionem fieri in genere de propriis peccatis, quando ad speciem & numerum descendi non potest. Confirmatur, quia si quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est, cuius speciei fuerit illud peccatum, potest (imò & debet) confiteri se peccatum mortale admisisse; cuius nequit

l tom. 4. disput. 23. sect. 1.

m in sua summa, lib. 4. cap. 9. in fine & li. 6. cap. 10. §. 7.

nequit in particulari meminisse. Idem iudicium est, si nec recordetur, mortaléne fuerit, an veniale. Quã doctrinam ex D. Thoma, & aliis adfert à Viualdo *n* & ex maiore Nauarrus in Enchirid. *o* Neque illud, quòd Iudicis sententia apta esse non possit, nisi in particulari cognoscantur peccata, multùm vrget; quia in casu proposito faterentur aduersarij confitentem, si vel vnicum veniale expressisset in particulari, absolui posse: quo tamen posito, nemo dixerit cognosci tunc à Confessario peccata Pœnitentis in specie, & numero, sufficienter ad ferendũ aptum iudicium; quale aduersarij volunt fieri tantùm delictis à Iudice sigillatim cognitis. Itaque tale quid necessarium quidem est omnino, in iudicio instituto ad punitionẽ delinquentis, quæ delicto correspondere debet: non tamen in instituto ad delinquentis curationem, & emendationem: quale est iudicium pœnitentiale, vt rectè expositum est à Caietano. *p*

n sub finem cit. num. 71.
o ca. 10. nu. 7.
p in tom. 1. opusc. tract. 5. q. 3. 17.

Porro quod D. Antoninus *q* vult propositã doctrinam procedere etiam cùm Pœnitens nondum præsente sacerdote dicta contritionis signa dederit, si interueniat sufficiens testimonium eorum, qui præsentes fuerunt, cùm illa daret, rationi consentaneum est; quia ibi cernitur confessio facta per interpretem, qua Pœnitentis mens per alium declaratur, perinde ac dum verba illius ignota explicantur in consueta confessione per interpretem, nec est, quod obiiciatur ibi posse esse deceptionem falsò attestantium: quia hîc quoque potest esse deceptio falsò interpretantium.

q 3. par tit. 10. cap. 2.

Negandum tamen non est, quin ea res prudentiam requirat Confessarij, ne quibusuis, ac quouis modo attestantibus credat, néve vbi alia remedia

suppeterent, istiusmodi vsurpet; itémque non vrgente æternæ damnationis vitandæ necessitate, vt quando æger probabiliter crederetur contritus, eique sine irreuerentiæ periculo porrigi posset sacrosancta Eucharistia, vel saltem extrema vnctio.

Quomodo absolui potest æger ad sacrilegium cauendum sub conditione.

Adde ad sacrilegium cauendum, in dubio absolutionem sub conditione de præsenti, sic dandam esse: si tu es capax absolutionis, ego te absoluo, &c. Quod mihi placuit notatum inuenisse apud Melchiorem Zambranum in suis decisionibus aureis, cap. 4. dubio 2. in quo de tota hac re fusè agit: cùm in cæteris compendiosus sit.

28. Pro praxi verò sufficiet sequentia documẽta addidisse. Primum est, cùm interuenit vera necessitas: nempe cùm mortis probabile periculum Confessarius alioqui incurreret (vt in graui contagione) posse absolutionem dari ante consummatam integram confessionem. Ratio est, quia præceptum de integritate confessionis non obligat (vt nec aliud positiuum) ad simpliciter, aut etiam moraliter impossibile.

Secundum est, quoad fieri potest dandam esse materiam certam; seu in confessione exprimendum esse, si possit fieri, peccatum in sua specie; etiamsi quis nullius mortalis esset sibi conscius. Ratio est, quia religio Sacramenti id postulat.

Tertium est, habentem peccatum mortale debere potiùs de illo cõfiteri breui eo tempore, quàm de quocumque veniali: ratio est, quia peccatũ mortale de necessitate præcepti confitendum est, non autem veniale.

Quartum est, si Pœnitens absoluatur propter probabilem timorem mortis ante perfectam confessionem

fessionem, nec statim sequatur mors, confessionē ipsam continuari debere, donec integrè fiat, si tempus ad id concedatur. Ratio est, quia ipsum integrè confiteri necessarium est per se, necessitate præcepti; & ideo implendum quantum fieri potest, dum durat periculum mortis, propter quod viget eiusdē præcepti obligatio: finita verò tali cōfessionis continuatione, danda est iterum absolutio: eo quòd renouum Sacramentum in ea perficitur distinctum numero à priùs collato.

Si pœnitens absoluatur ob mortis periculum, quando cōfessio sit renouanda.

Quarta difficultas quid agere debeat Confessarius, cum aliquem ex ignorantia absoluit, quem non poterat ob casum reseruatum, vel aliud impedimentum. aut cui in præiudicium tertij dixerit, non esse restituendum, quod erat reuera alienum.

DE hac olim disputatum fuisse in Cōcilio Basilien. nec quidquam resolutum ob varietatem sententiarum, meminerunt Medina in Cod. de Confess. *s* à Victor. de Sacram. *t* & Sotus in 4. *v* ex Ioanne Nider qui eidem disputationi interfuit. Ea autem explicanda est distinctione: (de qua plenius Suarez *x*) nam si Confessarius, cui aliquid tale contigerit, probabiliter timeat scandalum in conueniendo pœnitente; vt quia is conquesturus est de reuelatione Confessionis, debet (inquit à Victoria, & ante eum D. Antoninus *y*) illum relinquere, & Christo sacerdoti summo cōmittere: præsertim quando multi sunt, vel à loco sacerdotis longè distanti, in quorum Confessionibus defectus conti-

19.
s quæst. 35. in fine.
t nu. 185.
v distin. 18. quæst. 4. art. 6. col. 4.
x tom. 4. disput. 32. sect. 6.
y 3. par. tit. 17. cap. 12.

Sacerdos qui absoluit, quē nō potuit, quid faciat.

git, prout quibusdam placuisse habet D. Antoninus. Sin nullum sacerdos scandalum notabile probabiliter timeat, debet ipse conuenire pœnitentẽ, & docere grauem errorem in audientia Confessionis suæ commissum esse: ideóque petere vt velit iterum sibi confiteri, vel saltem sibi facere potestatem sub eodem Sacramentali sigillo, ipsum docendi veritatem. Ita Sotus: addens pœnitentem, tunc teneri consilium sacerdotis capere: sique illud respuerit, transfundi in ipsum culpam Sacerdotis. Neque ex eo excusabitur, quòd ita videatur suum peccatum ei extra Confessionem exprobrari; quia, vt attigit à Victoria, non fit ei iniuria, tale quid dicendo, quale ex Soto propositum est. Quòd si pudore inde fortè afficiatur, tamquam ei exprobrentur sua peccata, id imbecillitati suæ tribuere debet, non iustæ petitioni Confessarij. Iam si acquieuerit (inquit à Victor.) dicam ei, *confitere peccata in generali*, id est, *dic Confiteor de omnibus peccatis, quæ tibi in tali confessione aperui: ac declara si quæ adhuc alia commisisti, quia in illa tua Confessione contigit talis defectus, ex quo fuit invalida. Aut si me dicente sibi, scias quòd in Cõfessione mihi à te facta defectus quidam commissus sit, vis illum audire? ipse respondeat se velle, dicam ei sine scrupulo: scias quòd tu eras excommunicatus, & ego non potui te absoluere; vel aliud, quod fortè interuenerit impedimẽtum absolutionis.* Nam si ex communi doctrina in praxi fori pœnitentiæ tradẽda, *a* licet de pœnitentis licentia, peccata ipsius alteri reuelare, multò magis ipsimet, si licentiam dederit.

a par. 1. libr. 3. cap. 5. sect. priore.

Aduerte autem ex Soto, si error, quem in confessione commissum Confessarius deprehendit, nó sit adeo grauis, ac pœnitens absolutus fuisse creda-

tur:

tur: non esse curandum de illo reuocando, & conueniendo: maximè cùm non facilè, imò (vt aduersus Paludanum habet à Victoria *b*) nullo modo liceat Confessario de peccato sibi confesso monere pœnitentem, ne quidem secretò, & correctionis gratia: excepto casu antedicti defectus cui Confessarius, qua ratione potest, remediũ adhibere debet, tamquam is, qui illi causam dedit, vt cõfirmat Medina *c*.

b in fine cit. nu. 185.

c loco citato.

Quinta difficultas: quid agere debeat Confessarius, cùm sine absolutione aliquem dimisit illius capacem.

DE hac notandum est congruenter antedictis: quando constat Confessario, (cùm dubitat debere sub conditione absoluere dicendo. *Si non es absolutus, ego te absoluo*, iam antea notauimus) se non absoluisse pœnitentem debitè confessum quidem, sed per inaduertentiam à se dimissum sine absolutione: tunc eumdem pœnitẽtem si adhuc præsens sit, etiamsi aliquantulum remotus, debere reuocari: cum ea dexteritate tamen, vt admissa negligentia aliis minimè prodatur. Si verò nequeat absque scandalo reuocari, talisque pœnitens sit, qui communionem expectet, vel de quo ex personæ qualitate probabiliter constet Confessario, quòd nondum in nouum peccatũ mortale inciderit, debere absolui etiam aliquantulum remotum, nisi de præsentia ipsius, Confessarius dubitaret: quia tunc sicut & quando constaret recessisse ab eo loco (vt discessisse ex templo) expectanda esset commoditas

Quid faciet cõfessarius qui non absoluit quẽ potuit & debuit.

tas illum reuocandi, eo modo, quo in præcedenti difficultate dictum est.

Notandum est præterea, cùm per nouam absolutionem supplendus est defectus in præced. Confessione commissus, si is essentialis fuerit, id est, de numero eorum, qui confessionem ipsam reddunt inualidam (vt cùm facta fuit sine iusto dolore, aut sine debita integritate, aut non habenti iurisdictionem) tunc confessionem ipsam de necessitate iterandam esse. Quamquam si iteratur eidem sacerdoti qui adhuc memor est illius, sufficit dicere: se de illis de quibus antea malè confessus est, iam ex animo confiteri addito defectu commisso, atque aliis peccatis, si quæ adhuc sunt, quibus suam conscientiam grauari sentiat. Si verò defectus non sit confessioni essentialis, vt cùm oritur ex eo quòd cófessor nõ protulit formã absolutionis, distinguendum est quemadmodum habet Suarez tom. 4. e nam si habens iurisdictionem sufficiẽtem, iam imposuit pœnitentiam; is ad absoluendum de nouo non indiget memoriâ peccatorum, immò (vt ille contra Nauarrum addit) neque memoriâ pœnitentiæ impositæ; sed satis est, vt recordetur illum pœnitẽtem suum bene dispositum fuisse, ritéque confessum; nec postea ipso testante (cui credẽdum est) quidquam graue commisisse. Sin autem neque pœnitentiam imposuit, neque in particulari, neque secundùm confusam aliquam, & moralem rationem recordetur grauitatis peccatorum, & status conscientiæ pœnitentis, oportet vt rectè suo munere fungatur, ipsum iteratam notitiam postulare: quia licet ad validè absoluendum necessaria non sit in Confessario notitia & memoria distincta peccatorum

e disput. 22. sect. 6 sub finem.

rum (quandoquidem sine illa possunt interuenire omnia, quæ essentialia sunt Sacramento: materia, in quam & forma cum debita ministri potestate, & intentione) requiritur tamen ad imponẽdam condignam pœnitentiam cum æquitate iudicij, & ad consilium, & remedium, medicinámque accommodatam pœnitenti adhibendam. Quod notabile habet etiam Henriquez libr. 5. *f* alios citans in margine.

f cap. 15. in fine.

CAPVT XXII.

De prudentia Confessarij in prouidendo, ne munus suum exequatur non idoneus ad illud, tamquam carens conditione aliqua necessaria: puta potestate, aut vsu potestatis, aut scientia, aut bonitate, aut Episcopali approbatione.

SVMMARIVM.

1. *Requisita, vt quis sit Confessarius, seu Sacramenti pœnitentiæ idoneus minister.* 2. *Duplex potestas; vna ordinis, altera iurisdictionis; & vnde accipiatur.* 3. *Vtriusque necessitas ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ.* 4. *Sex modi acquirendi iurisdictionem delegatam, seu extraordinariam.* 5. *Duo modi quibus in Confessario impeditur vsus iurisdictionis, quorum prior est per censuram Ecclesiasticam: & quam.* 6. *Posterior per casuum reseruationem.* 7. *Casus Episcopo reseruati de iure communi.* 8. *Reseruati in bulla*

bulla cœnæ Domini. 9. *Reseruati in decreto, & decretalibus.* 10. *Reseruati in Clementinis, & extrauagantibus.* 11. *Reseruati tam extra corpus iuris, quàm bullam cœnæ Domini.* 12. *Sine licentia superioris sacerdos inferior, nequit à reseruatis directè absoluere.* 13. *Nec etiam indirectè (ne quidem cum onere præsentandi se superiori) nisi iuxta adfuerit causa.* 14. *Quomodo ex bona fide pœnitentis, valida esse possit absolutio, habenti casum reseruatum data ab inferiori, sine licentia superioris.* 15. *Ex hac pari bona fide validè absolui potest à simplice sacerdote ille, qui probabiliter putans se habere tantùm venialia, habet quoque mortalia.* 16. *In articulo mortis quilibet sacerdos, quemlibet pœnitentem absoluere potest à quibuslibet peccatis.* 17. *Episcopi potestas absoluēdi à peccatis qualis sit.* 18. *Ob vrgentem necessitatem vitandi probabile mortis periculum, aut graue scandalum, licere potest inferiori, absoluere, debitè dispositum, etiamsi habeat casum aliquem reseruatum.* 19. *Negantes id procedere cum reseruatio fuerit ratione censuræ.* 20. *Quatenus teneri possit contrarium.* 21. *Absolutus à reseruatis per eum, cui facta est ad id commissio à superiore, non tenetur se huic postea præsentare, nisi idem superior committendo, imposuisset tale onus.* 22. *Quid agendum habenti casum reseruatum cùm superior adiri potest.* 23. *Si superior auditis solis reseruatis remittat ad inferiorem pro cæteris audiendis, probabile est eidem inferiori aperienda adhuc esse ipsa reseruata. Reliquam partem summarij habebis præmissam tertiæ parti.*

CONFES

CONFESSARIVS in executione sui muneris absoluendi, circumspectum esse oportet, non tantùm respectu pœnitentis: sed etiam respectu sui, ne scilicet non idoneus temerè ingerat se ad illud obeundum in suam, & pœnitentis perniciem. Quocirca hac quoque ex parte prudentia illi necessaria est: qua sibi caueat à grauis sacrilegij periculo: cui exponitur nisi sollicitus sit dispicere circumspectè, an desit sibi aliqua ex conditionibus requisitis in idoneo Sacramenti pœnitentiæ ministro, qui perinde ac materia & forma debita, ad eiusmodi Sacramenti validitatem exigitur iuxta manifestam definitionem Concilij Florentini in instructione Armenorum. Cuiusmodi conditiones sunt; potestas tum ordinis, tum iurisdictionis, vsus potestatis iurisdictionis non impeditus: scientia, bonitas, Episcopalis approbatio: quarum pleniorem explicationem prosequimur in praxi fori pœnitentialis parte 1. toto libro 1. Hic tantùm ea attingemus, ex quibus possit quis examinare seipsum, ne temerè vsurpans ministerium tanti ponderis ac momenti, seipsum perdat, dum vult alienæ saluti consulere. 1.

Quę requiruntur in idoneo ministro pœnitentiæ.

Pars prima capitis, De potestate requisita, vt censeatur quis idoneus Sacracramenti pœnitentiæ minister.

DVplex distinguitur istiusmodi potestas: vna ordinis Sacerdotalis: quæ accipitur in collatione eiusdem ordinis, cùm Episcopus ponens manus super capita eorũ quos initiat, ait, *Accipite Spiritum* 2.

Duplex potestas requisita in Confessore, ordinis, & iurisdictionis.

ritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Altera verò iurisdictionis: quæ accipitur cùm quis præficitur super aliquam multitudinem, aut aliquam certam personam ad ius dicendum in causa Dei offensi; seu quod idem est, ad peccatorem sibi subiectum facta ab eo confessione suorum peccatorum, absoluendum à culpa, & obligandum ad satisfactionem, non tamen inuitum: quandoquidem nemo nisi volens suscipit pœnitentiæ sacramentum, ad quod eiusmodi sententiæ prolatio pertinet. Contingit verò eiusmodi acceptio dupliciter: tum quando quis præficitur alicui populo, ad hoc, vt ex officio curam animarum gerat; vt quando Papa creatur, aut aliquis constituitur alicuius diœcesis Episcopus, aut curatus alicuius parochiæ, aut prælatus alicuius Ecclesiasticæ familiæ: tum etiam quando talis aliquis suam iurisdictionem communicat cum altero, qui suas vices gerat in administrando pœnitentiæ sacramento. Vnde est, quòd iurisdictio istiusmodi, in ordinariam, & delegatam distinguitur; quarum illa sit eius, cui animarum cura incumbit ex officio: hæc verò eius, cui eadem cura incumbit tantùm ex delegatione.

Nemo nisi volens suscepit pœnitentiæ Sacramentum.

Iurisdictio ordinaria est, aut delegata.

3. Atque de necessitate potestatis ordinis in idoneo Confessario, definitio est aperta in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. & can. 10. cùm statuit solos sacerdotes esse absolutionis ministros: neque ad alios extendi debere verba Domini Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, &c.* Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, re-*

tenta

tenta sunt. De necessitate verò potestatis iurisdictionis constat ex Concil. Floren. in instructione Armenorum de Sacramento pœnitentiæ, & ex Concilio Triden. in sequen. cap. 7. vbi adfertur in confirmationem: quòd natura & ratio iudicij id exposcat, vt sententia in subditos duntaxat proferatur. Quæ cùm ita sint, patet Confessarium prouidere debere, ne quem absoluere præsumat, qui non sit de populo sibi commisso: vt esse censentur qui domicilium habent in ipsius diœcesi, si quidem sit Episcopus; vel in ipsius parochia, si sit parochus: vel pertineat ad ipsius Ecclesiasticam familiam, si sit prælatus: vel certè in quem habeat iurisdictionem ex delegatione ordinarij, id est, Papæ, vel Episcopi, alteriúsve, cui ille tamquam proprio pastori subiiciatur. Cuiusmodi delegatæ iurisdictionis acquirendæ sex modos Caiet. refert in verbo absolutio à peccatis *b*.

b cap. 2. 4.

Sex modi acquirendæ iurisdictionis delegatæ.

Primus est per commissionem: cùm ille, qui ex pastoris officio ordinariam habet, commiserit alicui vice sua audientiam confessionum.

Secundus per necessitatem: ea enim dat iurisdictionem extraordinariam in articulo mortis, de qua Concilij Tridentinum sess. 14. cap. 7. (aliquot canonibus in margine pro eo notatis) habet: *In articulo mortis omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis & censuris absoluere posse.*

Tertius est per libertatem, qua homo est talis status, vt nulli sacerdoti subiiciatur tamquam proprio pastori. Ea verò, vt loco cit. notat Caietanus, inuenitur vno ex tribus modis; nempe, vel ex eo quòd persona nulli sacerdoti sit subdita, vt Papa: vel ex eo quòd persona numquā hæreat in eodem

loco, ita vt ratio non sit, cur vni particulari sacerdoti subiiciatur potiùs, quàm alteri: tales personæ sunt vagabundi, qui nullibi consistunt; & quantumuis alicubi domicilium cum liberis habeant, tamen communiter huc, illúcque vagantur; ita vt consueuerint, etiam in paschate abesse. Vel denique ex eo quòd talis persona solùm habeat venialia peccata; ob quæ cùm nulli Confessario subiiciatur à iure, potest à quocumque sacerdote validè absolui.

Quartus modus est per facultatem qualis est, tum ea qua certi alicuius status hominibus ius concedit eligere Confessarium, vt Episcopis, & superioribus prælatis in cap. fin. de pœniten. & remiss. tum etiam ea, quam ius nonnullis concedit audiendi confessiones, vt in Clemen. Dudum. de sepulturis. concedit religiosis mendicantibus.

Quintus modus est per licentiam, siue tacitam siue expressam, quarum illa tunc contingit, cùm Pœnitentiæ Sacramentum administratur vidente, seu sciente proprio Sacerdote, qui potest contradicere, nec contradicit: hæc autem cõtingit non modò, cùm fuerit specialis, hoc est, specialiter ad audiendas confessiones data sacerdoti alieno: sed etiã cùm fuerit generalis, hoc est, data generaliter ad exercenda, quæ pertinent ad curam animarum, vel ad sacramenta omnia administranda. Item non modò cùm fuerit expressa, sed etiam cùm implicita: qualis est quæ æquiualet speciali, & contingit quãdocumque ex verbis, aut aliis signis proprij sacerdotis, communiter intelligitur talem concedi etiamsi Pœnitentiæ Sacramentum non nominetur specialiter, iuxta Caiet. c

c in verbo excõmunicato c. 64.

Sextus

Sextus modus est per cõsuetudinem: non quòd hæc reuera det iurisdictionem (vt Caietanus notat in citato verbo Absolutio sub finem:& patet ex eo quod in cap.Si Episcopus.de pœniten. & remiss.in 6.dicitur:*nulla consuetudine introduci posse, quòd aliquis præter sui superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat,qui eũ possit absoluere & ligare*) sed quòd ea sit testis tacitæ licentiæ,à proprio sacerdote sufficienter concessæ, nec reuocatæ: cùm illius continuationem,continuatio consuetudinis ostendat.

Pars altera capitis. De vsu potestatis iurisdictionis non impedito,qui in idoneo Sacramenti Pœnitentiæ ministro requiritur.

QVòd in Confessario ad validè absoluendum necessarius sit vsus iurisdictionis non impeditus,patet ex eo quòd ille alioqui iurisdictionẽ habeat tamquam gladium in vagina conditum,quem nequit ad secandum educere. 5.

Quomodo impediatur iurisdictionis vsus.

Duobus autẽ modis contingit tale impedimentum:vno modo per censuram Ecclesiasticam: qua iurisdictio suspendatur, seu exerceri prohibeatur sufficienti superioris auctoritate. Altero modo per casuum reseruationem.

De priore notandum est locum habere tantùm in duobus casibus propter decretum Concilij Constantiensis, cuius verba refert D. Antoninus in 3. part.tit.25. c. 3. *d* quo decreto Christi fidelibus indulgetur communicatio in Sacramentorum administratione, & susceptione, cum Ecclesiastica cen-

d Referunt adhuc plures alij, sed aliqui differẽter, prout tradimus in cit. libr. 1. c. nono sect. posteriore.

sura innodato : nisi contra ipsum speciatim, & expressè fuerit Iudicis auctoritate publicata ; aut nisi incursa sit ob Clerici percussionem ita notoriam, vt nulla tergiuersatione celari possit, nec per aliquod iuris remedium excusari.

Quia igitur Ecclesia cæteros censura innodatos tolerat in executione sui officij, nihil impedit, quominus eadem censeatur valida, atque adeo & absolutio Sacramentalis ab ipsis data : de qua re Nauarrus in Enchir. cap. nono nu. 7. in præced. 6. apertè docens in duobus præmissis casibus cõtingere impedimentum absoluendi validè, seu absolutionem datam ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto publicè denunciato, declaratóve pro tali nominatim; aut à Clerici percussore ita notorio, vt celari nequeat, nihil valere quoniam talis ab officio Iudicis repellitur ex cap. Exceptionem. de exceptionibus: & sententia ipsius, ex cap. Ad probandum. de sententia & re iudicata, infirmãda est, seu reputanda irrita, ex glosa ibidem ad verbum Cassata.

6. De posteriore modo notandum est, quòd vt superiores Ecclesiastici non subiiciunt absque discrimine omnes suos subditos, omnibus sacerdotibus, quos in partem suæ solicitudinis assumunt : ita nec subiicere omnibus omnia peccata eorumdem subditorum ; sed tot ex illis subtrahere, quot iudicant expedire ad regendam, ac moderandam Ecclesiam sibi commissam: cuiusmodi subtractio peccatorum dicitur reseruatio casuum, approbata in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. tamquam magnopere pertinens ad populi Christiani disciplinam : neque in externa tantùm politia, sed etiam corã Deo vim habens: adeo vt ex definitione eiusdem Concilij in eadem

De casibus reseruatis.

eadem sess. Can. 11. ipsa impediat, quo minus sacerdos verè absoluat. Vnde patet Confessarium debere solicitum esse, de paranda sibi notitia casuum reseruatorum, tamquam necessaria ad cauendum periculum sacrilegij, in absoluendo. Illam autem in Praxi fori pœnitentialis pro re nata tradimus: hîc verò instituta breuitas non patitur, vt plura dicamus, quàm quæ omninò necessaria sunt Confessario, vt liber sit à temeritate exponendi se periculo proposito, non valendo illud detegere. Itaque indicabimus tantùm, qui casus sint reseruati: additis aliquot documentis, ex quibus Confessarius inferior intelligat quid agere debeat cùm occurrit ei pœnitens casum habens reseruatum superiori.

Casuum reseruatio cognitu necessaria.

Qui casus sint reseruati.

DE reseruatis Episcopo iure particulari suæ diœcesis, consulenda sunt statuta cuiusque synodalia, & loci consuetudines: propterea quòd contingit eos esse varios pro varietate iudiciorum; frequenter enim fit, vt vnus Episcopus iudicet aliquid suo Episcopatui conuenire, quod alter non iudicat conuenire suo. Reseruati verò iure, aut saltem consuetudine communi totius Ecclesiæ, hi sunt ex extrauaganti communi. Inter cunctas 55. Incendiarios. De priuilegiis. Primus incendiariorum domorum, frugum, & aliarum rerum, cum notabili detrimento ex proposito factum, atque consilium & auxilium ad illud præstitum, iuxta cap. Pessimam. 23. quæst. 8. 7.

Casus reseruati Episcopi iure, & consuetudine hi sunt.

Secundus est homicidium voluntarium, seu dedita opera perpetratum. Tertius, falsitas admissa

in exhibendis scripturis, aut in dicendo testimonio aut in tacenda veritate coram Iudice. Quartus, violatio Ecclesiasticæ libertatis, id est, qua personæ, vel res Ecclesiasticæ grauantur iniustè. Sed is ordinariè reseruatur Papæ in bulla Cœnæ Domini. Quintus est violatio Ecclesiasticæ immunitatis: seu qua quis in Ecclesia, vel spatio in circuitu illius priuilegiato, offendit proximum in persona, vel rebus. Sextus est, sortilegium, & diuinatio. Quorum casuum extensionem factam à Syluestro & Nauarro Suarez reiicit *a* per illud, quòd nullo iure muniti in materia odiosa, ampliatione vtantur: quam illa non admittit, etiam roboratam argumento à simili, vel paritate rationis.

a tom. 4. disput. 29. sect. 3. nu. 10.

Cæteri casus reseruati iure communi totius Ecclesiæ sunt excommunicationes maiores, quibus nonnulla peccata sic puniuntur, vt earum absolutio summo Pontifici reseruetur: quarum aliæ continentur in bulla cœnæ Domini, aliæ verò in corpore iuris canonici insertæ inueniuntur: aliæ demum tam extra hoc, quàm extra illam habentur latæ specialibus constitutionibus.

Excommunicationes reseruatæ in bulla cœnæ Domini.

8. Excommunicationes bullæ cœnæ Domini.

COntentæ autẽ in bulla cœnæ Domini, sunt; Prima in hæreticos cuiuscumq; sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, ac schismaticos. Secunda in appellantes ad futurum Concilium, eorúmque fautores. Tertia in piratas, & eorum receptatores, & fautores. Quarta in naufragorum Christianorum cuiuscumque generis

generis bona, etiam in littoribus inuenta, surripientes. Quinta in imponentes noua pedagia, & gabellas, vel augentes. Sexta in falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes à quocumque auctoritatem habente seruatas: aut falsò fabricantes literas Apostolicas. Septima in deferentes arma, aut alia vsui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; vel ad reipubl. Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum nunciantes. Octaua in impedientes eos qui victualia & alia necessaria Romam conuehunt. Nona in eos qui ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ, aut aliorum operâ lædunt, & sine iurisdictione vexant in Curia commorantes. Decima in eos qui lædunt Romipetas, ac peregrinos: etiam in vrbe morantes vel abeuntes. Vndecima in offendentes S. R. E. Cardinales, & alios prælatos. Duodecima in lædentes eos, qui per se, vel per alios recurrunt ad Romanam curiam pro suis negotiis. Decima tertia in eos, qui à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, appellant ad potestatem laicam. Decima quarta in eos qui impediunt, & prohibent expeditionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, ad gratias impetrandas. Decima quinta in iudices sæculares, qui Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. Decima sexta in eos qui prælatos impediunt, ne sua iurisdictione vtantur: quique illorum & delegatorum iudicia eludentes, ad curiam secularem recurrunt, aut contra illos decernunt: atque præstantes auxilium. Decima septima in vsurpantes sedis Apostolicæ & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel

etiam fructus sequestrantes. Decima octaua, Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus. Decima nona, in Iudices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas. Vigesima in occupantes terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes. Harum explicatio satis copiosa habetur in Praxi fori pœnitentialis par. 2. lib. 5. à cap. 13. ad finem vsque.

Excommunicationes reseruatæ in decreto & decretalibus.

9. Excommunicationes contentæ in decreto & decretalibus.

EX contentis in corpore iuris Canonici 1. habetur 17. quæst. 4. cap. Si quis suadente diabolo (quam vnicam esse in decreto Gratiani ostendit Suarez tomo 5. disput. 22. sect. 1.) lata in percussore Clerici vel monachi: de qua pluribus egimus praxi fori pœnitentialis addita in appendice ad librum 1. partis 1. sequentes verò (quas passim pro re nata tractamus in 3. parte tomo 2.) Suarez in citata disp. 22. præter cæteros persequitur accuratè, eo ordine, quo illas deinceps proponemus. Secunda est igitur lata à delegato Papæ, in eum, qui rei iudicatæ parere contemnit; Illa enim post annum transactum manet reseruata Papæ, ex cap. Quærenti. de officio Delegati. in antiquis decretalibus. Tertia est lata in falsarium literarum Apostolicarum. ex cap. Ad falsariorum. De crimine falsi. quæ habetur etiam in bulla cœnæ Domini. Quarta est, excommunicatio promulgata ab Episcopo contra eos, qui literas falsas Apostolicas habentes, non

destruunt

destruunt eas, aut resignant intra 20. dies. Postquam enim contracta fuerit, recurrendum est ad Papam pro absolutione ex cap. Dura. de crimine falsi. §. adiicientes. Quinta est ex cap. Conquesti. de sententia excommunicationis lata in sacrilegos qui violenter Ecclesiam confregerint, eámque spoliare minimè dubitauerint. Sexta lata in incendiarios: qui postquam sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi. ex cap. Tua nos. de sententia excommunicationis in 6. Nona est lata ibidem per cap. Eos qui, in illos qui post absolutionem à priore excommunicatione reseruata Papæ obtentam sub conditione comparandi coram ipso Papa, vel satisfaciendi parti læsæ, talem conditionem non implent tempore debito. Decima est lata in cap. fœlicis, de pœnis. eodem libro, contra eum, qui in Cardinalem S. R. E. manus violentas iniecerit, aut illum hostiliter insecutus fuerit: quæ habetur etiam reseruata in bulla cœnæ Domini.

Excommunicationes reseruatæ in clementinis & extrauagantibus.

VNdecima habetur ex Clement. prima de hæreticis. §. verum. contra inquisitores, vel eos, qui vices ipsorum gerunt, ipsorúmve loco ad illud officium agendum deputantur, si in vsu sui officij ita deliquerint: vt odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut temporalis commodi obtentu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint contra aliquem procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate; aut obtentu eodem, prauitatem ipsam,

10. Excommunicationes contētæ in extrauagātibus.

vel impedimentum officij sui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare.

Duodecima habetur in Clementina Religiosi.de priuilegiis, lata contra religiosos, qui Sacramenta extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ ministrare, vel matrimonia solemnizare, sine parochialis presbyteri licentia speciali, vel qui excommunicatos à canone, præterquam in casibus eis à Pontifice concessis, absoluunt: vel etiam à sententiis per statuta synodalia, aut prouincialia promulgatis: seu à pœna & à culpa (vt aiunt) absoluere præsumpserint.

Decimatertia habetur ex Clement. Cupientes §. Sanè. de pœnis. lata in religiosos, & in clericos seculares, violantes constitutionem Bonifacij in cap. 1. de sepulturis, in 6. ne aliquis clericus secularis, aut religiosus inducat quempiam, ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs, promittendum, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutent.

Violantes interdictũ quomodo excommunicentur.

Decimaquarta habetur ex Clement. Grauis. de sententia excommunicationis, lata in violantes interdictum per vnam ex quatuor actionibus: quarum prima est, quemquam quomodolibet cogere ad officia diuina celebranda in loco interdicto. Secunda: aliquos, præsertim excõmunicationis, vel interdicti censura ligatos, euocare ad prædicta officia audienda. Tertia prohibere, ne excommunicati publici, aut interdicti ab Ecclesiis exeant, dum in eis Missarum solemnia celebrantur, etiam à celebrantibus admoniti. Quarta est publicè excommunicatum, aut interdictum existentem in Ecclesia dum Missarum solemnia celebrantur, etiam nominatim monitum à celebrante vt exeat, nihilo

hilominus permanere, ac exire nolle.

Decimaquinta habetur ex Clementina. *Si quis* ſuadente, de pœnis, lata in eos qui violentas manus iniiciunt in Epiſcopum, quæ habetur quoque ex bulla cœnæ Domini. Decimaſexta: habetur ex extrauaganti prima de ſepulturis, lata in dilacerantes, aut exenterantes corpora defunctorum hominum, vt conſeruentur, vel vt decoquantur, vt oſſa poſſint in alia loca transferri.

Decimaſeptima ex extrauag. prima de ſimonia contra eos, qui dant, vel recipiũt aliquid ob ingreſſum religionis per modum pacti, & conuentionis.

Decimaoctaua ex extrauag. prima de regularibus, in qua Martinus IIII. prohibet ne religioſi mendicantes ad aliam religionem tranſeant, excepta Carthuſienſi, abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, fertque excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrendam, & ſibi reſeruatam, tam in recipientes, quàm in receptos, cõtra eamdem conſtitutionem. Decimanona quam ex ſecunda extrauag. communi. De ſimonia. incurrunt qui ſimoniæ peccatum committunt: quam intellige de ſimonia reali conſummata, id eſt, in qua de facto datum, & acceptatum eſt temporale pro ſpiritali, vt pleniùs in praxi fori pœnitent. declaramus ſuo loco agentes de ſimonia. Vigeſima, habetur ex extrauag. Graue nimis. de reliquiis & vener. ſanctorum. in qua Sixtus quartus excommunicationem ipſo iure latam, ſibique reſeruatam, profert in præſumentes affirmare illos, qui credunt, aut tenent beatiſſimam Virginem Mariam ab originali peccato fuiſſe præſeruatam, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore: vel mortaliter peccare; vel

etiam

etiam eos qui officium conceptionis celebrant, vel conciones audiunt eorum qui ipsam sine macula peccati conceptam esse prædicant; vel libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent, vel habent, vel alicuius peccati reatum incurrere. Profert similiter in eos, qui affirmant hæresim esse, aut peccatum mortale eum incurrere, qui docuerit aut asseruerit beatam Virginem in originali peccato conceptam fuisse.

Excommunicationes reseruatæ extra corpus iuris Canonici, & bullam cœnæ Domini.

11. Excommunicationes extra Bullã, & corpus iuris canonici.

QVod attinet ad excommunicationes, quæ tam extra corpus iuris, quàm extra bullam cœnæ Domini latæ inueniuntur per varias constitutiones, aut motus proprios summorum pontificum, sufficiet eas attigisse, quæ sunt totius Ecclesiæ communes, & positæ in quotidiano vsu. Quoad cæteras enim, quæ speciales sunt pro aliqua congregatione, vel natione, aut quæ non sunt in vsu, ignorantia excusare potest à periculo sacrilegij, prout indicat Suarez in citata disput. 22. in initio & in fine sectionis sextæ. Itaque contenti erimus sequentes attingere, quas idem in eadem sectione tractat.

Prima est lata à Leone 10. in Concilio Lateran. sess. 11. contra prædicatores qui contraueñerint iis quæ ibi præcipiuntur: quorum primum est, vt Euãgelicam veritatem, & sanctam Scripturam iuxta doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent, nihilque

hilque adiiciant contrarium, aut dissonum vero sensui Scripturæ. Secundum est, vt tempus præfixum futurorum malorum, vel aduentus Antichristi, aut certum iudicij diem prædicere non præsumant. Tertium, ne alia futura quasi sibi specialiter reuelata dicant,aut alienas inanésque diuinationes asseuerent. Quartum, vt à prælatorum, aliorúmque superiorum, eorumque status scandalosa detractione abstineant. Secunda sumitur ex quodam motiuo Pij quinti,qui incipit Regularium personarum, lata in fœminas, quæ ingrediuntur monasteria Carthusiensium, & aliorum virorum vitam regularem agentium. Tertia ex eiusdem Pontificis constitutione,quæ incipit Intolerabilis:contra eos, qui committunt crimen simoniæ confidentiæ beneficialis: vt censentur, tum alij quorum ibidem mentio est: tum ij qui beneficium recipiunt,ab aliquo sub confidentia, quòd postea vel illud eidem restituent, vel alteri dabunt, vel fructus eius, aut eorum partem, aut pensionem eidem vel alteri soluent. Quarta quam Concilium Tridentinum sess.22. cap.11. de reform. fert in quoscumque siue clericos, siue laicos, qui præsumunt vsurpare quacumque arte, aut modo: bona, res, iura, fructus, reditus,aut iurisdictiones alicuius Ecclesiæ,aut beneficij secularis, aut regularis, montium pietatis, vel aliorum piorum locorum: vel impedientes, ne ab eis percipiantur, ad quos iure pertinent. Tales enim subiicit anathemati, donec plenè restituant, & à Romano Pontifice absoluantur.

Docu

Documenta ex quibus Confessarius inferior intelligere potest, quid agere debeat, cùm occurrit ei Pœnitens casum habens superiori reseruatum.

12. A reseruatis inferior licitè nõ potest absoluere.

PRimum est: secluſa facultate superioris, inferiorem non posse per se, ac directè absoluere à reseruatis validè: ac multò minùs licitè. Probatur, quia hac minimùm ratione verum est, quod Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. statuit. *Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis, & debere pœnitentibus persuadere, vt ad superiores accedant: pro absolutione*, videlicet obtinenda.

13. Integritas cõfessionis est de iure diuino.

Secundum documentum est nec per accidens, & indirectè, secluſa superioris auctoritate, sacerdotem inferiorem posse licitè absoluere à reseruatis; etiam impoſito onere præsentandi se superiori ipsi, nisi rationabilis adsit causa dimidiandi confessionem. Ratio est, quia cùm integritas confessionis sit de iure diuino, vt patet ex Concilio Tridentino, in præced. cap. 5. truncatio illius non potest esse licita, nisi rationabilis causa eam excuset. Facta autem eo modo, est truncata: quia licèt Pœnitens omnia sua peccata, tam reseruata quàm non reseruata proferat: non est tamen integra in ordine ad Sacramentum: quia sacramentalis confessio, non est quæcumque peccati manifestatio; sed accusatio sui in foro pœnitentiali coram Iudice iurisdictionem habente in Pœnitentem accusantem seipsum: Quia igitur talis sacerdos nõ habet iurisdictionem sufficientem (cùm non habeat pro tota causa, vt pote qui nihil potest in reseruatis) confessio certè

ei

ei sic facta,nõ censetur integra : tamquam ea cuius pars nõ est,ante dicta illa sui accusatio de reseruatis. Accedit, quòd si ideo proprius sacerdos possit absoluere subditũ à casibus superiori reseruatis, quòd possit à non reseruatis : quibus per Sacramentum sublatis,reseruata consequenter tolluntur: dici pariter posset simplicem sacerdotem posse à mortalibus absoluere, quia potest à venialibus : quandoquidem his quoque sublatis per Sacramentum, quo diuina gratia confertur, illa etiam (quæ cum eadem gratia consistere nequeant) consequenter auferri necesse est. Contra communem autem Ecclesiæ vsum est, vt simplices sacerdotes nulla necessitate vrgente, confessiones habentium peccata mortalia, audiant sine proprij pastoris facultate: nequidem sub hoc onere, quòd ei se postea offerant: cùm alioqui sub eo prætextu, passim quiuis sacerdos quibusuis audiendis se licitè offerret, quod absurdum est, & ab Ecclesiastica disciplina alienum, & querimoniarum, ac discordiarum seminarium.

Sacerdotes simplices cõfessiones mortalia habentium audire non possunt.

Tertium documentum est,antedicto modo data absolutionem,non esse ita illicitam, quin valida esse possit, si Pœnitens bona fide agat,nec obicem ponat gratiæ sacramentali.Quam esse cõmunem sententiam post Nauarrũ habet Suarez.*f* Probatur verò quia nullum validitatis impedimentum tunc esse potest, quàm ex parte ministri non habentis iurisdictionem in omnia peccata mortalia, quibus se Pœnitens contaminauit. At illud non est sufficiens, vt patet ex eo quòd omnium consensu, valida sit confessio facta inferiori carenti iurisdictione in reseruata, quando illam faciens habet qui

14.

f tom.4. disput.31. sect.2. nu.6.

quidem talia, sed eorum nullo modo recordatur, aut si recordetur, confitetur de illis tamquam de non reseruatis:penitus ignorans reseruata esse; cuiusmodi ignorantia, sicut & obliuio, excusabilem reddit dimidiationem, seu truncationem materialem confessionis:vbi aduerte, quòd etsi Pœnitens cùm per ignorantiam confitetur de reseruatis,tamquam non reseruatis,dicat omnia peccata sua coram sacerdote: non omnium tamen facere confessionem Sacramentalem: sed tantummodò illorum quæ eidem sacerdoti reseruata non sunt, subsuntque ipsius iurisdictioni, per quam possit ab illis directè absoluere. Vnde fit,vt reseruatorum expressio in confessione non magis impediat eam esse materialiter mutilam, quàm ipsorum obliuio, adeo vt de illa perinde, ac de mutila ex obliuione, dici possit quòd si rationabilis causa excuset, nihil esse, quod impediat valorem absolutionis super illam datæ:quæ directè quidem cadet, tantùm in peccata non reseruata absoluenti: in reseruata tamen cadet indirectè,seu hoc nomine, quòd cùm talia repugnent diuinæ gratiæ; hac beneficio sacramentalis absolutionis adueniente, ipsa eliminentur ab anima.

15. Sed obiici potest: si hæc ita sint, dici quoque posse, confitentem bona fide simplici sacerdoti de venialibus; si obliuiscatur mortalium, aut existimet venialia tantùm esse, quæ sunt mortalia, absolui validè. Cui obiectioni consequenter Suarez ita occurrit, vt concedat id probabile esse, quia licet sacerdos simplex non habeat iurisdictionem sufficientem ad iudicandum per se de mortalibus, habet tamen sufficientem ad perficiendum Pœnitentiæ

tentiæ Sacramentum: quod cùm vim habeat ſanctificandi hominem, habet etiam peccatum mortale, ſi in illo inueniatur, expellendi: faciendo ex inimico Dei amicum.

Quartum documentum eſt in articulo, aut probabili periculo mortis poſſe quemlibet ſacerdotem à quibuſuis caſibus reſeruatis directè abſoluere quemlibet Pœnitentem. hoc habetur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. Ad cuius intelligentiam pleniorem neceſſaria tradidimus in praxi fori pœnitentialis parte 1. *g* 16.

Quintum eſt Epiſcopum poſſe directè abſoluere à caſibus reſeruatis Papæ; cùm hic adiri non poteſt, vel cùm caſus ſunt occulti, nec ad forum externum deducti. hoc patet ex poteſtate eidem Epiſcopo conceſſa in iure à Concilio Tridentino, ſeſſ. 24. cap. 6. ad abſoluendum à talibus caſibus, de qua diximus, in ead. prima parte *h*, vbi monuimus illam extendi etiam ad caſus in bulla cœnæ Domini reſeruatos. Quod ipſum aſſerens Henriquez in ſua ſumma *i*, ex eo infert, quòd ſi quis in talem caſum incurrerit, & morbo detentus, vel incluſus, nequeat adire Epiſcopum; hunc auditâ causâ & perſonæ qualitate cognita, poſſe illum abſentem ab excommunicatione (non item à peccato) abſoluere, & ita liberare à reſeruatione; aut certè pleniorem cauſæ cognitionem committere prudenti viro ad id ſpecialiter delegato: dico (ſpecialiter) quia is eſt modus à Concilio Tridentino præſcriptus loco cit. Qua de cauſa peregrinus ab Epiſcopo loci, in quo peregrinatur, non poteſt à talibus caſibus abſolui, quia non eſt ad id ſpecialiter deputatus per proprium Epiſcopum eiuſdem

g lib. 1. ca. 7. num. 4. & aliquot ſequentibus.

17. Epiſcopus poteſt abſoluere à caſibus reſeruatis Papæ cum hic adiri non poteſt.

h lib. 1. c. 11. nu. 9. & 10.

i lib. 6. cap. 14. §. 7.

(peregrini inquam) sicut esset opus, iuxta Concilium ipsum Tridentinum, talem absolutionem committens proprio Episcopo, vel alteri, quem ipse ad id specialiter deputauerit. Quod tamen aduerte intelligendum esse de peregrino, qui ad breue solùm tempus vult morari in aliena diœcesi: quia ille, qui pro maiori anni parte morari statuit, eâdem ratione absolui potest, qua cæteri de diœcesi; quod etiam tangit Henriquez *k*: & probatur, quia per tale quasi domicilium peregrinus fit in foro pœnitentiali subditus pastori eiusdem loci, de qua re agimus in prima parte praxis fori pœnitentialis. *l*

k in seq. §. 8.

l lib. 1. cap. 7. num. 25.

18. Extra casũ mortis potest etiam quis absolui à reseruatis aliis de causis, quæ hic exprimuntur.

Sextum documentum est, extra mortis probabile periculum, si Pœnitentem vrgeat necessitas vitandi infamiam alicuius grauis criminis, de quo suspectus est, aut grauis scandali, nec adiri possit superior, posse illum de huius tacita licentia ab inferiori absolui, imposito onere eumdem superiorem postea adeundi pro reseruatis: aut si adiri possit quidem, sed periculosum sit crimen ipsi detegere, aut ipse malitiosè recusat committere facultatem alteri idoneo: tunc etiam absolui posse ex tacita commissione Papæ; qui censeatur iure ipso iniustè negatam licentiam concedere ob vrgentem necessitatem: quæ & facit licitum, quod est iure illicitum, ex quarta regula iuris extra.

19. *m* §. Cautus num. 23. & in Enchir. cap. 26. num. 7.

Quamquam istud aliqui ita restringunt, vt dicant neque tunc absolutionem à peccatis dandam esse, si casus sit ratione censuræ annexæ reseruatus: quia sacrilegium graue alioqui cõmitteretur, prout Nauarrus ad cap. Consideret. de pœnitent. dist. 5. ex eo probat, quòd excommunicatio excludat à diuinis,

diuinis, & maximè à perceptione Sacramentorum per cap. *Si celebrat*, de clerico excommunic. ministrant. Quamquam Angelus *n* putat contrarium probabilius esse, si Pœnitens non fuerit in mora petendæ absolutionis, vel fuerit quidem, sed apparet verosimiliter, quòd non erit ampliùs. Cuius sententiam, vt non tam tutam, quàm benignam reiicit Rosella: *o* soluens rationes pro ea allatas, & addens oppositam Theologorum, Canonistarum, & Summistarum esse ferè omnium: generalémque consuetudinem habere, vt excommunicato, non ante impendatur absolutio à peccatis, quàm is sit à vinculo excommunicationis solutus.

n confess. 5. num. 10.

o confessor. 1. num. 10.

Cæterùm putarim non esse repudiandum illud quod eiusdem Angeli Scholiastes admonet; videndum esse in hac re, quid saluti confitentis expediat: ideóque si casus occurrat, in quo non obstante excommunicatione ipsum, (vt facientem quidquid in se est) absolui à peccatis videatur necessarium: vt exempli gratia, quia non potest probabiliter existimare se contritionem habere perfectam, quæ sacrosanctam Eucharistiam sumpturo ad vitandum scandalum, necessaria ei est. *Si*, inquam, occurrat talis casus, absolui esse de facto sine peccato: accepta tamen promissione eiusdem confitentis, quòd cùm primùm poterit superiorem adibit, vel commissarium ipsius, à quo absoluatur à reseruatis: ratio quæ monet me, præter Angeli non contemnendam auctoritatem, est: quia excommunicatio de se non facit hominem ita incapacem absolutionis à peccatis, vt hanc reddat nullam: prout ostendimus in part. 2. Praxis fori pœnitentialis lib. 2. *p* nec item facit vt intrinsecè malum sit absolutio-

20.

Excommunicatio de se nō reddit hominē incapacem absolutionis.

p cap. vlt. sect. vlt. propos. 3. 4. & 5.

nem à peccatis excommunicato impendere (quasi nulla prorsus de causa id possit licitè fieri) quia non est consentaneum, piam matrem Ecclesiam, dum excommunicationem imponit, agere tanta seueritate cum filiis, vt quantumcumque faciant quidquid in ipsis est, velit nihilominùs eis negare, quod est ipsis ad salutem necessarium.

21. Absolutus à reseruatis per eum qui potest non tenetur se superiori præsentare. *q* lib. 6. cap. 15. §. 2.

Septimum documentum est absolutum à casu reseruato per eum, qui accepit ad id facultatem à superiore, non teneri se huic præsentare, nisi is illam commisisset sub eiusmodi onere (quod fieri non solet, etiamsi possit, vt notat Henriquez) *q* & per consequens non reincidit in eamdem excommunicationem, sicut reincidit is, qui in articulo mortis absolutus est ab excommunicatione reseruata per capit. eos qui, de sentent. excommunicat. in 6.

Absolutus per Iubileũ non reincidit, etiamsi omittat facere quę in eo præscripta sunt. *r* in seq. cap. 16. §. 6.

Quod documentum habet locum in eo, qui tempore Iubilæi absolutus est absque fraude; etiãsi omittat postea implere, quæ deerant pro consequenda indulgentia: nam in Iubilæo non datur Confessario facultas absoluendi ad reincidendum, de qua re idem author. *r*

22. *s* in cit. cap. 15. §. 4. auctoribus commemoratis in margine lit. p. & q.

Octauum documentum est, si Prælatus cui casus reseruatur, sit præsens in vrbe: reus per se, vel per alium debet priusquam inferiori confiteatur illum adire ea intentione, vt integrè confiteatur illi omnia sua peccata, tam reseruata, quàm non reseruata: hoc habet idem Henriquez *s* addita ratione, quòd ordo ille procedendi aptior sit, & quasi regia via; vt primùm adeatur superior, qui per se absoluat: vel alteri absolutionem committat: atque intentio integrè confitendi, quantùm commoditas

tas datur, necessaria sit ex Christi institutione, de qua Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 5. Quòd si non expediat ipsum scire, criminis reseruati reũ, interponi commodè poterit Confessarius, qui petat licentiam absoluendi aliquem suum Pœnitentem ab aliquo casu reseruato: quod non grauatè, sed facilè concedendũ est docto, & probato Confessario petenti.

Quòd si superior causans occupationem, totam confessionem (quod magis deceret) nollet, sed sola reseruata audire, & ab eis absoluere, proque absolutione, à non reseruatis remittere ad inferiorem: remissum non teneri huic confiteri de reseruatis, potest quidem deduci ex eo, quòd sic data absolutio sit sacramentalis & valida, iuxta ante traditum tertium documentum, & tenet Suarez: *t* attamen quia plurimi nobilissimi auctores (quorum meminit Henriquez) *v* sentiunt tunc quoque reseruata cum non reseruatis esse confitenda: idipsum consuluerim in praxi tamquam tutum; nec ita graue de se, quin leue fiat commutatione timoris æternæ damnationis in spem æternæ salutis.

23. Absolutus à reseruatis per eũ qui potest, & remissus pro nõ reseruatis, non debet reseruata iterũ confiteri.

t to. 4. disp. 31. sect. 1. num. 10.

v in eod. cap. 15. §. 5. in marg. lit. d.

Tertia pars capitis. De scientia requisita in Confessario, vt censeatur idoneus.

SVMMARIVM.

24. *Præter iurisdictionem, in Confessario requiritur scientia.* 25. *Mortale peccatum est ingerere se audiendis confessionibus sine debita scientia.* 26. *Quòd defectus scientiæ debitæ in Confessario, sit de numero eorum, qui reddunt confessionem inualidam.* 27. *Talis scientia requirit peritiam iudicandi; tum de Pœnitente, an absolui possit: tum de illis de quibus confitetur, an sint peccata, & an mortalia, vel venialia.* 28. *Quæ oporteat de peccatis Confessarium scire, vt censeatur idoneus audiendis confessionibus.* 29. *Tres casus, in quibus à peccato excusari potest ignarus audiens confessiones.* 30. *Quid tenendum sit de confessione ignaro facta bona fide.* 31. *Peccant mortaliter confitentes ei, quem sciunt ita imperitum, vt non sufficiat conscientiam ipsorum diiudicare.* 32. *Quatuor causæ seu radices obligationis ad restitutionem.* 33. *Regulæ de obligatione ad restitutionem ob rem alienam iustè acceptam.*

34. *Aliæ ob rem iniustè acceptam.* 35. *Aliæ ob iustam acceptionem.* 36. *Aliæ demum ob iniustam acceptionem.* 37. *Peccatum est mortale administrare Sacramentum pœnitentiæ in statu peccati mortalis.*

38. *Malitia Confessarij administrantis Sacramentum pœnitentiæ in statu peccati mortalis, non reddit de se illud inualidum.* 39. *Statutum Concilij Tridentini, de approbatione requisita in Confessario.*

40. Pe

40. *Peccat mortaliter qui contra tale ſtatutum adminiſtrat Sacramentum pœnitentiæ, niſi excuſet aut neceſſitas articuli mortis: aut leuitas materiæ, ſeu quòd is, qui confitetur, habeat tantùm peccata venialia.*

41. *Non approbatus ab Epiſcopo nec habens curatum, nequit à peccatis mortalibus abſoluere ſecularem.*

42. *Approbatio, vt & iuriſdictio, obtineri poteſt per Epiſcopi ratihabitionem de præſenti.* 43. *Appendix ad antedicta de modo ijſdem vtendi.*

PRIMARIVM Confeſſarij munus in pœnitentiali foro eſt ligandi & ſoluendi ſubditos ſibi confitentes. Cuius muneris executionem eſſe actum iudiciarium, habetur ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 9. Vnde fit vt præter poteſtatem de qua dictum eſt, requirat debitam ſcientiam, quæ vicem teneat lucis; Confeſſario ipſi neceſſariæ ad talem actum, ſicut lumen materiale neceſſarium eſt clauigero ad vſum clauis materialis, prout habetur in extrauag communi, Ioan. 22. Quia quorumdam. de verborum ſignificat. §. Quod autem primo. Et ideo in cap. 1. de pœnitent. diſtinct. 6. ſic præſcribitur. *Qui vult confiteri peccata ſua, vt inueniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ligare & ſoluere: ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo qui miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit.*

24. Primarium Confeſſarij munus quodnã ſit.

Scientia eſt neceſſaria Confeſſario.

25.

Quæ verba oſtendunt. Primò illud, quod ex communi ſententia Nauarrus habet in Enchir. [a] peccare mortaliter eos, qui ſine debita ſcientia dant operam audiendis confeſſionibus, cognoſcentes ſe non intelligere quæ oporteret; quantumcumque

[a] cap. 4. num. 4.

Peccãt qui ſine debita ſcientia dãt operam audiendis cõfeſſionibus.

præfulgeant bonâ vitâ, & subtilitate ingenij, industriáque naturali ad alia munia obeunda; vtpote qui iudicant tantummodò casu, tamquam si cæcus cæco ducatum præstet, neque excusabit approbatio ab Episcopo facta per examen, etiam bona fide: quoniam hæc non reddit scientem; vt nec obedientia, ex qua religiosi aliqui à suis superioribus iubentur audire confessiones. In quo casu tam iubentes quàm iussum exequentes mortaliter peccarent, ex eodem Nauarro. *b* Et ratio est, quia non nisi indignè, tam dignum munus potest sine scientia exerceri.

b in seq. num. 4.

26. Sine scientia debita non potest exerceri munus Cõfessarij.

Ostendunt secundò proposita verba; defectum scientiæ debitæ in confessario, esse de numero eorum, quæ confessionem & absolutionem reddunt inualidam. Si enim is non obstaret absolutioni, nihil esset cur Pœnitens diceretur propter eam, tamquam circa se negligens, negligi à Deo; & cum suo Confessario cadere in foueam, iuxta illud, Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt:* quod quidem non quadrat in validè absolutum à peccatis.

27. Quæ confessario scientia sit necessaria.

Cæterùm in Confessario necessaria saltem est scientia, qua sciat de pœnitente, an possit eum absoluere: atque adeo cognoscat, an sit subditus ipsius, seu talis, in quem habeat iurisdictionem non impeditam; ad quod iuuari potest per dicta in præcedentibus partibus huius capitis. Itémque, an is de peccatis doleat ex animo, ac concipiat firmum propositum non peccandi de cætero; atque omnino (præsertim resarciendo damna illata aliis, & vitando proximas peccati mortalis occasiones) desserendi statum peccati mortalis. In quo discendo ser-

uien-

uient ei potissimum, quæ dicta sunt in cap. 5. & 8. De peccatis verò sciat, quæ in vita humana habenda sint pro talibus : quæque ex eis censenda sint mortalia, & quæ tantùm venialia, ac etiam quæ annexam habeant obligationem ad restitutionem. namque ista ignorans, tamquam cæcus, expositus est manifesto periculo labendi in absoluendo. Quapropter in cap. Omnis vtriusque sexus. de pœniten. & remiss. §. Sacerdos, statuitur debere sacerdotem inquirere peccatoris circumstantias & peccati. Vnde constat Confessarium debere minimùm scire, an peccatori, cuius Confessionem audit, aliquid desit, aut insit, propter quod illum absoluere non possit; & an peccata illius mortalia sint, an tantùm venialia: vix enim dici potest quas circumstantias peccatoris & peccati inquirere, sciréque debeat, si has non debeat. Accedit in confirmationem doctrina tradita in Concil. Triden. sess. 14. cap. 5. quòd necessitas integram peccatorum confessionem faciendi Confessario; inferatur ex eo quòd Christus è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquerit, tamquam præsides, & iudices: qui pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum, in quæ fideles ceciderint, sententiam pronuncient. Atque illationis ratio deinde reddatur; quòd constet Sacerdotes non posse tale iudicium incognitâ causâ exercere: neque æquitatem in iniungendis pœnis seruare, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim ipsi fideles peccata sua declarassent. Ex qua doctrina necessitatem scientiæ in Confessario deduci hinc patet; quia confessione facta Confessario nescienti, quem possit, aut non possit absoluere: nec valen-

Confessio peccatorũ singulorum sigillatim facienda.

ti discernere inter ea, quæ sunt peccata mortalia, & ea quæ sunt tantùm venialia: aut nullo modo sunt peccata: perinde ac non facta confessione, causa manet incognita: saltem cognitione requisita ad eam iudicij æquitatem, de qua Cõcilium loquitur, quidquid sit de validitate Sacramenti: quam interdum contingere, non obstante talis cognitionis defectu, patet per deinceps dicenda, quibus propositæ doctrinæ duplex moderatio adhibetur.

Quæ & quanta scientia sit in Confessario necessaria, vt ad absoluendum à peccatis idoneus censeatur.

8. PRior moderatio est quam attingit Nauar. *c* vt ea procedat tantùm quoad peccata illa quæ communiter sciuntur peccata esse; vt septem capitalia (inquit D. Antoninus *d*, quæ cùm sint elemẽta quædam, & principia, de necessitate oportet ea scire, ac earumdem species, quæ statim atque nominantur, alicuius talium generum malitiam annexam habere intelliguntur: prout inobedientia malitiam habet superbiæ; fornicatio, luxuriæ; furtum, auaritiæ; ebrietas, gulæ; detractio, inuidiæ: & similia communiter nota, quæ sacerdotem ignorare rarò contingit, adeo vt necesse non sit hac ex parte nos formare scrupulos, inquit Franc. à Victoria. *e* Procedat itẽ quoad mortalia, & venialia in genere: nimirum vt Confessarius non ignoret in genere, quod peccatum pro mortali, quódque pro veniali sit habendum: ad quod sufficiunt, regulæ, & obseruationes traditæ in præced. cap. 9. nec item ignoret in genere, quando censenda sit contin

c ad §. caueat nu. 21. de pœnit. distin. 6. cap. *d* 3. par. tit. 17 cap. 16. §. 2.

e de sacram. nu. 168.

contingere obligatio ad restitutionem (pro quo in fine huius partis aliquot regulas subiiciemus) ita vt dubitare saltem sciat, sufficienter ad consulendum doctiores aut libros quos sine magna difficultate inuenire possit, ex quibus discat quid sequi debeat. Aduerte verò obiter quod ex Cordula affert Suarez *f*, cùm non sit de necessitate huius sacramẽti vt sacerdos & pœnitens cognoscant totam grauitatem culpæ: probabile esse, quòd Confessio sit valida, quantumuis pœnitens confiteatur aliquod peccatum, vt veniale, quod est verè mortale, & Confessarius eadem ignorantia laboret. Aduerte etiam in re proposita non esse faciendam distinctionem inter eos, qui ex obedientia onus audiendi Confessiones assumũt, & eos qui sua sponte ad illud se offerunt; quasi hi de omnibus de quibus pœnitentes confitentur teneantur iudicare, an peccata mortalia sint nécne: Illis verò sufficiat quod antedictum est. Nam vt Nauar. *g* argumentatur, nullus Canon adferri potest in quo talis distinctio fundetur: siq́ue ea esset vera, pauci, aut nulli ex Confessariis sæcularibus salui fierent. Itaque generaliter constitutum sit, quod habet Syluester, *h* non teneri Confessarium semper audito quouis peccato, iudicare vtrum sit mortale; quia vix alioqui reperiretur in toto mundo vnus Confessarius idoneus: sed sufficit, vt iudicet de iis, quæ scire tenetur iuxta antedicta: De aliis verò difficilibus potest suspendere iudicium, dummodò oportunum remedium apponat, ne iterum committantur, si dubitet esse mortalia: quod sæpe contingere potest ex incertitudine facti aut ex materiæ leuitate, aut ex defectu plenæ aduertentiæ, aut ex ignorantia, vel scrupulis pœnitentis,

f tom. 4. disp. 28. sect. 2. nu. 17.

Non est differentia inter eos qui ex obedientia, vel qui sponte audiunt.

g in Enchir. cap. 4. nu. 3.

h Cõfessor. 3. quæst. 9.

tentis, aliisque circumstantiis, per quas potest eiusmodi iudicio impedimentum adferri. Nec etiam tenetur cognoscere omnes species peccatorum minutissimas, quarum cognitionem suis disputationibus ægrè assequuntur docti Theologi, sed communiores, & mediocribus Confessariis vt plurimùm notas. Quando autem ei offert se pœnitens implicatus grauibus negotiis, & difficultatibus simoniæ, vsuræ, censuum, cambiorum, testamentorum, aut similium: debet illum remittere ad virum aliquem doctum, à quo pleniùs instruatur de eo quod licitè vel illicitè factum fuerit. Ea enim omnia ex se scire nõ tenetur Confessarius, sicut nec esse doctor in Theologia, vel in iure: sed sufficit, vt nesciens, recurrat ad doctiores pro talium difficultatum resolutione.

Posterior moderatio traditæ doctrinæ est, vt ea intelligatur pati exceptionem in tribus casibus, in quibus ex Nauar. *i* à mortali peccato, excusari potest imperitus sacerdos, audiens Confessionem.

i in sequen. nu. 5.

Primus est quando pœnitens sibi ipsi valdè sufficiens est: non tantùm ad confitendum peccata, & eorum circumstantias, ac numerum: sed etiam ad exponendam Cõfessario peccatorum suorum grauitatem: dicendo, exempli gratia, istud est mortale sacrilegium, cum excommunicatione, reseruatum: illud est furtum cum obligatione ad restitutionem, & sic de cæteris. Neque id tantùm, sed simul etiam talis est, qui meritò iudicetur bonam, rectámque habere conscientiam; vt non tantùm possit, sed etiã velit sacerdotis ignorantiam supplere instruendo ipsum sufficienter: quod tamen parum decet, nec consultum est pœnitenti ipsi: quia Confessario docto, &

Tres casus in quibus pœnitẽs cõfitẽs potest cõfiteri Cõfessario indocto, & ignaro.

cto, & idoneo confitens, si fortè erret, excusatur per ignorantiam probabilem: tamquam is, qui nitatur auctoritate viri docti, & ad munus suum obeundum idonei: quod non contingit confitenti Confessario indocto ac ignaro. Seruet igitur, quod quod præscribitur initio cap. 1. de pœniten. distin. 6. his verbis. *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere.*

Secundus casus est, quando pœnitentes sunt personæ spiritales, accedentes crebrò ad cõfessionem: & ideo subindè venialibus tantùm peccatis obligati tenentur: quæ cùm non sint materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, ex definit. Concilij Tridentini sess. 14. cap. 5. quòd pleraque illorum non intelligantur à Confessario, non impedit confessionis validitatem, sicut nec impediret, si eadem in confessione à pœnitente silerentur.

Tertius casus est, quando pœnitens versatur in articulo mortis, nec præter ipsum imperitum, adest alius, à quo audiri possit. Quem casum ob similem extremam necessitatem spiritalẽ Nauarrus *l* extendendum esse vult ad eos, qui degunt apud infideles, cùm deest illis copia Confessarij peritioris; siue liberi sint, siue serui. Ratio verò exceptionis faciendæ in his casibus hæc reddi potest: quòd in eis cum sufficiente dispositione pœnitentis concurrat (vt supponimus) sufficiens Confessarij potestas: cuius acquirendæ imperitus capax esse potest omnium sententia, vt monet Suarez *m*, & patet ex eo quòd proprius sacerdos ignarus, delegare possit validè iurisdictionem quam habet in suos: ipséque depulsâ ignorantiâ possit per se eâdem vti, confessiones eorum audiendo ex officio.

l ibidem.

m in cit. disput. 28. sect. 2. nu. 13.

Porrò;

30. Porrò, quod in hac re necessitas facere dicitur, idem Suarez *n* censet bonam quoque fidem confitentis facere, cùm simul adest sufficiés tum contritio, tum confessio ex parte pœnitētis. Quod probat, quia cùm interueniat tũc ex parte pœnitētis cõfessio integra, si ex parte sacerdotis interueniat talis eiusdem perceptio, quæ etsi nõ sit exacta cognitio, sufficiat tamen ad cognoscendũ materiã adesse ad hoc Sacramentũ sufficiẽtem; nihil obstabit esse validum, si super illam Sacramentalis forma verborũ proferatur cum intentione, & iurisdictione ad id requisita; quia nihil substantiæ deerit: pœnitente procedente bona fide, prout ponimus. Si quis obiiciat ex communi opinione iterandam esse confessionem factam ignaro, cuius tanta est ignorantia, vt ipsa sit eorum etiam, quæ à paucis ignorantur. Respondendum est id procedere, quando licet bona fide confessio facta sit, postea tamen Confessarius deprehenditur ob imperitiam nihil eorum, quæ audiuit intellexisse, tamquam peccata (qua tantùm ratione constituunt materiam Sacramenti pœnitentiæ) sed solùm percepisse vt facta quædam: de quo (vt inquit à Victoria *o*) non oportet formare scrupulum; cùm rarò occurrit talis confessarius. Vel etiã procedere, quando mala fide agitur, vt fieri potest duobus illis modis, quos adfert Suarez *p*.

n in præced. nu. 12.

Bona fides pœnitentis Cõfessionẽ validã reddit.

o de sacr. nu. 168.

p in fine citato sect. 2.

Prior est quando cognouit illum, cui confitebatur, ita imperitum esse, vt suam conscientiam diiudicare non sufficeret, & nihilominùs ei confessus est. Posterior verò quando inter confitendum aduertit Cõfessariũ nõ sufficiẽter percipere grauitatẽ peccati sui: & nihilominus de eò cõfessus est solùm simpliciter, illo non instructo, nec informato.

Aduerte

Aduerte autem obiter pœnitẽtem peccare mortaliter, & ad iterandam confessionem teneri, qui eam facit Confessario, quem nouit ita imperitum, vt suam conscientiam diiudicare non sufficiat. Id quod Suarez habet *q*, addens ipsum procedere non obstante, quòd talis confessarius approbatus sit, & publicè expositus, aut etiam proprius pastor eiusdẽ pœnitentis. Ratio verò est, quòd ipse eligat indignum, & inducat eum ad illud, quod non potest licitè præstare: atque ipse circa se negligens, negligatur à Deo iuxta cap. 1. de pœniten. distinct. 6. in principio. Quæ omnia cùm ita sunt, apertè constat abusum esse intolerabilem (quem meritò Nauarrus *r* optat quotidie argui à cõcionatoribus) vt qui susceperunt animarum curam, committant illarũ regimen: (quod *ars est artium*, vt dicitur in cap. Cùm sit. de ætate & qualit. ordinariéque requirit notabilem scientiam propter necessitatem audiẽdi confessiones quorumcumque subditorum, qui varij sunt generis; cõmittant, inquam, vicariis, quibus nihil est plùs eruditionis, quàm visum est sufficere, vt sacerdotio initiarentur, non curãtes quis doctior sit, cui vicariatum cõcedunt: sed quis minori mercede inseruiat: quod manifestum est ab omni ratione alienum esse.

31. Confitens qui confitetur ei viro, qui adeo est imperitus vt suam cõsciẽtiam diiudicare nõ valeat, iterũ cõfiteri debet.

q in ead. sect 2. num. 9.

r ad cit. §. caueat nu. 19.

Vicarios qui ponunt in Parochiis ignaros arguuntur.

Regulæ de obligatione ad restitutionem sciendæ à Confessario ad vitandum periculum labendi in absoluendo.

VAlde latè patet doctrina de obligatione ad restitutionem. Illam & in genere & in specie pro nostro modulo persequimur in praxi fori pœniten.

niten.par.2.lib.6.Hîc pro instituta breuitate cõtenti erimus aliquot regulas adferre, quæ lucem aliquã adferant Confessario ad detegendum ex ea proueniens periculum labendi perperam in absoluendo. Præmittendum est autem D. Thomam quidem 2.2.quæst.62.art. 6. duplicem assignare generalem causam, seu radicem obligationis ad restitutionem: nempe rem alienam acceptam, & eiusdem acceptionẽ. Sed quia res aliena potest tum iniustè, tum iustè accepta esse, atque illius acceptio tum iusta esse, tum iniusta: vtrãque in duas distingui, vt quatuor inter se omnino distinctæ constituantur, seorsim per se considerandæ: quarum 1. sit, res iustè accepta. 2. res iniustè accepta. 3. acceptatio iusta. 4. acceptio iniusta; ad quam reducitur (quæ quinta addi potest) participatio in iniusta acceptione; adeo vt vna sit obligatio ad restitutionem ratione rei iustè acceptę; vt in locato, commodato, deposito, pignore: altera verò sit ratione rei iniustè acceptæ: vt cùm quis eam habet quidem iusto modo, sed ab eo qui illã iniustè accepit: vt cùm quis equũ furtiuũ emit bona fide. Tertia autem ratione iustæ acceptionis: vt qũoties fit contractus licitus, quo dominium rei propriæ in alium transfertur. Quarta denique ratione iniustæ acceptionis: vt quando committitur furtum, rapina, vsura, vel alius iniustus contractus, siue exercendo per se acceptionem ipsam iniustam, siue exercẽti cooperãdo aliquo ex illis modis quos attigimus in præced.cap.3.num.20.

Duplex radix obligationis, ad restitutionẽ, & quæ sit illa.

3. Quæ cùm ita sint, de obligatione ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ dantur hæ regulæ. Prima est, talem obligationem contingere in omni eo, qui rem alienam retinet inuito rationabiliter Domino

Domino. Ratio est, quã D. Thomas habet, loco citato; quòd talis retẽtio sit cõtra iustitiã cõmutatiuã exigentem, vt qui habet alienum restituat illud. vbi aduerte si res eadem numero habeatur, non sufficere aliam restituere, aut pretium: ex §. Item is. Institut. Quibus modis contrahatur obligatio.

Secunda regula est: restitutionem ratione rei iustè acceptæ, non esse faciendam, si res ipsa pereat casu fortuito, vt incendio, naufragio, aut alio simili: nisi fortè ratione pacti, aut moræ, aut culpæ. Hæc habetur ex cap. 1. de commodato, & cap. 2. de deposito. Pactum autem intellige, quo conuentum fuit inter dantem, & accipientem, vt in huius damnum res pereat. Moram verò, qua is, qui rem accipit, retinet illam vltra tempus præfinitum: cùm & debuerit, & potuerit tunc reddere. Culpam demum quâ per accipientis negligentiam res periit.

Res iustè accepta, si casu pereat, non est restitutioni obnoxia.

De obligatione autem ratione rei iniustè acceptæ istæ dantur. 1. Eum qui rem iniustè acceptam habet penes se eamdem numero, teneri illam ipsam restituere, etiam bona fide acceptam. Ratio est, quia verus Dominus nihil iuris circa eiusmodi rem, ex eo amisit, quòd per alterius malitiam, sit in eum statum adducta. 34.

Secunda est; qui mala fide, seu sciens alienam esse, acceperit, teneri non tantùm illam restituere: sed etiam resarcire omne damnum, quod ex illius carentia vetus Dominus interea passus fuerit: sicut postea dicendum est de obligato ad restitutionem ratione iniustæ acceptationis: cuius quoque talis constituitur reus.

Tertia est eum, qui bona fide rem iniustè acceptam possedit, nec per dolũ desiit possidere; teneri

tantùm restituere illud, quod non haberet, nisi rem talem contrectasset. Eum verò, qui mala fide possedit, teneri totum rei pretium reddere, & compensare totum detrimentum, quod passus est verus dominus ex talis suæ rei carentia. Ratio est, quia ille tenetur tantùm ratione rei alienæ, quam possidet; & in casu proposito, non possidet eam, nisi quo ad illud quo factus est locupletior. Hic verò tenetur adhuc rationis iniustæ acceptionis; quæ perseuerat etiam re perempta. Manente autem causa, manet effectus ei necessariò consequens: sicut & cessante causa, cessat effectus.

Quarta est, bonæ etiam fidei possessorem teneri restituere vt rem, ita & fructus eius apud se adhuc extantes: quia hi, eo ipso quòd sunt rei alienæ, habentur pro rebus alienis.

Regulæ pro restitutione iustæ acceptionis.

De obligatione autem ad restitutionem ratione iustæ acceptionis, duæ regulæ dantur. Prior est: ad satisfaciendum tali obligationi sufficit pretium, seu æquiualens solui, siue res ipsa perierit, siue non. Ratio est, quia illa nascitur ex contractu, per quem ipsius rei dominium transfertur in alium: puta per emptionem, & venditionem, aut mutationem rei vsu consumptibilis. Vnde patet non esse ex iustitia eamdem numero reddendam cum desierit esse aliena.

Posterior est, talem obligationem transire tantùm ad hæredes, & fideiussores illius quæ obligatur, non in alios. Ratio est, quia cùm oriatur tantùm ex contractu, extendi potest tantum ad eos qui voluntatem habuerunt contrahendi cum principali debitore: vt censentur, tum ipsius hæredes, qui cum hæreditate suscipiunt onera ei annexa; tum etiam

etiam fideiussores, qui pro debitore se obligarunt; non item cæteri, qui quamuis aliquo modo fuerint causa contractus, non habuerunt tamen in voluntate efficere se debitores.

De obligatione demum ratione iniustæ acceptionis duæ quoque dantur regulæ. Prior est. Eâ obligatum teneri eamdem rem restituere cum suis fructibus, si illam habeat: sin minus pretium, seu valorem illius, ac fructum, atque omne damnum, quod ex carentia illius passus est dominus. Hæc patet: quia in illis omnibus, læsit ius proximi contra iustitiam commutatiuam: secundùm quam vt æquitas seruetur omne damnum proximo illatum debet restitutione reparari. 36. Regulæ pro restitutione iniustæ acceptionis.

Posterior est. Talem obligationem cadere non tantùm in executorem iniustæ acceptionis: sed etiam in illos omnes, qui participant in eodem crimine. Ratio est, quia is qui participat in crimine, sicut eidem culpæ; ita & eidem pœnæ cum principali criminoso subijcitur, iuxta illud quod in cap. 1. Epist. ad Rom. *Digni morte dicuntur, non tantùm qui scelera faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ad quod alluſit summus Pontifex in c. 1. de officio Iudicis delegati cum dixit. *Agentes & consentientes scripturæ testimonio pari pœna puniri.*

Quarta pars capitis de probitate requisita in Confessario.

IN Confessario requiritur bonitas, non tantùm, quâ pœnitenti bonus sit; tamquam præditus perfectionibus necessariis ad exequendum suum iudicandi munus, sed etiam qua bonus sit sibi, & Deo beat. Bonitas Cõfessarij qualis esse debeat.

charus,charitate eliminãte ab anima ſua omne peccatum mortale.Ipſum enim conſtitutum ad reconciliandum peccatorem Deo,oportet eſſe huic charum & in ſe ſanctũ,maiore ratione quàm illi, quibus dixit Leuitic. 19. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*:ob maiorem nimirum dignitatem muneris ligandi, & ſoluendi ſuper terram, quæ ligentur & ſoluentur in cœlo: non conceſſi Angelis: imò nec beatiſſimæ Virgini,vt habetur in cap.Noua.de pœniten.& remiſſ.& certè ſi in adminiſtratione Sacramentorum vti vaſe immundo irreuerentia eſt Dei, propter indecentiam,qua Sacramentum, res adeo ſancta, veréque hominem ſanctificans, tractatur tamquam profana: multò ſanè magis indignũ eſt, vti miniſtro contaminato mortali peccato: quandoquidem,& peccati mortalis immunditia infinitè maior eſt quacumque alia: & cõcurſus miniſtri deputati ad talem adminiſtrationem, ei propinquior excellentiórque eſt,quocumque vaſis concurſu.

Maior ſanctitas eſſe debet in ſacerdotibus noui teſtaméti,quàm veteris.

38. Vnde etiam conſequens eſt indecentiam eſſe maximam (adeóque peccatum ſuo genere mortale)contaminatum mortali crimine audere ſe miniſtrum exhibere in adminiſtratione Sacraméti pœnitentiæ.Quo fit,vt ſacerdos acceſſurus ad audiendas confeſſiones,teneatur explorare animæ ſuę ſtatum:& de peccato mortali (ſi quod in ſe notauerit)ad ipſum eliminandum, conteri ex amore Dei ſuper omnia dilecti,aut ſaltem ex timore illius; *qui poſtquam occiderit,habet poteſtatem mittere in gehennam*, ex Luc.cap.12.alteri,additâ Sacramẽtali confeſſione, ſine qua attritionem minimè ſufficere ad illam eliminationem habetur ex Concilio Tridentino ſeſſ.14.cap.4.Quamuis autem hæc ita ſunt:tamen

men validum esse potest pœnitentiæ Sacramentum administratum à Confessario contaminato mortali peccato: vt satis patet per illud quod in Concil. Triden. sess. 14. cap. 6. & Can. 10. definitum est, potestatem absoluendi non impediri per peccatum mortale. Ad quod pleniùs intelligendum notanda est distinctio, quam ex Caietano referens Sotus *s* merito doctam vocat: estque, Sacramẽti exhibitionem spectari posse, tum ex opere operato: seu tamquam instrumentum, quo Deus vtitur ad infusionẽ gratiæ in animam: tum ex opere operantis: seu vt actio est humana exiẽs à Dei ministro: atque priore modo non requirere probitatem ministri: quia sine ea sortitur suũ effectum. nec enim per malum ministrum contaminatur donum Christi: quia per illum purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram; sicut per lapideos canales transit aqua in areolas, ex cap. Si Iustus, 1. quæst. 1. neque à Iuda collatus baptismus, tamquam inualidus, fuit repetẽdus, ex cap. Dedit. eadem quæst. Posteriore autem modo requirere bonitatem: quia cùm homo tunc sit Dei minister coagens ipsi, debet quoad eius fieri potest simili bonitate, qua ipse operari: & quò melior, & in omnibus virtutibus eminentior fuerit, eo aptius erit instrumentum diuinæ bonitatis; vt per ipsum largiri dignetur pœnitenti plus gratiæ, & virtutum incrementum.

Cõfessarius audiens cõfessiones in mortali verè absoluit.

s in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. col. 2.

Baptismus collatus à Iuda non fuit repetẽdus.

Quinta pars capitis. De approbatione Episcopali, requisita in Confessario.

39. QVod atinet ad approbationem in Confessario requisitam, habetur de ea decretum in

Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. his verbis.

Cõfessarius debet esse ab ordinario approbatus.

Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum audire, nec idoneum ad id reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus esse iudicetur: & approbationem quæ gratis detur obtineat, priuilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.

Cui priuilegio congruenter sentiendum est mortaliter peccare sacerdotes non habentes parochiale beneficium, si confessiones secularium audiant non approbati ab Episcopo. Nam indignè administrant pœnitentiæ Sacramentum: cùm iuxta propositum decretum, non sint ministri illius idonei. Peccare quoque mortaliter seculares non ignaros talis impedimenti, confitentes illis: vt pote qui in eo moraliter cooperentur peccantibus mortaliter: vnde & Confessionem faciunt ex defectu saltem contritionis sufficientis, inualidam.

Excipiendi tamen videntur duo casus: alter est articuli mortis; & alter cùm Pœnitens tantùm habet peccata venialia. In illo enim necessitas, & in hoc libertas eadem ratione approbationem inducunt (de tacita saltem Papæ voluntate) qua in prima parte huius capitis habitum est, induci iurisdictionem.

In articulo mortis omnes sacerdotes possunt absoluere.

Neque enim existimandum est Ecclesiam in articulo mortis, absolutioni Sacramentali impedimentum obiicere; aut ad confessionem faciendam solummodò de venialibus, extendere propositum decretum; cùm eius instituendi hæc causa

causa(si quæ alia) censeri debeat: vt tolleretur abusus, quo grauibus peccatis obnoxij, Confessariis vtuntur non sufficientibus ad ea diiudicanda. Vnde quia religiosi, moraliter loquendo, in hoc minus offendunt; maiorem ordinariè gerentes animæ suæ curam, habentésque superiores qui ipsis speciali-ter inuigilent; nihil quoad eos, hac ex parte, Concilium innouauit.

Sentiendum quoque videtur cõgruenter eidem decreto, prout sentit Lopez in instructorio conscientiæ part. 1. *t* non nisi approbatum ab Episcopo posse validè absoluere secularem à mortalibus. namque verba illa, *non posse audire confessiones, nec ad id idoneum reputari, &c.* sufficienter indicant per defectum approbationis, potestatem absoluendi à peccatis ita suspendi in sacerdote non parocho respectu secularium; vt nequeat exire in actum hos validè absoluendi: præsertim cùm ad Sacramenti validitatem præter materiam & formam debitam, oporteat idoneum ministrum de necessitate concurrere ex definitione Concilij Florentini in instructione Armenorum non longè ab initio. Vnde inferre licet seculares teneri ad repetitionem confessionum, quas fecerint sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, nec habentibus parochiale beneficium. Pro quo facit, quod Suarez annotat tom. 4. *v* Cõcilium Tridentinum in proposito decreto generaliter, ac indifferenter requirere istiusmodi approbationem ad Confessoris munus exercendum, quacumque ratione ei iurisdictio delegetur: additque postea *x* eamdem esse necessariam non modò necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti; ita vt sine illa sacerdos absoluere

41.

t cap. 26. §. Insuper.

Tales sacerdotes nõ absoluunt validè.

v disput. 28. sect. 4. num. 9.

x num. 14.

tentans nihil faciat: non solùm per accidens ob indispositionem seu malam conscientiam pœnitentis: sed etiam per se, ex defectu necessariæ conditionis, quantumcumque Pœnitens bonam fidem habeat.

41. Ratihabitio Episcopi sufficit.

Verumtamen non negauerim, vt ad iurisdictionem, sic ad approbationem habendam sufficere posse Episcopi ratihabitionẽ de præsenti: siue quòd Episcopus videat sacerdotem nõ approbatum audire confessiones, & toleret, cùm prohibere possit. Cur enim dicamus per huiusmodi dissimulationem obtineri ab Episcopo iurisdictionem sufficientem ad absoluendum à peccatis, non item approbationem, nulla ratio videtur suadere: cùm præsertim iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ necessitas ad validitatem eiusdem absolutionis, longè clarius determinetur in ipso etiam Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 7. quàm necessitas Episcopalis approbationis in memorato decreto: atque modus approbationis Episcopo relinquatur valde liber: vt patet ex illis verbis eius: *Nisi ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium: aut aliàs idoneus esse iudicetur.*

Breuis appendix ad antedicta, de ratione ijsdem vtendi.

43. PAucis ad antedicta addendum est: quia non omnes omnium, nec semper capaces sunt: discretionis esse, ac prudentiæ, vt Confessarius illis vtatur; proponendo ea pœnitentibus, vel omittendo, secundùm quod exegerint temporis, & personarum circumstantiæ: accommodandóque se ad cuius

cuiuſque captum, & diſpoſitionem. Nam aliquibus, vt iis qui ſæpius, rectéque confitentur, & noti ſunt: ſatis eſt, inquit Polancus, *a* audita eorum confeſſione iniungere pœnitentiam: niſi remedium aliquod, ad aliquos defectus; aut conſolatio, vel exhortatio, vel inſtructio aliqua adhibenda videatur. Alij verò, qui ſæpius quidem confitentur, ſed minùs rectè, iuuandi ſunt in ea parte, in qua non bene procedunt: vt ſi videntur non bene diſcuſſiſſe conſcientiam, vel peccata non ſatis exprimere, iuuandi ſunt interrogationibus antea traditis. *b* ſin dolor videatur deeſſe, vel propoſitum firmum abſtinendi ab aliquo peccato mortali, vel ſatisfaciendi, vel aliud neceſſarium ad Sacramentum, iuuandi ſunt per ea ex antedictis, *c* quę ad talia inducere diſcretio Confeſſarij cõſideratis perſonæ, & temporis circumſtantiis cenſuerit. Illi autem qui rariùs confitentur, ſed rectè, & diligenter ſe diſcuſſiſſe videntur, non ſunt interrogationibus onerandi, niſi aliquid omiſiſſe, aut obſcuriùs dixiſſe notentur, aut aliquid ad emendationem vitæ vel profectum ſpiritalem intelligi oporteat: quod, nec quid amplius, per interrogationes inueſtigaſſe ſatis eſt. Similiter illos, qui dolorem ſufficientem, & propoſitum abſtinendi à peccatis præ ſe ferunt, & confitendo ſatis aggrauarunt præterita, non eſt, quod Confeſſarius excitet ad dolorem, & deteſtationem, aut euitationem peccatorum: ſed ſufficit breuiter tactis ab ipſo commiſſis, tamquam approbando, quod talem ſenſum de eis habeant, confirmare in ſpe veniæ: conſolatione ſi opus ſit adhibita, cum admonitione de adiumentis quibus in futurum vti debeat, ad tenendam ſalutis viam: deſigna-

a cap. 2. art. 5. Quomodo vtendũ ſit ſupradictis doçumẽtis.

b in præced. cap. 3.

c in cap. 4. & ſequentib.

tis iis ex cap. 12. 14. & 15. quibus ipsos peculiariter egere prudentia dictauerit.

Quòd si aliquo modo quidem, sed non sufficienter peccata sua detestari viderentur; nec tam firmum, quàm par est, ostenderent propositum ab illis abstinendi: ipsi sunt iuuãdi habita ratione personarum, per ea quæ ante notata sunt. *d*

d in cap. 5. 6. 7. & 8.

De speciali prudentia Confessario necessaria ad iuuandos eos, qui moriuntur, dicendum seorsim fuisset; nisi quæ ad eam spectant ita accuratè, & ad praxim accommodatè persecutus esset Polancus in libello inscripto, Methodus ad eos iuuandos qui moriuntur vt nihil ampliùs desiderari videatur.

Necessitas iuuãdi moribundos quanta esse debeat.

Ad quem proinde remittendus videtur Confessarius qui debet illum sibi familiarem reddere: memor quòd error, qui tunc temporis committitur, corrigi non possit; neque omissa tunc commoditas emundandi animam à peccatis, susceptione Sacramenti pœnitentiæ, recuperari; morte scilicet adimente omnem ad id facultatem: quandoquidem, *vbi ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem: in quocumque loco ceciderit ibi erit* : *e* quod est, bene finientem vitam, esse fœlicitati æternæ; malè finientem verò, miseriæ perpetuæ addicendum.

e Eccles. cap. 11.

Memor item quòd si vmquam aliàs, debet tunc bene paratus accedere ad iuuandum proximum: quem morbi vis, aut timor, vel alius affectus distrahit à seria consideratione eorum, quæ ad animam spectant, nimisque aptum reddunt ad curandum negotium suæ salutis: cùm tamen illum interea vehementiùs infestet diabolus, *qui scient*

quod

quòd modicum tempus habet, *f* vires omnes exerit ad perdendum morientem. *f* ex Apocal. cap. 12.

Memorem quoque Confeſſarium oportet eſſe, vinculo ſacramẽtalis ſigilli eum ſic adſtringi, vt nulla omnino de cauſa liceat ei audita in confeſſione manifeſtare, niſi de pœnitentis licentia, qui illam liberrimè, & in ſuam notabilem vtilitatem conceſſerit: de qua re pleniùs agimus in prima parte, lib. 3. per totum. Sigillũ confeſſionis ſeruandum accuratiſſimè.

Τίνι δόξα καὶ τιμὴ, εἰς τοὺς αἰῶνας, Χριστῷ Ιησοῦ τῷ θεῷ υἱῷ τῷ μονογενεῖ, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοουσίῳ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμὴν, ἀμὴν.

Finis. Laus Deo.

INDEX RERVM, ET SENTENTIARVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN TOTO HOC opere continentur, in quo cum post numerum paginæ littera a adiicitur, principium paginæ, illud quod notatum est habere indicat: & cùm b apponitur, illud in medio vel fine paginæ contineri indicatur. Cùm verò littera nulla numero postponitur, hoc tota pagina explicari indicatur.

A

ABSOLVTIO *præcedentis tunc vera est quãdo interni sequitur arbitrium iudicij.* 362.b

Absolutio non facile cuiquam deneganda. 426.b *multa alia circa absolutionem notanda.* 427. *Absolutionis forma.* 430

Absolutio de peccatis numquam sub conditione impendenda est. 431.b

Absolutio sub conditione dari potest in duobus casibus, & quibus. 432.b

Absolutio in eadem confessione bis non est iteranda, sed in diuersis confessionibus super eadem peccata iterari potest. 433.a

Absolutio per plures dies differri potest. 434.b

Asolutio

Absolutio à casibus reseruatis, quomodo licita esse possit. 463.b

Absolutio quando non datur, quid facere debeat Confessarius, ne pœnitens scandalizetur. 30.ab

Absolutio quando concedenda vel neganda pœnitenti, qui credit contra Confessarium non esse peccatum mortale, quod ipse confitetur. 31. *Absolutioni quando præponenda est admonitio, & quando postponenda.* 97.a. *Absolutio quando neganda cõfitenti laboranti ignorantia.* 98.a

Accusatio propria comes humiliationis, qualis esse possit in conspectu Christi. 321.b.322

Acedia quale peccatum sit, & quàm graue. 396.b. *Pœnitentia huic peccato iniungenda.* 398

Actus idem humanus successiuè potest esse peccatum mortale vel veniale. 219.a

Adiumenta propinqua prouidendi Christum in conspectu nostro, quæ sint, & qualia. 310.311. *Adiumentum efficacissimum est in nobis feruere ipsius Christi amorem.* 312

Adiumento operandi bonum in ordine ad Deũ. 344.b

Adiumenta operandi bonum in ordine ad proximum. 346. a. *& in ordine ad nos ipsos.* 347.b

Aduersa sunt quasi quatuor venti, quibus à Deo, vel à dæmone impugnamur. 326.a. *sunt patienter ferenda.* 6. *quæ nos impellere debent, vt ea fortiter feramus.* 327.328. *Aduersa & prospera inter Dei dona reponẽda.* 329.b. *Aduersa sponte suscipiens quomodo sẽgeret.* 331. *Aduersa omnia potius perferre quàm Christum offendere debemus.* 339

Æger an possit absolui qui aliqua signa cõtritionis edit, sed non confitetur in particulari, & dicitur quod sic. 437.b. *An talis æger qui coram alijs cõtritionis signa dedit*

dedit, iis attestantibus absolui possit. 439.*b*
Agentes & consentientes pari pœna puniuntur. 483.*b*
Aliena peccata quot modis participemus. 50.*b*.51.*a*
Amor Dei debet esse rectus, magnus, & fortis. 306.*b*
Anima quæ Deum offendit quanta se noxa inquinet. 117.*b*
Auaritia radix omnium malorum. 399.*b*. *est quædã simulacrorum seruitus.* 400. *Pœnitentiæ huic peccato iniungendæ.* 411.*b*

B

Baptismus collatus à Iuda non fuit repetẽdus. 485.*b*
Benignitas Dei in indignationem, & iram conuertetur, nisi conuertamur. 123.*a*
Blasphemia deterior homicidio. 412.*b*
Boni operatio quatuor requirit, & quæ sint illa. 340.*b*. 341.*a*

C

Canones pœnitentiales qui ignorauerit, vix in eo constare potest Sacerdotis nomen. 374.*a*. *cuius rei caussa redditur.b*. *de quibus quid pœnitens à Sacerdote monendus sit.* 375.*a*. *Canones pœnitentiales descripti ordine præceptorum decalogi, & primò ij, qui contra primum & secundum præceptum conditi sunt.* 376. *contra quintum præceptũ.* 378. *contra sextum præceptum.* 379. *contra septimum, & octauum.* 380. *contra Sacramentũ baptismi & confirmationis.* 381. *contra Sacramentum Eucharistiæ.* 382. *contra Sacramentum Pœnitentiæ, & ordinis & Matrimonij.* 382

Casibus à reseruatis non potest inferior valide absoluere, nec per accidens nec indirectè. 462.a. *etiam ontere impositio præsentandi se superiori.* b. *à casibus reseruatis quilibet sacerdos absoluere potest in articulo mortis.* 463. *& Episcopus à reseruatis, cum hic adiri non potest.* 465.b. *Extra casum articuli mortis, quando quis à reseruatis possit absolui.* 466.b. *quædam documenta pro casibus reseruatis.* 468.469

Casuum reseruatio est valde Ecclesiæ salutaris, & pertinens ad populi Christiani disciplinam. 452.b. *Casus reseruati Episcopi qui sint.* 553.b

Certitudo moralis secum patitur aliquam anxietatem. 251.b. *Certitudinem habere de gratia sua nemo potest.* 255.b

Christi in nos amor quàm vehemens fuerit. 316.b

Christus cur absque impositione Pœnitentiæ peccata remiserit, quod sacerdotes facere non possunt. 370.a.

Christus humilitatis exemplar singulare. 404.b

Christo numquam exprobrata fuit mulierum amicitia. 9. *ex Christi consideratione quomodo peccatum vitare poterimus.* 334.b. *Consideratio Christi vt iudicis quibus conueniat.* 337.b

Christum sequi est viam salutis tenere. 110.a. *Christus solus dicit reficiam, caro inficiam, mundus deficiam, diabolus decipiam.* 144.a. *Christus plenitudinem gratiæ habuit, pro se, & pro nobis omnibus.* 282.b. *Christi actionum per puncta distinctarum meditatio, quas pro nobis passionis tempore egit, & perpessus est.* 313.314. *Christi gesta in passione qualiter meditanda.* 315

Circumstantia peccati aggrauans quæ confitenda. 43.a. *Circumstantiæ peccati carnis non minutatim interrogandæ.* 44.b

Cœcitas peccatorum qualis, & quanta. 128.*b*
Cogitationes turpes, & motus inde prouenientes, quando sunt peccata venialia, vel etiam nulla. 223.*b. de opere illicito dici nõ potest quod de cogitatione dictũ est, & cur.* 224.*b. Cogitationes scrupulosas de blasphemia, & similibus præstat non confiteri.* 249.*a*
Cõatus noster necessarius est, vt Deo cõiungamur, 300.*a. Conatus nostri industria in quo consistat.* *b*
Concupiscentia fomes est omnis peccati mortalis. 293.*b. cauenda maximè ne in nobis regnet, quæ est triplex,* 394
Confessarij munus est munire pœnitentem remedijs contra peccata futura. 272. *b. Confessarius non debet dirigere pœnitentes ad vnam religionem magis, quam ad aliam.* 278. *a. Confessarij arbitrio cur taxatio pœnitentiæ relicta dicatur.* 368.*b Confessarius peccat, vel nimis graues, vel nimis leues imponens pœnitentias.* 369.*a. Confessarius audita confessione quid præstare debeat.* 426. *Confessarius quomodo se geret cum pœnitente, qui habet occasiones peccandi, quas non potest cõmodè deserere.* 435. *b. quomodo se geret cum pœnitente, quem scit commisisse peccatum, quod negat.* 434.*b*
Confessario necessaria est scientia iudicialis, & medica. 1.*a. vt prudens medicus se gerere debet. b. Obit munus tum iudicis à Christo constituti, tum patris spiritualis.* 2.*a. ex officio iudicis quid illi incumbat. b. & ex officio Patris spiritualis. ibid. ex officio medici quid præstare debeat.* 3.*a. & ex officio magistri. b. Cõfessarius forti animo esse debet, & quis ille sit.* 6.*a. quomodo se ad audiendas confessiones præparare debeat.* 7.*b. Spiritalis quædam in eo grauitas elucere debet, & in audiendis confessionibus fœminarum se*

potiùs austerum quàm familiarem exhibeat. 8.a. non debet intendere lucrum, vel fauorem, multominus voluptatem. 9.a. Confessarius non debet signa admirationis dare, dum grauia audit peccata. 12.b

Confessarij nõ est interrogare Pœnitẽtẽ, sed audire. 18.a. Confessarius omittens interrogare, quæ sunt necessaria, peccat mortaliter. 18.b. non debet esse nimium scrupulosus in interrogationibus. 20.a. si omittat aliquam circũstantiam, vel interrogationem per obliuionem, aut inaduertentiam, non peccat. b. debet ante Confessionem interrogare, si Pœnitens sit ignotus, an sit suæ iurisdictionis. 25.a. Confessarius quomodo animabit Pœnitentem ad sua ipsius peccata confitenda. 46. quomodo, & quando facta confessione illum monere debeat. 88. Quomodo ad id, & quando teneatur. 89.b. ad restitutionem non tenetur, quando non monet Pœnitentem vt restituat, si debeat restituere. 90.b. tenetur de re quacumque veritatem Pœnitenti aperire, si is eum interroget, vel dubitet. 91.a. Errantem aliqua in re inuincibiliter, docere tenetur Pœnitentem. b. Monere non tenetur de eo errore, quo inuincibiliter Pœnitens laborat, si nihil se profuturum sperat. 92.a. Cõfessarij prudenter agũt, qui non manifestant Pœnitentibus simul omnia, ad quæ tenentur. 96.b

Confessarius debet esse ab ordinario approbatus. 485.a. aliter confessio est inualida. b. vt Confessarius censeatur approbatus ratihabitio Episcopi sufficit. 486.b

Cõfessarius quid agere debeat, cùm eum absoluit, quem non potuit. 440.b. Confessarius qui dimisit Pœnitẽtem sine absolutione, illius capacẽ quid faciet. 443.b. Confessarius in executione sui muneris debet esse circumspectus. 443.a. quæ sint ei necessaria. b. duplex

plex ei potestas necessaria, ordinis, & iurisdictionis. 448. *inter Confessarium religiosum, & sæcularem quoad scientiam, non facienda est distinctio.* 475.*b.*

Confessarius imperitus in quibus casibus excusari possit à mortali peccato. 476.*b. Confessario imperito confitens quomodo bona fide excusetur.* 478. *Confessario necessaria est bonitas, & quæ.* 484.*a*

Confessionem esse integram quantùm referat. 13.*a. ad eã integrè faciendam, quæ possint Pœnitentem excitare.* 16.*a. Confessio amara quæ sit.* 107.*b. Confessionis frequens iteratio sine peccato esse nõ potest.* 256.*b*

Confidentia in Christo, & diffidentia de nobis qualis esse debeat. 303.*b*

Coniunctio cum Christo, in quo consistat. 299. *Coniunctio animæ cum Christo quomodo fiat.* 301. *Coniunctio cum Christo per spem.* 302. *& per caritatem.* 305

Consiliorum ad statum non statim quilibet est impellendus. 273.*b*

Contritio Dei donũ est, & Spiritus sancti impulsus. 7.*a*

Contritio præcipua Pœnitentiæ pars duas partes includit, & quæ illæ. 102.*a. Contritionem non habet omnis qui confitetur.* 103.*a. Contritionem abesse à suo Pœnitente quomodo cognoscet Confessarius. b. Contritio quæ sit ad absolutionem necessaria.* 104.*b*

Contritionis signa quænam sint. 104. *Contritionis propria opera quæ sint.* 109.*a. pro Contritione à suo Pœnitente obtinenda ad Christum retinere debet Confessarius.* 112.*a. quæ ad contritionẽ mouere possunt, sunt indignitas peccati, & pernicies. b. Cõtritio quamodo reddi possit Pœnitẽti grata & amabilis.* 147.*a. Contritionis dignitas. b. per Contritionem quanta facilitate euadatur pœna æterna.* 149.*b. Vtilitates*

Contritionis quæ, & quantæ sint. 151. *Contritio extinguit inferni incendium.* 152. *a. Contritio non differenda, sed executioni quamprimùm mandanda.* 153. *Contritio quas secum actiones non compatitur.* 155. *b. Contritionem de peccatis mortalibus qualiter exercere valeamus.* 157. *a. & de venialibus qualiter eam procurare debeamus.* 159. *Contritio quid requirat.* 164. *b*

Cordis custodia sollicitè est habenda ad fugienda peccata. 339. *b*

Cordis custodia cum linguæ custodia coniungenda est. 340. *b*

Correptio exterior nihil operatur, nisi concursus Dei interior accedat. 6. *b*

Crucis signum quod conficimus quomodo nobis Sanctissimæ Trinitatis mysterium exprimat. 289. *item incarnationis.* 290. *a. Crucis signum formare contra tentationes magnum est præsidium.* 338. *a*

D

Damnatorum pœna duplex est, vna damni, altera sensus. 133. *ista est grauissima, & atrocissima.* 134. *a. Damnatorum pœnæ seriò considerandæ.* 135. *b*

Debitum Pœnitentis quomodo possit impedire, vel non impedire absolutionem. 27. *b*

Debitum qui soluere in præcedenti confessione promisit, nec fecit, quomodo absoluendus, vel non. 28. *a*

Defectus ob quos iteranda est confessio. 17. *a. Defectus contritionis confessionem reddit inualidam, & omnino nullam.* 29. *a*

Delegatus tenetur præstare quicquid debet ordinarius.

rius. 32.a
Deuotio vera in quo consistat. 261.b
Deus sponsus est animarum, quem grauiter offendit, qui peccat. 114.b. *Deus vbique præsens, sustinens nos, & sua dona conseruans, & noua conferens.* 116.b
Deus non est acceptor personarum. 20.a
Diabolus est similis myrmico leoni, & quod animal sit illud. 238.b. *Diabolus se sperni dolet, & ideo spernentem deserit.* 246.b
Dispositiones quæ, & quales in nobis esse possunt ad gratiæ augmentum. 274.b.275.a
Dispositiones ad nos cum Christo coniungendos, quæ sint. 298.b
Doctorum seu Professorum artiũ peccata, itemq; scholasticorum. 74
Doctrina quæ ordinatur ad bonum publicum semper est tradenda à Confessore, vel doctore, sed quæ ad priuatum, sic aliquando. 93.b

E

EBrietas licet sit peccatum veniale, quomodo transeat in mortale. 217.b
Ecclesia in symbolo quid denotet. 290.b
Eucharistiæ sumptio debita quæ requirit maximè, & quæ sint illa. 284.a
Eucharistiæ ministratio non includit rationem iudicij, vt Pœnitentiæ. 29.a
Eucharistiam accipere cùm quis nullius sibi peccati mortalis est conscius, melius est, quàm ab ea abstinere. 164.a
Excommunicatio maior imponi tantùm potest ob mortale. 189.a

Excommunicationes reseruatæ in bulla cœnæ Domini. 454. *b.* 455. *Excommunicationes reseruatæ in decreto, & decretalibus.* 456. 457. *Excommunicationes reseruatæ in sexto, Clementinis & Extrauagantibus.* 457. 458. *reseruatæ extra corpus iuris Canonic. & bullam cœnæ.* 460. *b.* 461

F

FOrtitudo quæ, & qualis sit in bona operatione necessaria. 342. *b*
Furtum mortale vel veniale quodnam sit. 174. *b*
Furtum mortale ex rei quantitate discerni non potest. 181. *a*
Furtum veniale quomodo sit mortale. 217. *b*

G

GRatia Dei quid in anima nostra operetur. 325. *b*
GGula quot mala inuehat ex Scripturis. 794. *a.*
Pœnitentiæ gulæ indulgentibus iniungendæ. 396. *a*

H

HAbitus vitiosi spinarum instar sunt, quibus in extirpandis sedulò est incumbendum. 278. *b. ad habitus vitiosos extirpandos sex à nobis præstanda sunt, & quæ illa.* 280. *b*
Homicidium non imputatur ad culpam ei, qui illud inuincibiliter ignorauit. 226. *a*
Humilitas quæ & quanta tum ex parte intellectus, tum voluntatis requiratur. 232. *b*
Humiliandi nos ratio quæ sit. 319. *quibus rationibus ad nostri*

nostri humiliationem iuuabimur. 320. *Humiliatio nostra in conspectu Christi qualiter exerceatur.* 321. *Humiliatio quomodo exerceatur extra nos.* 323. *Humiliatio qualiter exercenda cum proximo.* 326

I

LActura spiritalium maior est infinitis partibus, quàm temporalium. 136.*b*

Ignauia nostra in fugiẽdis peccatis venialibus, *quanta sit, & quàm damnanda.* 161.*b*

Indulgentias concedere non possunt, inferiores Papa, vel Episcopis. 421. *b. Indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem.* 422.*a*

Inferni descriptio ex Iob. 148. *Inferni æternas pœnas qui credunt, quomodo ob eas à malis non recedant, & remedium contra illud.* 268

Inimicitias deponere omninò pœnitenti est necẽssarium, vt absolui possit. 27.*a*

Instituta locorum pietatem promouentis sunt approbanda, etiamsi non sint sit alibi vsitata. 209. *b.* 210. *a. Instituta alia, quæ carent ratione sunt reseranda. b. ex his quædam Ecclesia tolerat.* 211. *a. Institutum religiosum nolle suscipere ex contemptu peccatum mortale est.* 213

Interrogandum esse pœnitentem, vt integram confessionem faciat, vbi sit in iure cautum. 23. *a. Interrogationes aliquæ an sint præmittendæ Confessioni dubitatur, & resoluitur.* 24. *Interrogationes quænam sint præmittendæ Confessioni.* 25. *Interrogandus non est pœnitens, an habeat casus reseruatos.* 26. *a. Interrogationes præmittendæ in ordine ad contritionem quæ sint. b. Interrogatio an sit in statu peecati mortalis*

præmittenda est, quòd nolit relinquere. 28.b. *Interrogationes faciendæ in ordine ad Confessionem.* 32.b. *Interrogationes præmittendæ ad defectus Pœnitentis supplendos.* 75.b. *Interrogationes de articulis fidei quando præmittendæ.* 37.b. *Interrogari qui vult potiùs, quàm sua ipse peccata confiteri, non est repellendus.* 41.a. *Interrogationes quibus de rebus fieri debeant.* 42.b. *Non de omnibus sunt faciendæ, sed de necessarijs, & quæ sint illa.* 45.a. *Interrogationes circa peccata carnis, qualiter fieri debeant.* 47.b.48. *Interrogationes subijciendæ Confessioni ad tria capita reduci possunt, & quæ illa.* 450. *Interrogationes quæ fieri possunt circa peccata commissa contra primum præceptum decalogi.* 52. 53. *Contra secundum præceptum & tertium.* 54.55. *& sic de reliquis consequenter.* 56.57. 58. *&* 59. *Interrogationes faciendæ circa varios hominum status, & primò circa statum Ecclesiasticum.* 62.63. *Circa Confessarium & parochum.* 64. *circa beneficiarium, & Episcopum.* 66. *circa religiosos.* 67. *Circa personas laicas & primo circa coniugatos.* 69. *circa filium familias, seruum, tutorem, & cæteros huiusmodi.* 71.72.73

Interrogationes faciendæ ijs qui reip. præsunt, & primò circa Principes, & iudices. 77.b. *circa gubernatorem & præfectum.* 79.480

Inuidia ex superbia oritur, & quale quantumque sit peccatum. 405

Inuidis quæ Pœnitentiæ imponendæ. 407

Iracundia vitiũ quale, & quomodo ei resistendum. 358

Iram alterius quomodo patienter ferre conueniat. 479.

Pœnitentiæ accommodatæ iracundis. 2

Iurisdictionis potestas in Confessario duplex, ordinaria, & delegata. 448.b. *Delegatæ sex modi assignantur.* 449.b

449.b. *Iurisdictio Confessarij non impedita esse debet, vt possit absoluere.* 451.b

L

LEges ciuiles sicut & Ecclesiasticæ obligare possunt sub mortali. 193.a
Leges humanæ etiam canonicæ nõ habent vim obligandi ad mortale, cùm habent verba constitutiua, vel ordinatiua. 195.e
Lex præcipiens aliquid sub pœna maledictionis æternæ, vel indignationis Dei, obligat ad mortale. 199.a. *de pœnis ob quas lex obligat ad mortale.* 197
Legislatoris Ecclesiastici lex admittit benignam interpretationem. 303.a
Lex humana ad mortale obligat continẽs ius diuinum ad mortale obligans. 131.a
Lex humana dupliciter in se continet ius diuinum. b. 186.a. & *cum edita est cum voluntate obligandi ad mortale, in materia graui.* b. *Lex humana nequit hominem pro re leui ad mortem corporalem obligare.* 183. a. *Lex humana eo ipso quòd fertur in materia graui, obligat ad mortale.* 190.a
Lex purè humana, quæ non affert notabile nocumentum, obligat tantùm ad culpam venialem. 191.a
Legem humanam non obligare ad mortale, nisi ex solo contemptu auctor non probat. 194.a
Lex humana imponens pœnam temporariam non obligat ad culpam. 198
Lex in dubio accipienda est secundam eum sensum, qui est minus pœnalis. 199
Lex cum iusta caussa obligat ad mortale, ea cessante desinit obligare. 206

Lex omnis postulat, vt non contraueniatur ei ex contemptu eius. b. Legi quando contrauenitur ex contemptu. 211.a

Libertini oppositi scrupulosis quinam sint. 265. *b. timore maximè gehennæ hi curari debent.* 266.a

Libertini quomodo ad timorem inferni concipiendum qua ratione sint adducendi. 267

Luxuria peccatum est pernicioſissimum, quod animam, corpúsque corrumpit. 389.*b.* 390.a

Luxuria quot mala inuehat. 391. 392. *Pœnitentia huic peccato iniungendæ.* 393

M

MAria virgo non mentita est dicens de B. Ioseph Christo ecce pater tuus, *&c.* 96.*b*

Martyres omnes tot & tanta tormenta, passi sunt ne a Christo ad minimum momẽtum desererentur. 305.*b*

Matrimonij impedimẽta inuincibiliter ignorata a Confessario non manifestanda. 94.*b*

Medicorum, & Chirurgorum, & Pharmacopolarum peccata. 75.76

Mercatorum præcipua peccata de quibus sunt interrogandi. 175

Merita Christi per passionem ipsius nobis communicantur. 283.*b*

Merita Christi qua ratione nos ipsi nostra facere possimus. 285

Milites de quibus sint interrogandi. 82.*b.* & *Aduocati.* 83.*b*

Miseratio Dei magna qua se nascens in socium dedit, conuescens in cibum, moriens in pretium, daturus se patria in præmiũ. 146. *altera qua peccatores ad se venientes*

venientes recipit. 140.*b.tertia suauitatis qua vtitur in reuocandis peccatoribus.*142. *plurimæ aliæ miserationes.* 143.144
Miseratio vltima plurimas alias complectens. 146
Misericordia Dei qualis sit, & quanta. 249.*b*
Modus exercendæ in Christum fidei, spei, & caritatis. 315.316
Monere aliquem de eo, de quo fructus non speratur nemo tenetur. 92.*b*
Monita pro varijs hominum statibus, & primò pro Ecclesiasticis. 350. *pro principibus, & regimen populi habentibus.* 351. *pro populo sibi subiecto.* 352. *pro coniugibus.ibid. pro parentibus & filiis, dominis & seruis.* 253.*b. pro diuitibus.* 354.*b. pro ijs qui necessarijs indigent, & pro senibus.* 355. *pro iuuenibus.* 356.*b*
Monita danda ei, qui viam salutis nescit. 293
Moribundi vt rectè pieque decedant quanta cura habenda sit. 490.*b*
Mulieres qualiter, & quomodo ornare se debeant. 353.*a*

N

NEquitia nostra in Deum quanta sit, cum eum offendimus. 117
Notarij de quibus sint interrogandi, & procuratores, & apparitores. 85.86
Nouissimorum consideratio ad vitanda peccata singulare remedium est. 337.*b*
Numerus peccatorum quomodo confitendus. 44.*a*
Numerus peccatorum est circumstantia valde difficilis pro confessione ritè facienda. 45.*b*

Numerum peccatorum interrogandi modus quis sit. 46. *a*

O

Occasio propinqua, quam Pœnitens vitare tenetur, quænam sit. 166. *b*

Omissio in confessione, alicuius peccati, quando facta est ex ignorantia, vel malitia grauiter considerandum. 99. *a*

Operatio seu omissio quam non præcessit consideratio excusat à peccato. 225. *b*

Oratio deuota, quæ & quanta requirat. 234. *b.*

ad Orationis intentionem quid requiratur. 259. *a*

P

Parochi qui curam animarũ gerunt, vicariis ignaris eam committentes grauiter peccant. 479

Patientia nobis esse commendata maximè debet. 328. *b*

Peccator induratus est in manu diaboli. 137. *a*

Peccatum mortale quodnam sit, quæ ratio naturalis dictat. 179. *b. Richardi à S. Victore regula idem ferè tradens.* 180. *b. Peccatum mortale est illud, ob quod S. Scriptura à regno Dei excludit.* 181. *b*

Peccatum mortale quis committit legem humanam transgrediens. 182. *b*

Peccatum mortale est, quidquid piorum vsus, & Doctorum tale esse decernit. 209. *Peccati diuisio in septem mortalia vulgo dicta qualis sit.* 214. *Peccata venialia quantocumque sint numero vni mortali non æquiualent.* 215. *disponunt tamen ad mortalia si negligantur.* 216. *a*

Peccati præsens periculum qua ratione vitare poterimus.

mus. 334
Peccatum mortale à veniali ad discernendum certa regula in moralibus dari non potest. 173
Peccatum mortale, & veniale dupliciter esse contingit. 174. *a. Peccatum mortale non est nisi sit plena & perfecta aduertentia.* 175. *b*
Peccatum veniale fit ex accidenti mortale. 176. *b quod quinque modis fit.* 177. *a. hoc illustratur similitudine.* 178. *b*
Peccatũ veniale nũquam posse esse mortale ob circumstantiam, hoc quomodo sit intelligendum. 220. *b*
Peccatum mortale ex genere suo quomodo fiat veniale. 223. *Peccatum mortale ex sè non desinit esse tale, ex eo quod fiat metu.* 221. *b. per Peccatum multa accipiuntur detrimenta.* 291. *b. pro Peccati detrimentis tollendis ad Christum recurrendum.* 296. *b*
Peccatum futurum, quomodo vitabimus. 336. *b*
Peccati indignitas quanta sit. 103. *per Peccatum Deo negatur obedientia debita.* 1. *b. Peccatum Deus semper grauissimo odio est prosecutus.* 114. *b. per Peccatum homo fit nihil.* 130. *Peccatorum suorum catenis peccator quasi vinculis constringitur.* 132. *b*
Peccatum est ventus contrarius longè nos expellens à portu salutis. 154. *per Peccatum mortale quid amisimus, & quid lucrati sumus.* 158. *b*
Peccatum veniale quantùm Deo displiceat. 160. *a*
Peccatorum detestatio cum trina tunsione pectoris quid significet. 162
Peccati in singulis litteris habet quod ad pœnitentiam inducat. 137. *b*
Pernicies quam mortale peccatum affert animæ quanta sit. 223. *b. coniunctam habet multorum malorum inuectionem.* 127. *b*

Plagæ

Plagæ quæ per peccatum mortale infliguntur animæ. 127. 128

Pœnitentes, qui ſapius confitentur, paucis expediri debent, præſertim ſi noti ſunt, etſi non bene confitentur, quomodo ſint iuuandi. 489.b

Pœnitens qualiter compoſitus eſſe debeat in confeſſione. 10.b. *Pœnitens & Confeſſarius mutuum aſpectum vitare debent.* 11.b. *Pœnitentem Confeſſarius permittat dicere ſua peccata, quantumcumque male ea referat.* 13.a. *Pœnitens quomodo ad ſua peccata confitenda induci poteſt.* 14.b. *Pœnitens qui omiſit implere pœnitentiam, quomodo ſit abſoluendus.* 34.a

Pœnitens ob quos defectus præcedentem confeſſionem repetere teneatur. b. *Pœnitens quando dimittendus à Confeſſario ob conſcientiæ indiſcuſſionem.* 36

Pœnitens in ſpem veniæ à Deo quomodo ſit erigendus. 140

Pœnitentia in imponenda quid ſacerdos conſiderare debeat ex parte pœnitentis. 370

Pœnitentiam minorem niſi ex iuſta cauſſa imponere non debet ſacerdos. 372.b. *in Pœnitentia imponenda quid conſiderare debeat Sacerdos ex parte peccati.* 373. *in Pœnitentia imponenda conſideranda ex parte finis, qui eſt ſalus animæ.* 785

Pœnitentiæ aliæ quæ vtiliter iniungi poſſunt. 386

Pœnitentiæ impoſitæ datur interpretatio, & quæ illa ſit. 415.b. *Pœnitentia mutari & diminui quando poſſit.* 416.b

Pœnitentia à pœnitente acceptata mutari poteſt ab eodem confeſſario, & à ſuo ſuperiore. 417.b. *imò & ab æquali vel inferiori, ſi iuſta cauſſa ſubeſt.* 418.b *datur tamen hic aliqua exceptio.* 420.b. *In mutandis pœnitẽtiis Confeſſarij faciles eſſe debent.* 421.a

ad

ad Pœnitẽtiæ mutationem an necessarium sit nouam instituere confessionem. 423

Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non cõmittere, hæc definitio explicatur. 106.*b*

Pœnitentia inanis est, quam sequens culpa coinquinat. 107.*a*. *Pœnitentiæ impositæ alacris susceptio signum est contritionis.* 108. *Pœnitentiæ tribunal ad quid fuerit à Christo institutum.* 349.*b*

Pœnitentia imponi non debet quæ sit in præiudicium tertij. 358.*a*. *nec qua peccata occulta manifestentur. ibid. Pœnitentiæ inepta minimè imponendæ: & quæ sint illæ.* 359. *alia multa de pœnitentijs iniungendis documenta.* 360

Pœnitentia quæ iusta censenda est, & eam Deus solus nouit. 367.*a*. *Pœnitentiæ falsæ quæ dicantur. b.*

Polanci liber de modo iuuandi moribundos omnino perutilis, ab ijs legendus, qui talibus assistunt. 490.*b*

Pollutio voluntaria qualiter cõfitenda sit. 47.*a*

Præcipere est actus prudentiæ omnibus actibus bonis communis. 201.*b*

Præsentiæ Dei memoria sedulò commendanda. 295.*a*

Præsentia Christi cogitanda est secundum naturam humanam coniunctam diuinitati. 308

Principi non licet tollere quæ iuris naturalis sunt. 133.*b*

Propositum cauendi à mortali quale esse debeat. 165

Prudentia Confessarij in quibus consistat, atque adeo totius huius operis summa capita. 3.6.4

Prudentia Confessarij in interrogationibus qualis esse debeat. 21.*a*

Pusillanimitas reddit hominem scrupulis obnoxium, contra quam roborandus est animus. 239.*a*

R

ob RECidiuum *quando est neganda absolutio.168.b contra recidiuum remedia pleraque.169. in relapsu est quid peius, quàm in peccatis primo commissis.* 471.a

Res aliena restitutioni obnoxia quot modis esse possit. 480.a

Religionum instituendarum præcipua causa fuit auctoritas regiminis. 237.a

Remedia contra prauas animi propensiones. 273.a. *quæ rudioribus proponi possunt ex Polanco.* 274.a

Remedia contra septem peccata capitalia, & primo contra luxuriam. 389. *Remedia contra gulam.* 394

Remedia contra Acediam. 396. *& contra auaritiam.* 399. *Remedia contra superbiã.* 402.b. *contra inuidiam.* 405. *Remedia contra iracundiam.* 408. *in Remedijs contra peccata Pœnitenti proponendis quid considerandum.* 413

Restituere tenetur qui rem alienam retinet inuito Domino rationabiliter. 480.b. *Restitutioni non est obnoxia res iustè accepta, si pereat casu fortuito.* 481.a

Restitui debet res aliena iniustè accepta ab eo, qui penes se eamdem numero habet. b. Restituere debet is qui rem alienam iustè possidet id, quo factus est locupletior, si bona fide eam contrectauit. 482.a

Restituere qui teneantur ratione iustæ acceptionis.b

Restituere quid, & quantum teneantur obligati ratione iniustæ acceptionis. 483.a

Reus in iudicio monendus non est sibi non licere tacere veritatem, quando credit inuincibiliter se illam non teneri manifestare. 295.a

Reus in foro pœnitentiali potest sæpius de eodem crimine iudicari, & cur. 419.a

S

SAcerdos iudicium pœnitentiale incognita cauſſa exercere non poteſt. 364.b
Sacerdotes debent quantùm poſſunt conuenientes pœnitentias iniungere. 366.b
Sacerdotes noui teſtamenti pollere debent maiore ſanctitate, quàm veteris. 484.b
Sacerdos audiens confeſſiones in mortali, verè abſoluit. 485.a
Sacerdoti non approbato confitens tenetur repetere confeſſionem. 486.a
Salutis via in quo conſiſtat. 333.b
Scabinorum ſeu Officialium vrbis peccata. 81.82
Scientia quantum ſit Confeſſario neceſſaria, eúmque qui ſine debita ſcientia audit confeſſiones, peccare mortaliter. 471
Scientiæ defectus in Confeſſario reddit confeſſionem inualidam. 471.b
Scientia quæ, & quanta ſit Confeſſario neceſſaria. 473.a. & fuſius. 474.b
Scrupuli quibus agitantur illi, qui ſe dicunt cor habere aridum, quomodo curandi. 260.b
Scrupulus eorum, qui poſt factam Confeſſionem ad Euchariſtiam nolunt accedere quomodo curandus. 262.b
Scrupulis agitatus tollit occaſiones ſcrupulorum. 247
Scrupuloſi nimis dubitãtes de peccatis cõmiſſis quomodo iuuandi. 252.b
Scrupuli, quos patiuntur aliqui circa ſuas confeſſiones, quomodo curandi. 254.b
Scrupuloſi quomodo inquietentur circa confeſſiones. 257
Scrupuli quibus aliqui vexantur circa orationes vocales. 258

Scrupuli sunt vtiles ijs, qui conscientiã nimis laxam habent. 229. *b. nocent ijs qui conscientiam nimis strictam habent.* 230. *a. ex Scrupulis quot mala proueniant. b. Scrupulorum medicinæ, & prima præparatio ad diuinam gratiam.* 231. *a. secunda sacra lectio.* 233. *b. tertia deuota lectio.* 234. *b. quarta sunt Pharmaca aduersus melancholiam.* 235. *b. Quinta iudicij sui humilis subiectio.* 236. *Sexta impugnatio, & repulsio scrupulorum.* 237. *b. contra Scrupulos animo dubitante pugnandum non est.* 240. *Septima medicina est benigna legum interpretatio.* 240. *b*

Scrupulorum varia genera. 242. *contra Scrupulos vel obscenæ libidinis, vel blasphemiæ quid agendum.* 244. 245

Seruiendum Deo, & ei præcipiẽti obtemperandum recta ratio dictat. 269

Seueritas Dei in eos qui peccata commiserunt proponenda pœnitenti. 119. *cum Seueritate Dei quanta coniuncta sit benignitas, & patientia.* 121

Sigilli Confessionis seruandi quanta cura Confessario esse debeat. 491. *a*

Suaderi potest minus malum ei, qui statuit maius committere. 271. *b*

Superbia quid sit, & quid eam destruat. 402. *b*

Superborum exempla, qui grauiter à Deo puniti sunt. 403. *b. Pœnitentia superbis iniungenda.* 404. *b*

Symbolum Apostolicum & orationem Dominicam nõ tenere graue peccatum est. 38. *b. de Symboli articulis quomodo rudes instrui possint.* 39

Timor

T

T Imor Dei conseruat cordis munditiam, & alia eius opera bona. 233.a
Trinitatis Sanctissimæ, & incarnationis mysteria, vt ab Ecclesia festis repræsententur. 291
Trinitatis imago per quid in nobis illustrior redditur. 305
S. Trinitatis mysterium, & Dominicæ incarnationis non capiens, priusquam illa capiat, non est absoluendus. 39.b. *Qua ratione duo hæc mysteria ab ipso cõfessore inter confessionem facile tradi possint.* 288. 289

V


V Erba præceptiua, vel prohibitiua non obligant ad mortale semper. 201. *hoc explicatur.* 202.b
Vires pugnando contra diabolum crescunt, & hostes debilitantur. 388.a
Vita animæ nostræ consistit in caritate, qua per mortale peccatum priuamur. 125.a
Vitæ huius tempus est solùm ad obtinendam à Deo misericordiam. 155.a
Volens aliquid censetur etiam id velle, sine quo id esse nequit. 196.a
Voluntarium est quod metu fit, etiamsi secundum quid sit inuoluntarium. 228.a
Voti de re parua violatio quando efficit peccatum mortale. 218.a
Votum iusta de caussa commutari, & dispensari potest. 416.b

Vouere non debet Pœnitens, se hoc vel illud peccatum non admissurum. 170.b

Ιησοῦ Χριστῷ, τῷ τοῦ θεοῦ υἱῷ μονογενεῖ, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοουσίῳ δόξα, καὶ τιμὴ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Lib. Coll. Soc.tis Iesu Paderborn: an. 1611.

Finis. Laus Deo.



EXCVDEBAT LVGDVNI
NICOLAVS IVLLIERON
Typographus Regius,
Anno Domini
M. DCX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN